FRANCISCI ANTONII SPADA
SACERD. S. THEOL. & V. J. D.

ANTELUCANÆ VIGILIÆ,

Sivè

EXERCITATIONUM LIBRI III.

Quibus præcipua ad Civilem Facultatem pertinentia, nec non Celebriorum Civitatum Ortus, Progreſſusque tractatur.

Superiorum Permiſſu.

VIENNÆ, Typis JOANNIS PETRI VAN GHELEN, Sac. Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Aulæ, & Univerſitatis Typographi. 1725.

Illuſtriſſimo, atque Excellentiſſimo

DOMINO, DOMINO

RAYMUNDO VILANA Y PERLAS,

MARCHIONI DE RIALP

SAC. ROM. IMP. COMITI,

Sac. Cæſ. R. & Cath. Majeſt. à Secretis Statûs Intimæ Admiſſionis, &c.

FRANCISCUS ANTONIUS SPADA S. P. D.

CUm elucubrationibus, quas elaborare in animum induxi, præcipuus de Civili Diſciplina, deque Civitatum toto orbe celebratarum ortu, progreſſuque, ac tan-

 dem

dem interitu ſermo ſit, jure optimo tibi Vir Excellentiſſime dicari oportebat; Exemplo namque, quod ejusdem facultatis objectum eſt & finis ſub optimo maximo Principe (quo quid præclarius?) fermè doces univerſos; Nôrunt quippe quâ Vigilantiâ, Zelo ac Fide, quâve Prudentiâ, Sapientiâque publicas Utilitates, ac Beneficia, maximaque ac ardua quæque Statûs negotia cures, promoveas, perficias. Ea enim pro ſolatiis accipiens, Naturam ipſam vincere videris, cùm nîl fermè temporis labatur occupatione vacuum; Ac nisì rerum experientiâ comprobatum eſſet, exſpectationem adeò viciſſe, ut vel invidiam verteres in admirationem virtutis (licèt, quod tibi ſoli contigiſſe videtur, nemo ſit, qui non amet, atque ſuſpiciat, certentque ſtudiis tot diverſi moris, atque ingenii homines) Auguſto tamen fuiſſe probatum, grande atque indubium eſſet Virtutis, Probitatis, rerumque gerendarum ſolertiæ documentum: ùt enim ſorte naſcendi, ità mentis altitudine, acerrimoque judicio Cæſar omnibus præeſſe dignoſcitur; unde Viros vel obtutu ipſo æſtimat, Optimosque noſcit, legitque. Cùmque cognomenta, quibus Roma, Senatusque olim *Auguſtos*, aſſentationibus plerumque, onerare potiùs quàm honorare videbatur, Virtute priùs, rebusque geſtis, Conſtantiâque, ac Fortitudine meruiſſet, quàm conſenſu Univerſorum obtineret;

tineret ; ultima quidem laus eſſet , tanto Principi placuiſſe. Sed omnium Oculis ſubjiciuntur Virtutes tuæ ; nemo enim , qui te viderit , audierit, tecumque locutus fuerit , easdem celebrare deſinit. Quapropter cùm magna negotia magnis egere adjutoribus omnibus compertum ſit, vel ſuffragiis univerſorum Tu ſolus fuiſſes acclamatus. Ego quidem cùm ſæpiùs acceſſiſſem , eumque impertiri honorem placuiſſet , ut inter tot , tantaque negotia, quæ ſuſtines, ferè ſemper admiſeris, mecum ipſe revolvens Moderationem, animique Candorem , verborum pondus , Benignitatemque , ac morum ſuavitatem , quibus ſingulorum amorem meruiſti , nunquam tamen ſuſpicere ſatìs poſſum & aſſiduam illam laboris patientiam , quâ ut olim Tribunorum Ædes Romæ diu noctuque patere debebant , ſic te velle , jubere ſcimus , patere tuas , ut quocunque tempore facilem tui acceſſum præbeas , tantamque hominum multitudinem cujuscunque Ordinis audias , eorumque negotia expedias, ut nisì eſſes aſſuetus , atque à natura ità comparatus , miſerationem cum amore atque admiratione ſimul excitares ; & ſtudium illud harmonicâ quâdam proportione juvandi cunctos , lædendi neminem , ùt Mæcenas olim. Quos quidem viros Diis æquabat priſca Ætas , imò homines ipſos in Deos referre propter beneficia viſa eſt ; atque hinc illud

 vul-

vulgò uſurpatum : *Homo homini Deus*, *homo homini Lupus*. Quid autem cætera percurrere opus, cùm nemo ſit, qui te neſciat, & nec juſtiſſimis licèt laudibus celebrari velis? Cùmque in publica peccare commoda videar, ſi prolixior ſim, illud ſolummodò dixiſſe ſufficiat, adeò nempe Magnorum Virorum dotes, virtutesque ad capeſſendam, tractandamque Rempublicam neceſſarias in te uno eminere, ut non ab aliis quorum laudes referunt hiſtoriæ, exemplum capere, ſed ſi etiam illi non fuiſſent, cæteris præbere videaris. Quare, ut devotum qualecumque hoc animi mei teſtimonium æquo ſuſcipias animo, utque voluntatem duntaxat meam, non verò donum reſpicere digneris, enixè rogo, obteſtorque. Vale.

Author

Digitized by Google

Author Helvidio ſuo
S. P. D.

QUæſiviſti ex me ſæpiùs Helvidj, ecquem ex Philoſophia fructum, quamque rerum Notionem percepiſſem? te namque literarum oſorem, atque præcipuè Philoſophorum inſectatorem ſimulabas; nec enim ſemel verſiculos illos Scaligerianos recitantem audivi:

Quo te ambulando cumque vertas gentium,
Vitare non eſt diſputatorum genus,
Procax, protervum, faſtuoſum, garrulum,
Quos pacis hoſtes ultima hæc ætas tulit;
Qui nocte lucem, nigra vertunt candidis,
Et quæſtionum triſtitate condiunt
Natas in uſum ſobrii riſus dapes.
Has nec decorum eſt, nec tuum refellere:
Tali hoſte victo, quis triumphus te manet?
Luctante, eadem pugna gliſcit acrior;
Nec dignitatem fronte ferreâ pudor
Expreſſus auget; Claritatem nec dabit
Extorta rixis veritas. In jurgiis
Viciſſe nolle, quàm queas, victoria eſt.

Nec Luciani Hermotimum, aliaque hujuſcemodi argumenta omittebas; Ego autem, dum præcipuè rationes audiebam tuas, Philoſophum, cùm Antiphiloſophus videbâre, te agnoſcere delectabar. An enim quia tot diſputationes, atque opinionum monſtra angue pejus horreas, Sapientiamque illam ſolum-

ſolummodò ſequaris, quâ ſola bona, quæ honeſta, mala tantùm, quæ turpia: Potentiam, Nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis adnumeras, quâque ingenium illuſtre altioribus ſtudiis adeò excoluiſti, ut firmior adversùs fortuita, cunctisque vitæ officiis æquabilis, opum contemptor, recti pervicax, conſtans adversùm metus Rempublicam capeſſeres, Philoſophum non audies? Sed quia nec de te loqui, nec diſputando tecum agere permiſſum eſt, hinc breviſſimè ſtudiorum rationem exponam, ut ſicuti par eſt, tibi ſatisfaciam. Et quidem Philoſophorum placitis non *adeò delectatum eſſe compertum habes*, ut in partes abirem, ſed ut illorum potiùs hiſtoriam, & quomodo tamque variè de rerum Natura differerent, me non lateret. Viſum tamen eſt, ex Philoſophia ipſa fabuloſam primùm Theologiam fuiſſe intertextam, adeò ut Philoſophorum primi apud Chaldæos, Ægyptios, Indos, Perſas, Populosque alios nullam ex nihilo creationem agnoſcentes, nec Deum ipſum à rebus creatis ſeparantes, è Creaturis ipſis tot Numina effeciſſe, & ad eorum captum Religiones, Superſtitionesque effinxiſſe, ut rudem Vulgum flectere, Cætusque hominum jure ſociare poſſent, videantur; Hinc ejus Sapientiæ Cultores, apud Ægyptios præcipuè, Sacerdotes erant, *Arſepedonactæ* dicti, apud Æthiopes *Gimnoſophiſtæ*, *Confutiani* apud Chinenſes, atque apud Perſas *Magi*, ùt & apud Indos *Brachmanes*, *Druidæque* apud Gallos; nam & iidem Sacris præerant, & mores hominum ad Societatem componebant; Græcorum verò Poëtæ primi fabuloſam illam Theologiam verſibus explicabant, ut homines in admirationem magis pertraherent, atque faciliùs ad Societatem inſtituerent. Cùm autem procedentibus temporibus Philoſophorum turba nimis excreviſſet, fabuloſa illa myſteria detegi cœperunt; Qua de cauſa cùm nec verum illis agnoſcere datum eſſet, delirārunt adeò, ut idem ſit, cum iis philoſophari, ac velle prorsùs inſanum fieri; hinc cùm Religiones illas, ritusque deriderent (unde proceſſit *Atheiſmus*) quan-

quandoque Vulgi iras experti, aut damnati fuêre, aut fugere coacti, ùt *Socrates* ab Athenienſibus, *Ariſtoteles*, qui nè damnaretur, fugam capeſſivit, *Demonactes*, qui accuſatus, quòd nec *Minervæ* Sacra faceret unquam, nec *Eleuſiniis* initiatus eſſet, Turbam lapides jam in illum jacientem flexit rationibus: *nec*, inquiens, *Deam Sacrificiis indigere putabam, nec myſteriis initiari neceſſe duxeram, quoniam ſi mala eſſent, non reticuiſſem, ſi verò bona, ea patefacere non deſtitiſſem*; compluresque alios cùm ex Dogmaticorum, tùm Academicorum, Scepticorumque ſectis; licèt ipſimet Academici, dum de omni re in utramque partem diſputant, *Scepticiſmum* ſapiant. Dogmaticorum autem verè dixeris, *quot Capita, tot Sententiæ*; quamvis duntaxat in impietate conveniant; Materiam enim, ex qua omnia ſunt genita ab æterno tradidêre; Spiritum verò ac veluti materiæ *mentem*, quæ variô ſe corpore miſcet, Deum effecerunt, *primam* nempe *Virtutem*, ſeu *Cauſam*, eumque propterea fato ac neceſſitati Cauſarum ſubjecêre, undè illud:

Nec Deo vertiſſe licet,
Quæ nexa ſuis currunt cauſis.

Mundum propterea ingenitum, & incorruptibilem, imò Univerſum unum, Mundos verò innumerabiles, ajebant eſſe; hinc tot de natura Deorum qui *eam Virtutem* ſubſequebantur, deque Providentia, atque Animorum immortalitate deliramenta; quare, cùm in explicanda materiæ quidditate, tùm motu differre ſolummodò videntur, re tamen ipsâ idem ſentiunt.

Quantum igitur ſit cum Chriſtianis Philoſophis immane diſſidium vides; licèt præter æternas illas Fidei veritates, quibus cùm de Deo, tum de rerum ex nihilo creatione recta veraque ſentire ſumus edocti, cætera fermè à veteribus illis fuerint mutuati.

Quare ſicut Sectas eorum, Recentiorumque doctrinam noſcere haud ſupervacaneum, ità cum iis philoſophari, atque in diſputationibus, dubiiſque rerum tempus terere, inane prorsùs ac ſtultum foret; nec enim homo in Mundum venit, ut *incer-*

 ta

ta ſpeculetur, ſed *ut bene agat*, *vivatque*; undè Cicero: *Rerum*, inquit, *obſcuritatem & difficilem veritatis indagationem*, *adeoque ipſam deſperationem ad confeſſionem ignorationis adduxiſſe Socratem*, *& veluti amantes Socratem*, *Democritum*, *Anaxagoram*, *Empedoclem*, *omnesque pænè Veteres*, *qui nihil cognoſci*, *nihil percipi*, *nihil ſciri poſſe dixerunt*; *anguſtos ſenſus*, *imbecilles animos*, *brevia curricula Vitæ*, *& ùt Democritus*, *in profundo Veritatem eſſe demerſam*: *Opinionibus & Inſtitutis omnia teneri*; *nihil veritati relinqui*, *deinde tenebris omnia circumfuſa eſſe*, *aſſeruerunt*. Quâpropter rectè quidem de hac Philoſophia cum Cornelio Nepote ajebas, *non eſſe Magiſtram Vitæ*. *Quis enim*, ùt Tullius inquit, *Philoſophorum invenitur*, *qui ſit ità moratus*, *ità animô & vitâ conſtitutus*, *ùt ratio poſtulat? Qui diſciplinam non oſtentationem ſuæ ſcientiæ*, *ſed legem vitæ putet? Qui obtemperet ſibi ipſi*, *& Decretis pareat ſuis? &c.*

Fortiùs verò in S. Theologiam inanes etiam diſputationes, quæque captum ſuperant, irrepſiſſe, meritò dolebas; nec enim pertexta fabulis, nec è Græcorum Pöeſi nata conſpicitur, cùm Deus ipſe velum ignorantiæ cunctis adeò abſtulerit, ut veram, æternamque vocem, faciemque ſuam attendere, ac ſuſpicere valeant. Eam igitur, cùm ex utroque Teſtamento, tum è Conciliis, Patribusque, Sacra etiam hiſtoria, & jure quod Canonicum nuncupamus, ſuis veluti ex Incilibus, puram nitidamque derivare dumtaxat ſtudui. Juri quidem univerſo adeò operam impendi, ut fontes ipſos, cauſasque Legum noſcere curarem; quæ ſinè Civili Diſciplina, rectaque hiſtoriarum cognitione nunquam perſpectæ poterunt eſſe. Quos proptereà hiſtoriæ, curioſis duntaxat, vanisque rerum inflati, operam dare vides, rectè quidem, ùt in cæteris, damnare non ceſſas; quid enim quot Romanorum millia ceciderint apud Cannas, quot Perſarum Marathoniâ pugnâ noſcere prodeſt? Alios autem facta quædam Heroum admirantes, atque eorum narratione ſuprà cæteros gravi ſupercilio elatos advertebas; quâ ratione Carteſium Hiſto-

Hyſtorias damnâſſe, ejuſque verba protuliſſe memini : *atque etiam , nî fallor erant , ipſæ Hiſtoriæ quantumvìs veræ, ſi prætium rerum non augent , nec immutant , ut lectu digniores babeantur , earum ſaltèm viliores & minus illuſtres circumſtantias omittunt ; Unde fit , ut ea, quæ narrant , numquam omnino qualia ſunt , exbibeant, & qui ſuam vivendi rationem ad illarum exempla componere nimiùm ſtudent , proni ſint in deliria antiquorum Heroum, & tantùm hyperbolica facta meditentur.* Sed non eſt, quod mireris, ex eadem materia ſuis quemque ſtudiis apta colligere. *In eodem prato Bos berbam quærit, Canis Leporem, Ciconia Lacertum. Cùm Ciceronis libros de Republica prebendit binc Philologus aliquis, binc Grammaticus, binc Philoſophiæ deditus, alius aliò curam ſuam mittit. Philoſophus admiratur, contra juſtitiam dici tam multa potuiſſe. Cùm ad banc eamdem lectionem Philologus acceſſit, boc ſubnotat, duos Romanos Reges eſſe, quorum alter Patrem non babet, alter Matrem ; nam de Servii Matre dubitatur; Anci Pater nullus, Numæ nepos dicitur. Prætereâ notat, eum quem nos Dictatorem diximus, & in byſtoriis ità nominari legimus, apud antiquos Magiſtrum Populi vocatum. Hodieque id extat in Auguralibus libris, & Teſtimonium eſt, quod qui ab illo nominatur Magiſter Equitum eſt. Æque notat, Romulum periiſſe Solis defectione. Eoſdem libros cùm Grammaticus explicuit, primum, reapſe dici ab Cicerone, id eſt, reipsâ, in Commentarium refert ; Nec minùs ſepſe, id eſt, ſeipſe.*

Tua igitur veſtigia ſequutus, animadvertere ſolummodò moris erat , quomodò initia fuerint *Civitatis* , qualisque primùm *Ordo*, ſeu forma : quæ *Cautiones* ad eam conſervandam : qui *finis*, ad pacem nempe colendam, an ad bella : quæ *Leges.* *Converſionem* quoque Ordinis, *Cauſasque* : *Conſilia*, cùm in bello, tum in pace, honeſta, utilia, utraque ſimul, quâque de cauſa eventus his æque aut minùs reſponderint: Civium factiones : *Ingenia* : *Religionem* ; *Virtutes* denique, ac *Vitia*, cùm Populi Univerſi, tùm ſingulorum. Hinc cùm hiſtoriæ vacare contingit, noſcendi homines præcipuus eſt finis, quod maximum

eſt

eſt ad Sapientiam comparandam incitamentum, ex aliorum enim Vita, moribusque animum regere, atque ad Virtutum exemplar componere, quàm præceptis facilius erit. Quis enim perditæ adeò ſpei, demortuique pudoris erit, ut dum Tigellini vitia, Helvidiique illius Priſci Virtutes, ad cujus Exemplar es compoſitus, Oculis ſibi ſubjicit, animum ad eas ſectandas, vitiaque fugienda ſtimulis agitari non ſentiat ſuum? Hinc hiſtoriam ipſam exemplarem Philoſophiam appellare ſoleo (*a*) *pauci namque prudentia honeſta ab deterioribus, utilia ab noxiis diſcernunt, plures aliorum eventis docentur.*

Habes jam, Amicorum optime, Studiorum rationem, quosque ex Philoſophia fructus carpere adnitar; nec dubito abs te probari, cùm eos jam decerpſiſſe vitæ ratio ſatis oſtendat. Cur autem Exercitationes, quas tibi mitto, conſcripſerim, ex Præfatione dignoſces. Vale.

(*a*) *Tacit. Annal. lib.* 4.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

IGnorantia, inquit *Thebanus ille Philoſophus*, Sphynx eſt hominibus; ſicut enim homines illa enecare fingebatur, qui ſuas Ambages intelligere nequibant; ità qui nec quid bonum, nec quid malum nôrunt, atque in rerum cùm Divinarum, tùm humanarum cognitione cæeutiunt, nec ſibi, nec Civitati vivunt: Non igitur aut inanes diſputationes, aut Syllabarum monimenta animum hominis efformant. Sed, quantum Natura mortalis patitur, rerum notitia, quæ cùm ad ſui, & aliorum cognitionem, unde ſe ipſum, alioſque regendi facultas unicè derivatur, tùm ad Summi rerum Opificis Dei contemplationem veluti manuducat; Quâ propterea Sapientiâ, Prudentiaque, ùt quemcunque, ità fortiùs eos, quibus naſcendi ſorte datum eſt, ut *illorum bona, malaque ad Rempublicam pertincant*, præditos eſſe oportere dignoſcitur. Iis namque ſolummodò facultatibus erudiri neceſſe eſt, *quibus Ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur*; nam *hodie, ut omnium rerum, ſic quoque literarum intemperantiâ laboramus, nec vitæ, ſed Scholæ diſcimus*, adeoque *homines ſumus ignavâ opera, Philoſopha ſententia*, ùt inquit Agellius. Hinc vox illa Marii: *Non didici literas, parùm placebat eas diſcere, quippe quæ ad Virtutem Sapientiæ Doctoribus nihil profuerunt. At illa multò optima Reipublicæ doctus ſum: hoſtes ferire, præſidia agitare, nihil metuere niſi turpem faſamam: hyemem & æſtatem juſta pati: humi requieſcere: eodem tempore inopiam & laborem tolerare. Hæc atque alia faciendo Majores no-*

 ſtri

ſtri Rempublicam condidere; meritoque laudatur Agricola, quoniam *ſtudio ſcientiæ flagrantem animum coërcuit, tenuitque, quod eſt difficillimum, ex Sapientia modum*; Eaque de cauſa prohibebant Gothi *Atalaricum* Regem, ſicut Mater *Amalaſſuntha* cupiebat, liberaliter inſtitui, docerique, cum literis effœminari animum, & ad timorem traduci putarent; Quare *Demades* de Athenienſibus inquit, quòd ſimiles tibiarum eſſent, quibus exemptâ lingua nihil ineſſet rationis, adeoque verborum copia, quà præſtabant, cum hoſtibus pugnabant, non armis. Lacedæmonii verò literarum ignari res præclariſſimas domi, foriſque geſſerunt, quas alii ſcriptis mandàrunt; Hinc Scythæ, aliique literas omnes ac monumenta veterum penitùs abolere conati ſunt, imò nec hiſtorias admisêre; quoniam putârunt, ab iis ſcribi non poſſe, qui ſequntur alienam fidem; multoque minus ab illis, qui rebus adfuerunt, vel præfuerunt, cùm de ſe ipſis multa mentiantur, aut Principum metu, vel præmiis, vel odio diſtracti, à vero deflectant. Quare vel *inter Acroamata* vaſta quædam Imperia retulerunt *literarum exilium*; quoniam Subditi argutiis, ſubtilitatibusque inhærentes, Regimen ipſum carpere, actiones Principum ad examen vocare, & Populum quandoque commovere ſolent; Nam ùt in Civitate plebejus Ordo numerô cæteros ſolet antecellere; ſic in re literaria Pſeudoſapientium turba, quorum pars maxima ex injuria populi, atque ex clade & ſanguine miſerorum vivere ſtudet, præcipuè verò forenſes Rabulæ, quos Juris Conſultorum nomine ſuperbire videmus, dum nil aliud agere, quàm vel ipſa intrà mœnia latrocinia defendere, atque admittere profitentur. Alii autem, qui *ſe literatiores putant, umbratili ſtudio ſic ingenium occupârunt, ut ſupinè ſtulti evaſerint; ſedentariis enim meditationibus velut Veterno oppreſſi, negotia fugiunt, negligunt publica & privata, nîlque æſtimant, quod non aſperſum ſit librario pulvere; Et cùm omnia agant, ut ſciant, ſi ſciant, nihil agunt; ſibi ſapiunt: Sibi omnia intelligunt, docti & prudentes, ſed ſibi. Ità verò quod ſciunt, neſciunt, Reipublicæ*

tandem

tandem ſibique inutiles. Et cùm autoritatem ſibi arrogent doctiorum, nihil omninò minùs ſunt quàm docti. Quippe dum hanc rem ſterili contemplatione probant, illam improbant; nullam non ignorant, & ubi omnia didicerint, vel neſciunt, quod neſciunt omnes, vel ſciunt, quod utilius neſcirent. In virilibus exercitiis inepti, imbelles, effœminati, meticuloſi, imbecilles; Nam quaſi ex abditis educti antris, conſpectis hominibus velut umbris territantur, ac in hominum turba nè homines quidem ſunt, quaſi eis Minerva nervos mentis incidiſſet.

Illa igitur Sapientia unicè amplectenda, ſemperque colenda, *quæ Animum format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat, ſedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum.* Quod tamen unicè aſſequemur, ſi relictis quotquot ſunt Scholaſticorum nugis, eorumque Philoſophorum deliramentis, de quorum Grege *nîl infandum* vel Ægros *ſomniâſſe*, Varro affirmavit, *quòd non aliquis dixerit Philoſophus*, ineptiiſque Grammaticorum; quæ ad hominem, quæ ad Naturam, quæque ad Naturæ Parentem pertinere dignoſcuntur, haud ignoremus. Quare priùs humanæ Naturæ limites, diverſoſque hominum ſtatus, quomodo ſcilicet ſe habuerint, dum ſolâ Naturæ lege vivere ſueti erant, quæque illa æternùm manſura Lex præſcripſerit ab initio; ab ea verò, quomodo ad Civilem Vitam, illamque, quam univerſas penè apud Gentes Politiam cernere licet, devenerint; quæque ſint ejus ſpecies, quænam optimum tranquillumque Regimen præſtantes; quæ verò ſint perturbatæ, ac vitio affectæ, inveſtigare tenemur. Secundò verò: Cauſas in Natura poſitas, earumque progreſſus, Mundique totius admirabilem ordinem, magnitudinem atque concentum, figuramque perquirere, ut iis gradibus ad immortalis Dei veram contemplationem, qui poſtremus erit Sapientiæ terminus, quæque Summum hominis, extremumque bonum unicè conſtituit, abducamur. Sicut enim is, qui ex alta quadam ac denſa caligine primò in lucem prodit, non alibi Solis ſplendorem, quàm in Terra potis eſt contemplari, ſicque pauliſper con-

Digitized by Google

confirmato viſu, in Nubibus, Lunaque, ac tandem Solem ipſum audet contueri; Ità Dei Eſſentiam, ſummamque bonitatem priùs in rebus humanis, dein ipſis in Naturæ cauſis, admirabilique rerum omnium ordine animadvertere; ac tandem ipſam rerum omnium Moderatoris cognitionem, quantum Natura hominum Capax eſſe poterit, auſpicari tenemur; Licèt enim finitæ mentis oculi ejus fulgore perſtringantur adeò, ut omninò deliteſcant, atque cæcutiant, ad amorem tamen acui neceſſe eſt, cùm unicè humana cuncta eò debeant collimare. Nec propterea mirabimur, ſi tot apud Nationes diverſos Religionum ritus, ac Sacrorum monſtra videbimus; quoniam cùm ad Summi Numinis metum, reverentiamque Natura ipſa homines duceret, è *Religione* primi Rerumpublicarum fundatores partem *Policices* effecère, eamque accommodàrunt Civitatibus, adeò ut Religio eſſet propter illas, ùt de Romanis graviter Polybius inquit lib. 6.

Quâpropter eam ſuſpicere ſolummodò fas erit, quæ omni Civitate prior, nec propterea uti pars Politices, à Deo ipſo tradita eſt, adeoque vel eadem Politia pars erat Religionis, quam impletis myſteriis Deus ipſe verbo, exemploque firmavit, ac propterea nedum tranquillam Rempublicam, ſed hominem ipſum in hac etiam vita beatum unicè reddere potis eſt.

Hinc ut me duntaxat aliquatènus erudirem (nec enim exigui ingenii mei vires aliud ſuppetere agnoſcebam) placuit laborem aggredi, quô priùs de naturali hominum Societate, dein verò de Civili, poſteaque de univerſo Jure, ac tandem de vera Eccleſia ſermo inſtituebatur; jamque ab aliquot annis inter tot externarum rerum impedimenta, quibus undique circumdatus fueram, & nunc quoque implicitum doleo, ſcriptionem adeò continuò proſequutus eram, ut pauca ad abſolvendum, licèt male congeſtum opus, deeſſe viderentur; ſed proh dolor! fato quodam nupero ex Italia itinere cuncta intercidêre, & nulla profuit diligentia, nullæ impenſæ, nec ſummorum Virorum authoritas;

tas;

tas; nîl enim Ferrariæ, ubi in maximum hoc infortunium incidi, aliquid intentatum reliqui; hinc animum penè deſpondi, nullumque aliud ſolamen erat, niſì de iiſdem rebus Sermones cum amicis habere ſæpiùs.

Præcipuè verò frequentibus colloquis cum Excellentiſſimis Comitibus Marco Adamo, & Joſepho Czobor (a) mirum in modum delectabar; ſuſpiciebamque virum cùm Zelo & Fide ergà Cæſarem, præclariſſimisque rebus bello & pace geſtis, tùm animi altitudine veram gloriam adeptum, nedùm eam Reipublicæ ſcientiam, uti Marius ille, cujus duntaxat virtutes refert, profiteri, ſed humanarum Divinarumque rerum notionem aſſidua optimorum Authorum lectione ſibi quoque comparaſſe. Et vel prima juventa filium ad Virtutis Exemplar mirè compoſitum, excelſum, vividumque Animum adeo Sapientiæ Studio excoluiſſe mirabar, ut quamquam vetuſſiſſima, glorioſiſſimaque nobilitate præfulgeat, ipſa tamen virtute nobilior videatur, quàm Genere; hinc me vel ab initio in ſui admirationem traxit; quæ fuit occaſio ſcribendi; cum enim ſæpius vel Menſæ accumbentes de Civili Diſciplina, deque Romanorum Hiſtoria ſermo eſſet, eodem tempore monendo ambo jubere viſi ſunt, ut ea ſaltem ipſa, de quibus loquebamur conſcibere non diſpliceret. Quare Exercitationes aliquas breviſſimo temporis ſpatio elaboratas, ut eiſdem, ſicut par erat, morem gererem, in lucem edere deliberavi. In his autem, facultates primùm humanæ Naturæ, errorumque ac præjudiciorum cauſas, & naturalem hominùm juſtitiam, Sapientiæque terminum, atque in hac vita veluti bonorum extremum: dein verò Civilem diſciplinam univerſaliter quidem, breviſſimèque percurrere volui, ut faciliùs ad Civitatum præcipuarum Origines, Incrementaque, nec non Converſiones agnoſcendas, deſcribendasque deſcenderem, utque nedum ortus,

 pro-

(a) *Comes Marcus Adamus Franciſcus Czobor de Czobor Szent Mihalii, Arcium, & Dominiorum Saſſin, Holies, Ellesbo, Szomolanii, Viſenez, & Jokò hæreditarius Dominus, S. C. R. C. M. Intimus, & Excelſi Conſilii Hungarici Conſiliarius, Campi Vigiliarum Præfectus, atque in eodem Hungariæ Regno Janitorum Regalium Magiſter, Comitatûs Bodrogienſis Supremus Comes, & Legionis Hanſvianæ Cataphractorum Tribunus,*

progreſſusque, variæque illarum formæ, ſed interitus cauſæ velut oculis ſubjicerentur.

Ea autem eſt hujuſce ſcriptionis methodus, ut in Exercitatione de Civili diſciplina primò Familia, Viciniæque, dein Civitas, ac tandem ipſius Ordo, ſive Reſpublica breviſſimè explicentur; hinc ad varias ejus formas cùm rectas, tum aberrantes tranſeo, converſionumque cauſas, ac ſingularum formarum cautiones attingo; ac tandem de Magiſtratibus, deque Judiciis brevi quidem excurſu verba facio.

Hanc autem facultatem Regiam atque Arthitectonicam jure meritò nuncupârunt Plato & Ariſtoteles; quoniam nedum omnes Reipublicæ partes curat, conſtituit, & conſervat; verùm etiam cæteris facultatibus adeò neceſſaria videtur, ut nec percipi ſinè ejus adjumento queant. Quomodo enim Theologus Hebræorum Politiam à Deo inſtitutam, ejusque converſionem in Regnum intelliget? Aut quomodo Saulis, Davidis, aliorumque Regum actiones, ac inſtituta cognoſcet? Nec profectò Juris-Conſultus Legum univerſarum origines, earumque utilitates percipere, fortiusque (quod verum eſt Juris-Conſulti munus) uſquam Legislator eſſe poterit, nisì cognitâ Civitatum origine, earumque progreſſu, ac ordine ritè perſpectis; ùt enim Navis Gubernator ad omnem Cœli faciem & opportunitatem vela expandere, contrahere, ac invertere tenetur; ità Legislator ad Reipublicæ utilitatem, Civium ingenia, rationesque temporum, Civitatis Leges debet accommodare; Orator autem cuncta fermè adjumenea ex hac facultate mutuatur, quoniam in Magiſtratibus potiſſimùm, Legationibus, belli pacisque actionibus verſatur. Quis autem hiſtoriam à Politica ſejunxerit? cùm illa hiſtoriæ ſit anima; ea namque ſimpliciter actiones, Politica verò earum cauſas perſequitur. Quid cæteras percurrere neceſſe eſt, cùm nulla ſit facultas, cui ejus adjumento non ſit opus?

Exercitationes autem de humanæ Naturæ facultatibus, deque Juſtitia Hominum naturali non ſinè cauſa præmittendas duxi,

xi, cùm ipſismet Civilis Diſciplina principiis, ſuo veluti fundamento innitatur. Oportebat autem facultatem illam, Civitatumque ordinem auſpicaturo, juſtam rerum præconcipere ideam, animique motus rationi ſubjicere; quapropter tertiam Exercitationem de Vita beata Sapientis adnectere haud inane duxi; cumque his Exercitationibus Librum primum abſolvi. Secundum verò à Civitate Romanorum ordiri placuit, ut continenti veluti rerum ſerie ejusdem facultatis præcepta exemplis illuſtrarem, quorum nulla alia magìs ferax; cùm Converſiones omnes paſſa fuerit; nec enim, ùt cæteri, Vetuſtalia, privatasque Leges, & Ritus Romanorum, ac facta perſecutus ſum; ſed qualem Civitati formam Romulus, cæterique Reges dederint, quomodoque mutârit Tarquinius ille Superbus; cauſas item Converſionum, veramque ſub initiis Reipublicæ formam; ejusque tandem interitum, donec Auguſtus Cæſar rerum potitus fuerit, explicare conatus ſum; atque ab ipſo demùm Cæſare, cujus potiſſimam Status rationem attingo, ùt Tiberii quoque ad Auguſtulum uſque *Auguſtorum* ſeriem percurro; in cæteris autem Civitatibus eundem fermè ordinem, breviùs quidem, cùm nec tot converſiones, ingentesque motus paſſæ fuerint, ſervare volui; Divinam verò Hebræorum Rempublicam majori curâ, ſtudioque deſcribere par erat. Atque licèt Carolus Sigonius, compluresque alii abſolutas etiam Reipublicæ Tractationes elaborârint; haud tamen inanem omninò laborem ſuſcepiſſe confido; cùm illi nec per temporum ſeriem Politiæ mutationes, nec ordinem ipſum adeò accuratè expoſuiſſe videantur; in quibus propterea perpetuò ſedulòque verſari in animum induxi.

Cætera verò, quæ ad hiſtoriæ Leges, rectumque uſum pertinebant, Libro tertio tractantur, & vel prima ejuſdem Libri Exercitatio rerum ordinem, methodumque, quam ſervare placuit, palam facit.

INDEX.

LIBER PRIMUS.

De Natura Hominis, deque Civili Societate.

EXERCITATIO PRIMA.
De facultatibus humanæ Naturæ.
EXERCITATIO SECUNDA.
De Juſtitia hominum Naturali.
EXERCITATIO TERTIA.
De Vita beata Sapientis.
EXERCITATIO QUARTA.
De Civili Diſciplina.

LIBER SECUNDUS.

De Ortu & progreſſu præcipuarum aliquot Europæ Civitatum.

EXERCITATIO PRIMA.
De Civitate Romanorum.

Exercitationes, quæ ſecundo Volumine continentur.

EXERCITATIO SECUNDA.
De Civitate Lacedæmonum, & Athenienſium.
EXERCITATIO TERTIA.
De Civitate Venetorum.
EXERCITATIO QUARTA.
De Hebræorum Civitate.
EXERCITATIO QUINTA.
De pcæcipuis Europæ, quæ nunc florent, Civitatibus.

LIBER TERTIUS.

De vero Hiſtoriarum Uſu.

EXERCITATIO PRIMA.
De præcipuo Hiſtoricorum fine.
EXERCITATIO SECUNDA.
De recta Hiſtoriarum methodo.
EXERCITATIO TERTIA.
De ratione Temporum.
EXERCITATIO QUARTA.
De Populorum moribus & Ingeniis.
EXERCITATIO QUINTA.
De Quatuor Monarchiis.
EXERCITATIO SEXTA.
De Hiſtoria Legum.
EXERCITATIO SEPTIMA.
De Hiſtoria Naturali.
EXERCITATIO OCTAVA.
De Hiſtoria Sacra.
Concluſio Operis.

IN-

INDEX CAPITUM.

Quæ Libri I. Exercitationibus continentur.

ERERCITATIONIS PRIMÆ

Caput I. De duplici hominis Natura. Pag. 3.
II. De Lumine naturali. ibidem.
III. De rerum omnium formis. 4.
IV. De Angelis, & Anima Rationali. 5.
V. De Intellectu & Voluntate. ib.
VI. De principio aſſequendæ Veritatis. 6.
VII. De Cauſis Errorum ac præjudiciorum. 8.
VIII. De bonorum Extremo. 9.
IX. De Stoicorum Doctrina. ibid.
X. De aliis Errorum ac præjudiciorum cauſis. 10.

EXERCITATIONIS SECUNDÆ

Caput I. De quorundam Philoſophorum Placitis, quoad juſtitiam hominum naturalem. Pag. 12.
II. De natura hominum Sociali. 14.
III. De norma rerum humanarum. 18.
IV. De ratione Hominis. 19.
V. De Hobeſii Erroribus. 20.
VI. De Spinoſæ Impietate. 24.

EXERCITATIONIS TERTIÆ

Caput I. De ultimo fine hominis. Pag 25.
II. De juſta rerum Univerſarum Idea. ibid.
III. De Conſtantia Sapientis. 28.
IV. De Sapientis Actione. 29.

EXERCITATIONIS QUARTÆ

Caput I. De primo Civitatis Ortu Pag. 31.
II. De neceſſitate Ordinis in ipſa Civitate. 34.
III. De Variis Ordinibus Civitatis. 38.
IV. De Summa Poteſtate. 38.
V. De Dominatione Unius. 42.
VI. De Regali Monarchia. 43.
VII. De Tyrannide. 45.
VIII. De Ariſtocratia. 47.
IX. De Democratia. 49.
X. De Converſione Ordinis in Civitate. 52.
XI. De Cautionibus ſingularum formarum Civitatis. 58.
XII. De Legum Origine. 66.
XIII. De Magiſtratibus. 67.
XIV. De Fœderibus. 69.
XV. De Ordinibus Civium. 73.
XVI. De Collegiis. 74.
XVII. De Cenſoribus. 77.

Exercitationis Primæ Libri Secundi Capita.

Caput I. De Urbis Romæ Initiis. 83.
II. De prima Civitatis forma. 85.
III. De Officio Regis, Senatûs, & Popnli. 86.
IV. De Sacerdotibus à Romulo inſtitutis. 87.
V. De Aſylo. 88.
VI. De Nuptiarum ritu. ibid.
VII. De mixta Civitatis forma. 89.
VIII. De Ingenuorum, ac Servorum Officiis. 93.
IX. De raptu Sabinarum. ibid.
X. De fœdere cum Sabinis. ibip.
XI. De Cœde Tatii Regis. 94.
XII. De Romuli obitu. 95
XIII. De Interregno. ibid.
XIV. Do Numæ Pompilii Electione. 96.
XV. De Numæ Religione. 97.
XVI. De Religione Romanorum Univerſa. 98.

Caput XVII. De Diis Romanorum. ibid.
XVIII. De Peregrinis Diis. 110.
XIX. De Sacerdotibus Romanorum. 111.
XX. De Sacrificiis Suóve Taurilibus. 113.
XXI. De Paganalibus. ibid.
XXII. De Tulli Hoſtilii Electione. 114.
XXIII. De bello Albanorum. ibid.
XXIV. De Bello Fidenatium, Vejentiumque, ac Mettii Fuffetii ſupplicio. 115.
XXV. De artibus Romanorum ad augendam Civitatem. ibid.
XXVI. De Anco Martio Rege. 116.
XXVII. De Bello Latinorum. 117.
XXVIII. De Tarquinio Priſco Rege. 118.
XXIX. De Nævio Actio Augure. 119.
XXX. De Tarquinii Regis cæde. ib.
XXXI. De Servio Tullio. 120.
XXXII. De Comitiis Romanorum. ibid.
XXXIII. De Comitiis Curiatis. ibid.
XXXIV. De Comitiis centuriatis. 123.
XXXV. De Cenſu. ibid.
XXXVI. De Tributis Comitiis. 128.
XXXVII. De cæteris Servii Tullii Inſtitutis. 131.
XXXVIII De cæde Servii Tullii. 132
XXXIX. De Tarquinii Superbi Tyrannide. 133.
XL. De Lucio Junio Bruto. 136.
XLI. De uxorio Regiorum Juvenum certamine. 137.
XLII. De Sexti Tarquinii ſcelere, & Lucretiæ obitu. ibid.
XLIII. De Lucii Junii Bruti Juramento. ibid.
XLIV. De Converſione Civitatis. 138.
XLV. De nova forma Civitatis. 139.
XLVI. De Exilio Collatini. 140.
XLVII. De nobilium Adoleſcentium Conjuratione, eorumque ſupplicio. 141.
Caput XLVIII. De bello Vejentium, ac Tarquinienſium. ibid.
XLIX. De Lucio Valerio Conſule. 142.
L. De Marco Horatio Pulvillo. ibid.
LI. De Bello Hetruſco. ibid.
LII. De Fœdere cum Porſenna Rege icto. 143.
LIII. De Dictatoria Poteſtate. ibid.
LIV. De prima ſeceſſione Plebis in Montem ſacrum. 145.
LV. De Concordia Patrum, & Plebis, deque Tribunis ejuſdem. 150.
LVI. De Ædilibus. 154.
LVII. De Quæſtoribus. 155.
LVIII. De Prætore Urbano, & Peregrino. 157.
LIX. De Præfecto Urbi. 158.
LX. De Judiciis Romanorum. 159.
LXI. De Judicio Coriolani. 161.
LXII. De Spurio Caſſio Viſcellino. 162.
LXIII. De Lege Agraria. ibid.
LXIV. De modo deducendæ Coloniæ. 163.
LXV. De Limitibus. ibid.
LXVI. De Terminis. ibid.
LXVII. De Legibus Limitaneis. 164.
LXVIII. De prima Romani Agri diviſione. 165.
LXIX. De Senatûs Conſulto Agri dividundi. 166.
LXX. De rerum Urbanarum Statu. 167.
LXXI. De Bello Hetruſco, & cum Vejentibus. 168.
LXXII. De Cæſonis Fabii Virtute. ibid.
LXXIII. De Diſcordia Patrum & Plebis. ibid.
LXXIV. De Voleronis Audacia. 169.
LXXV. De Creatione Tribunorum Tributis Comitiis. 170.
LXXVI. De Colonia Antium deducta. 171.

LXXVII

Digitized by Google

Caput LXXVII. De Cajo Terentillo Arſa, deque Legibus Imperio Conſulari ſcribendis. 172.
LXXVIII. De Cæſone Quintio. ibid.
LXXIX. De Tribunorum plebis calumnia. 173.
LXXX. De occupato, recuperatoque ab hoſtibus Capitolio. ib.
LXXXI. De Conſulatu Lucii Quintii Cincinati. 174.
LXXXII. De Volſcorum, & Æquorum bello. 175.
LXXXIII. De Decemviris. 176.
LXXXIV. De Appio Claudio. 177.
LXXXV. De Contentionibus Decemvirorum in Senatu. 178.
LXXXVI. De Appii Claudii ſcelere. 179.
LXXXVIII. De Seceſſione Exercitûs, ac Plebis à Decemviris. 180.
LXXXIX. De nimia Plebis Poteſtate. 183.
XC. De die Decemviris dicta. ibid.
XCI. De Amneſtia. 184.
XCII. De fœdo Populi Romani judicio, Scaptio Authore. 185.
XCIII. De Canuleji Tribuni & Collegarum rogationibus. ibid.
XCIV. De Tribunis militum Conſulari Poteſtate. 186.
XCV. De Conſulatûs Magiſtratu plebejis etiam promiſcuo. 187.
XCVI. De præcipuis Romanorum bellis. 188.
XCVII. De Gracchanis ſeditionibus. ibid.
XCVIII. De Cajo Mario Conſule 189.
XCIX. De Agrariis, & Frumentariis Legibus. 190.
C. De Belli Socialis origine. ibid.
CI. De Bello Civili Syllanarum, & Marianarum partium. 191.
CII. De Lucii Syllæ Dictatoris Inſtitutis. 193.
CIII. De Sertoriano bello. 194.
Caput CIV. De bello Servili. ibid.
CV. De bello Mythridatico. ibid.
CVI. De Pompeji Virtute. 195.
CVII. De Conjuratione Catilinæ. ib.
CVIII. De Triumviratu Marci Craſſi Cæſaris, & Pompeji. ibid.
CIX. De bello Cæſaris, & Pompeji. 197.
CX. De Victoria Cæſaris atque Triumpho. 198.
CXI. De Cæſaris Dictatura perpetua. ibid.
CXII. De Cæſaris nece. 199.
CXIII. De Marco Antonio & Octaviano. ibid.
CXIV. De Octaviani Artibus. 200.
CXV. De Triumviratu Lepidi, Octaviani Cæſaris, & Antonii. 201.
CXVI. De bello adversûs Brutum & Caſſium. ibid.
CXVII. De bello Octaviani Cæſaris, & Antonii. ibid.
CXVIII. De Octaviani Cæſaris Principatu. 202.
CXIX. De Tiberio Cæſare. 206.
CXX. De Caji Caligulæ Dominatione. 208.
CXXI. De Nerone. ibid.
CXXII. De Galba Othone ac Vitellio. 210.
CXXIII. De Veſpaſiano, Tito, & Domitiano. ibid.
CXXIV. De Nerva Trajano. ibid.
CXXV. De Ulpio Trajano. ibid.
CXXVI. De Hadriano, Antonino & Marco Aurelio. ibid.
CXXVII. De Commodo, Pertinace, ac Didio Juliano. ibid.
CXXVIII. De Septimio Severo. 211.
CXXIX. De Antonino Caracalla. ib.
CXXX. De Macrino, ac Diadumeno. ibid.
CXXXI. De Vario Avito Elagabalo. ibid.
CXXXII. De Alexandro Severo. 212.

Caput CXXXIII De Maximino Thrace. ib.
CXXXIV. De Gordiano & Filio. ib.
CXXXV. De Maximo Pupieno, Cœlio Balbino, & Gordiano juniore. 213.
CXXXVI De Philippo Arabe. ibid.
CXXXVII. De Martio. ibid.
CXXXVIII. De Severo Hoſtiliano Gallo, atque Hoſtiliano Perpenna. ibid.
CXXXIX. De Deciis Patre, ac Filio. 214.
CXL. De Jotapiano, Lucio Priſco, ac Julio Valente Imperii Invaſoribus. ibid.
CXLI. De Treboniani Galli dolo, & Imperii Invaſione. ibid.
CXLII De Æmiliano. ibid.
CXLIII. De Licinio, Valeriano, & Gallieno. ibid.
CXLIV. De triginta Tyrannis. 215.
CXLV. De Flavio Claudio Auguſto. 216.
CXLVI. De Quintillo Fratre. 217.
CXLVII. De Aureliano. ibid.
CXLVIII. De Tacito. ibid.
CXLIX. De Floriano. ibid.
CL. De Probo. ibid.
CLI. De Bonoſo, & Proculo Anti-Cæſaribus. ibid.
CLII. De Aurelio Charo, Numeriano, & Charino. 218.
CLIII. De Diocletiano, & Maximiano Herculeo Auguſtis, Cæſaribus Valerio Maximino, & Conſtantio Chloro. ibid.
Caput CLIV. De Conſtantino. ibid.
CLV. De Severo, & Galerio Maximino Cæſaribus. 219.
CLVI. De Conſtantino. ibid.
CLVII. De Maxentio Herculei filio. ibid.
CLVIII. De Licinio Cæſare. ibid.
CLIX. De Maximiano Herculeo. ib.
CLX. De Conſtantino Auguſto. ibid.
CLXI. De Conſtantino, Conſtantio atque Conſtante. 222.
CLXII. De Juliano. 223.
CLXIII. De Joviano. ibid.
CLXIV. De Valentiniano. ibid.
CLXV. De Valente. 224.
CLXVI. De Gratiano, & Valentiniano Fratre. ibid.
CLXVII. De Maximo, & Theodoſio. ibid.
CLXVIII. De Arcadio, & Honorio. 225.
CLXIX. De Valentiniano. 226.
CLXX. De Avito Averno. 227.
CLXXI. De Majoriano. 228.
CLXXII. De Severo. ibid.
CLXXIII. De Antemio. ibid.
CLXXIV. De Olybrio. ibid.
CLXXV. De Glycerio. ibid.
CLXXVI. De Julio Nepote. ibid.
CLXXVII. De Romulo Momyllo Auguſtulo. ibid.
CLXXVIII. Concluſio. 229.

EXER

EXERCITATIO I.
DE FACULTATIBUS HUMANÆ NATURÆ.

DE homine loquimur, non quatenus corpus, ſeu materia quædam ex fibris, atque muſculis materialibus, peneque innumerabilibus fabricata, ſuis ubique turgeſcens humoribus, quorum virtute in arteriis, venis, nervis, limphaticis vaſculis, aliisque receptaculis exerta vivit, variàque ratione ſe movet, quod Phyſicæ Doctoribus permittimus; ſed quatenus eſt mente præditus, immortalique ſpiritu donatus; in quo propterea præcipuè intelligendi atque volendi potentiæ eluceſcunt. Mens autem ipſa ſua in materia veluti ſepulta cum corpore in lucem prodit, nec propterea præter externarum rerum imagines aliud primò ſibi offerri poteſt, ad quas quia nondum ad ratiocinandum apta, corporis ſcilicet infirmitate, ac imbecillitate impedita, totâ voluntate ferri neceſſe eſt. Primas igitur functiones in externis ipſis ſolummodo rebus, quæ mentem excitare, ac percellere aptæ ſunt, voluntate tantùm, atque imaginatione perficit, donec adulto jam homine reflectendi vim, ratiocinandique facultatem, quâ verum agnoſcit, veluti producit in aciem; paulatimque à rerum externarum imaginibus abſtrahendo, velum illud ignorantiæ ſcindit, ac veritatem aſſequi potis eſt; quod tamen haud ſinè labore, at-

Digitized by Google

que animæ defatigatione ſuccedit; conjunctio namque corporis ſatis eſt impedimento, quin mens ipſa à rebus externis, quæ illam percellere ac excitare aptæ ſunt, omninò abſtrahere ſe queat; cùm igitur ipſæmet rerum externarum imagines, perturbationes, cupiditatesque oriri faciant; efficax requiritur mentis mòtus, nè illis, ùt ſæpiſſimè accidit, trahatur; qui licèt primò tædium, laboremque oriri faciat, ſi tamen in contemplatione, reflexioneque perſiſtat, jam affectiones ipſas, quin verum agnoſceret, impedimento ſibi fuiſſe percipiet; unde illas averſatur, ac fugit; cùmque alio excitari motu, adverſaque incipiat affectione percelli, ac ipſam veritatem velut à longè ſalutare, ſuavi quâdam ſolidâque oblectatione afficitur; quare ad ipſum aſſequendum verum magis magisque ùt bonum impellitur; partim igitur pravis affectibus, ùt navis medio in mari perculſa ventis in ſcopulos incidit vitiorum; partim lumine rationis illuceſcente, coërcitaque ventorum, vitioſarum ſcilicet perturbationum vi, portum reſpicit veritatis; aliisque veluti propitio Zephyro ipſa mentis navicula ducta motibus, illum appellere ſatagit. Nunquam propterea ſinè hiſce animi motibus hominem invenies, cùm ſint ei, ut in actione verſetur, ab ipſa natura inditi; unde in homine ipſo quandam Reſpublicæ imaginem videre videor: Princeps enim mens ipſa, animi motus ſunt Cives, qui mentem excitant, atque adjuvant; Civitas verò animus, quem regere oportet, atque ùt Civitatis finis felicitas eſt populorum, ità ipſius animi alter eſſe nequit, niſi tranquillitatis aſſecutio, quæ tunc habetur, dum cupiditates ipſæ, perturbationesque obediunt; mens verò imperat, nulloque proinde, ut ità loquar, hominis Reſpublica vitio affecta eſt. Menti ergo in perturbationes Civilis, ac Regia Dominatio fuit quidem ab ipſa natura inſtituta; nedum quia præſtantiora ſecundùm naturam dominari oportet, ſed quia corpus ipſum ab anima vitam ducit, ac ſuſtinetur. Mens verò, ſeu facultas ipſa cogitandi, quæ ab anima unicè veluti è ſuo fonte promanat (nec enim notione corporis aliud præter extenſionem, ſoliditatem ac figuram intelligimus) rebus omnibus ab ipſa viventis corporis facultate pendentibus imperare debuit, ut cum potiore ſui natura convenientes ederet actiones; aliter enim ſemper duceretur natura corporis, adeoque affectionibus continuò circumvolvi, ac undique jactari deberet; licèt enim corpus ſinè juſſu animi nunquam agat; quia tamen ipſimet illi inhæret corpori, cujus

cujus ipſe, quatenus eſt cum eo conjunctus, particeps redditur; vi etiam ipſius corporeæ naturæ ſæpiſſimè trahitur.

De duplic hominis natura. Duplicem propterea facultatem in homine conſiderare debemus, nè ſibimet ipſi natura repugnare videatur, ſuisque damnetur legibus, ſi ratio, perturbationesque, virtus, & vitium ab eadem natura procederent; unumque alteri adverſare ur, illudque damnaret: ea ſcilicet, quæ ipſius corporis propria animum quoque ſecum trahit, ab ea proveniens lege naturæ univerſa, quâ omnia etiam circumaguntur, quâque cuncta in orbe gigni, & interire videmus, quæque Deum ipſum Authorem refert; ſua enim Omnipotentia motionem illam omnia permeantem certis legibus ordinavit, quibus rerum ipſarum univerſitas fieret: inque ſingulas ſpecies diſtribueretur, quibusque ità res creatæ reguntur, ut ſemper idem ordo ſervetur, nihilque præter eum intereat, aut producatur, quique, ùt eſt in rerum univerſitatem explicatus, nullum unquam vitium contrahere potis eſt, licèt res ſingulæ vitientur; ſemper enim in integritatem cedit univerſorum, cùm è diſſolutis rebus ſingulis alias regenerari videamus, ipſaque proinde communis natura ſemper reparetur.

Alia verò in homine facultas ab ipſa mente promanat, quam ſolus accepit; ei enim peculiariter, ſeorſumque à cæteris animantibus, rebusque corporeis indita, legem rationis conſtituit; quâ propterea tanquam præcipuâ, ac præſtantiori duci debet; tantumque ab ea cum rebus aliis in orbe exiſtentibus communi lege ad ſe derivare, quantum cum potiori illa rationis, quæ à cogitandi, ac reflectendi potentia ducit originem, concordare queat, ùt inferiùs diſſeremus.

De lumine naturali. Ex qua porrò illud, ùt vocant, naturæ lumen unicè fluit ad ratiocinandum, ac reflectendum, aſſequendamque veritatem aptiſſimum; quod cum ipſo naturæ impetu repugnat, licèt cum eo quam plurimi confudiſſent; unde ampliſſima errorum ſeges, totque Authorum diſtinctæ, pugnantesque Sententiæ provenêre; impetus namque ab ea corporis lege, quam diximus, deſumit originem, qui propterea lumen illud obnubilare ſolet, eumque homo ſequens, à ſua præſtantiori natura, cui parere tenetur, rebellis efficitur; rationemque relinquens, in perturbationum incidit motus, qui veritatem aſſequi haud ſinunt; imò extenuatis mentis viribus, corporis inde jam trahitur ſenſibus, qui hauriendo etiam è vitiis,

in quæ ſtatim homo dilabitur, falſam voluptatem; mentem ipſam in oblivionem præſtantioris boni violentiâ quâdam adducunt.

Ut autem naturales hominum facultates penitiùs cognoſci, ac veluti ob oculos poni queant, ſuo illas à principio tanquam à fonte haurire neceſſe eſt; licèt autem nullibi major ſit difficultas, quàm in ipſis veritatem aſſequendi originibus, quas profundâ quadam caligine, quaſi de induſtria natura circumtexit, non adeò tamen in homine vis intelligendi hebes, ut meditatione, aut reflexione, lumine rationis prælucente, ipſaſque tenebras diſſipante, mentis oculi cauſas ipſas, atque rectè cogitandi initia intueri nequeant. Formas rerum omnes juxta Philoſophorum Doctrinam correſpondens, ac proportionata ſequitur inclinatio; quò igitur ſunt perfectiores, ac è materia emergentes, eò ſublimior inclinatio ipſas comitatur; aliæ autem adeò in materia ipſa immerguntur, ut omni ex ſe ipſis ordinatione carentes, quadam veluti neceſſitate, ipſius naturalis dipoſitionis vi ad unum alligatæ, atque ordinatæ videntur; quare à natura indita proprietas ipſas adeò conſequitur, ut nullius prorsùs præter naturæ Authorem arbitrio ſubjacere queant. Hinc cœco veluti pondere ad finem admodum limitatum determinantur, ut ad centrum, circumferentiam, &c. hujus autem generis ſunt res omnes inanimes, atque inſenſibiles, veluti mineralia, plantæ, lapides, cæteraque hujuſcemodi.

De rerum omnium formis.

Aliæ autem aliquantulum è materiæ fecibus defecatæ, veluti media ſe habere videntur inter illas, quæ omnem penitùs excludunt à materia dependentiam, & eas, quæ nullatenus ab ipſa materia emergere dictum eſt. Cùm enim mundus ipſe ex partibus mirabili Dei artificio, ac ſapientiâ unitis, ac ritè compaginatis coaluiſſet, ipſas decuit ad extremorum unionem veluti media excogitari; quæ propterea non ad unum cœco impetu rapiuntur, ſed varios actus, motuſque proferre aptæ ſunt, atque externis rerum objectis adeò percelli, ut ad eorum variationem motus ipſos etiam edere diverſos videantur: ſic videmus canem ad blanditias, minaſque nunc geſtientem, nunc, timore veluti perculſum, fugam repentè capeſſere, nunc extero viſo furoris ſigna dare, ac propterea lapides, non jacientem, ſæpiſſimè mordere; hæ autem ſive ſint ſenſitivæ ſubſtantiæ, ſive à Deo ità diſpoſitæ, ut licèt automata eſſe dicantur, ab ipſo tamen Authore naturæ adeò quodam inſtinctu naturaliter indito regi videmus, ut tot pro tuitione, ac conſervatione

Digitized by Google

tione ſui valeant ciere motus, & omnia, quæ naturaliter exigunt, ſibi parare queant; ad quod unicè ab ipſa natura determinantur; inſtinctum tamen ipſum intrà limites nimis arctos coërcitum ſortitæ, ab eadem materia tanquam ab organo, & ſubjecto dependent, ac propterea ſuæ tantùm naturæ conſulere aptæ ſunt, cætera neſcientes; unde quid ipſis expediat, quidvè noceat, non dijudicant, nec diſcernunt, aut res invicem conferre valent, quod rationis eſt proprium munus.

De Angelis, & anima rationali.

At in eminentiori ordine illas porrò eſſe patet, quæ actui puro, Deo nempe, viciniores, adeò à materia ipſa receſsêre, ut à Deo nulla materiæ mixtione creatæ, nullam etiam ab ea dependentiam agnoſcant; nec propterea ipſius adjumento in ſubſiſtendo exigant; hæ autem ſunt Angeli, & anima rationalis, de qua oportet aliquid proferre; ea namque licèt quatenus ens creatum ad certum genus determinetur, ſoli enim Deo competit entitas infinita, in eo tamen ordine, quem intelligendi nuncupamus, amplitudinem habet penè infinitam; quare ſuam ſequitur naturam proportionata inclinatio, quâ fertur ad ſummum bonum tanquam unicè cauſam ſui, ad quod propterea ex ſuæmet proprietate naturæ, quam pro affectuum, ac motuum ſuorum omnium principio inditam habuit, ab initio unicè fertur. Quoniam autem ſummum bonum eſt ſolus Deus, illud quidem habitu ſemper diligit, actu verò, dum ad vim, proprietatemque exercendam naturæ ſuæ, nec externa, nec lex ipſa corporis naturæ promiſcua, quatenus cum eo conjuncta extat, impediunt. Ex quo in nullo particulari bono quieſcit; cùm enim totâ illud careat plenitudine bonitatis, licèt quodammodo ad idem ſe determinare, eumque eligere videatur, vi tamen inductâ ſenſuum, ac penè arreptâ, motu illo ab eis excitato deferveſcente, ſtatim ſuâ capacitate minora videt, atque ad ea nunquam alligatur, quia non ex inſtinctu à natura ſibi determinato fertur, ſed electione ſuâ, atque arbitrio falſæ bonitatis, aut utilitatis imaginariæ ſpecie deceptæ.

De intellectu, & voluntate.

Quam porrò animæ inclinationem in bonum, quô magìs, quàm voluntatis ipſius nomine nuncupabimus? hæc autem in tam magna vaſtaque appetendi capacitate non aliquo particulari judicio, inſtinctuque moveri, ſed ratione ſeſe dirigere, ac ad meliùs viſum determinari debuit: quæ quidem ratio ipſemet eſt intellectus, omni judicio inſtinctuque naturæ major, atque univerſalior,

lior, cujus auxilio deliberat, diſcutitque quid amplecti, quid verò fugere debeat; adeoque nè dum lumine ac directione procedit, ſed à naturali neceſſitate ad unum determinante prorsùs immunis, ut propterea ex propria electione, quia ſcilicet vult, non ex naturæ neceſſitate, nempe quia eſt, actus inde omnes eliciti ſequantur, in quo arbitrii noſtri libertatis eſſentia conſiſtit. Quare voluntatis & intellectûs mutuam dependentiam, proceſſumque ac ordinem ipſimet animi motus ab homine non perturbatione ac præcipiti feſtinatione abrepto propter externarum rerum imagines, ſed conſilio ac ratione ſeſe regente, ſi eos ritè perpendere velit, agnoſcuntur; dum enim de re aliqua deliberare aggreditur, primò quidem perceptionem ipſius rei tanquam aliquod bonum agnoſcit, adeoque ipſius intellectûs actum proponentem, ac dirigentem ſtatim ſequitur applicatio voluntatis, complacentiam quandam propter propoſitum bonum oriri faciens, quæ ubi fortiter ipſam percellere potis eſt, magis intellectum excitat ad deliberandum, an debeat illud amplecti: in qua maximè dijudicandi facultate vim conſiſtere intellectivam nemo non videt, ejus enim vi ex principiis primò naturaliter evidentibus ratione ac judicio concluſiones poſteà ad veritatem aſſequendam ritè deducuntur; quare eam conſequitur voluntatis approbatio, ſive conſenſus, cujus virtute denuò intellectus inveſtigare media incipit ad aſſequendum finem neceſſaria, ex quibus eâdem judicandi facultate aptiora proponit, quæ tandem voluntas ipſa eligit; unde demum opus ipſum homo aggreditur, propoſitoque fine aſſecuto, jucunditate quâdam, lætitiâque afficitur.

De principio aſſequenda veritatis.

Igitur eâdem judicandi facultate adeò mirabili quodam ordine homo ipſe progreditur, ut acquiſitas rerum perceptiones nedum ſimul connectat, ſed opportunè dividat, ſuperque illis naturalem veluti adhibendo Geometriam aptè ratiocinetur; ſicuti namque in artificialibus quantitatem continuam abſtractè conſiderando, tot Problemata, ac Theoremata efformat, ipſorumque veritatem licèt rerum compoſitione involutam, dummodo dividat ordinatè, demonſtrare potis eſt; ita etiam in ipſo naturali rerum ordine ſi conjuncta cum nominibus, quæ rebus ipſis imponere placuit, clara, diſtinctaque ſignificatarum rerum, earumque proprietatum, ſive attributorum idea, illam examini ſubjiciat, cumque bonitate ac malitia, utilitate ac damno convenientiam animadvertat, gra-

gradatim veritatem ipſam elicere poterit ; quare ſingulorum terminorum cognitione , veraque rei , quæ per illam indigitatur , idea probè imbutum eſſe opportebit, ut præjudicia, erroresque vitari queant , unde rectè Lochius (*a*) „ Homines , inquit , „ quibus ab ineunte ætate uſuvenit voces , quæ memoriæ „ traduntur , & nullo negotio retinentur, priùs diſcere , quàm „ ideas complexas , quibus annexæ erant , animo comprehendiſſent, priſtinum iſtum morem per vitæ totius curriculum plerumque retinent, & quidem claras, diſtinctasque „ ideas in mentibus ſuis formare haud ſatis elaborantes, verba „ adhibent ad eas , quas habent incertas , & confuſas notiones „ ſignandas, & quidem ſatis habent iisdem cum aliis vocibus uti, „ perinde quaſi ſono ipſarum idem ſemper ſenſus neceſſario ſubeſſet, etiamſi hoc ſatis eſt ad vitæ communis uſus , ubi rationibus hominum conducit ab aliis intelligi, & proinde ad illud „ ſignorum adjumento utuntur : tamen cùm voces, quas proferunt, „ hoc modo ſignificationis planè ſunt expertes, neceſſe eſt, ut „ quoties de opinionibus, quas amplexantur, aut rebus , quæ ad „ commoda ſua attinent, controverſia oritur , inſtitutus ſermo „ multi ſtrepitûs inanis, & loquacitatis ſinè ſenſu refertiſſimus ſit, „ præſertim in rebus mores ſpectantibus ; hic etenim cùm voces „ plerumque idearum multitudinem denotant ad hominum arbitrium congeſtarum non in natura ſibi invicem conſtanter cohærentium, ſeu illarum inanes tantùm cogitatione ſæpè comprehenduntur, ſaltèm obſcuræ valde, incertæque notiones ad eas attexuntur. Homines voces approbant, quæ apud vicinos communi ſunt in uſu ; atque nè forte, quæ iis ſententia ſubjecta „ ſit , ignorare videantur, fidenter eas uſurpant, certæ ſignificationis earum prorsùs ſecuri ; quo pacto præter operæ compendium illud etiam lucri faciunt, quod ſicut in ejuſmodi ſermonibus verè rariſſimè loquuntur , ità ſe in errore verſari haud facile convincantur ; & quidem ſi quis eos erroribus expedire conaretur , quorum errores, & vaga ſententia eſt, illi ſimiliter faceret, qui erronem, qui ſedem ſtabilem , & domicilium certum „ non habet, domo exturbatum iret, &c.

Poſteaque (*b*) ſubjicit : „ Hinc eſt , quod probabile mihi „ videtur, res in morali Philoſophia æquè ac Matheſi demon- „ ſtra-

(*a*) *De intellectu hum. lib.* 3. *cap.* 10. §.4. (*b*) *cap.* 11. §. 16.

„ ſtrari poſſe : rerum etenim, quæ vocibus moralibus deſignan-
„ tur, determinata eſt eſſentia ; atque ità rerum ipſa convenien-
„ tia, aut repugnantia ſciri certiſſimè poteſt ; in hoc verò perfecta
„ cognitio poſita eſt.

„ Et infrà: (*c*) Hæc verò hic obiter ut oſtenderem, quàm ma-
„ ximi momenti illud inſtar obtinet, ut homines in omni diſqui-
„ ſitione, in iis præſertim, quæ circa mores verſantut, propriam
„ vocis uniuscujuſque vim definitione declarent : cùm ſcientiæ
„ morali hoc lucis tantùm allatum ſit. Hoc ſi quis aſpernabitur,
„ is parùm ingenuus ſaltèm dicendus eſt : definitio enim unica eſt
„ ratio, per quam verborum moralium propria ſignificatio no-
„ teſcit ; hoc tamen modo ſenſus illorum certè adeò ſciri po-
„ teſt, ut nullus controverſiæ locus ſit relictus. Quare generis
„ humani ignavia, & pertinacia excuſationem non habet, ſi quæ
„ in morali non iis magìs ſint luculenta, & perſpicua, quæ in
„ naturali Philoſophia traduntur, &c. Hæc ille.

De cauſis errorum, ac præjudiciorum.

Sed ultra iſtam errorum, præjudiciorumque cauſam, ignoratio ſcilicet rerum eſſentiæ per voces ſignificatarum, altera, & quidem præcipua oritur ex ipſis rerum ſenſibilium imaginibus, quæ mentem adeò percellunt, atque aſſiduo penè motu afficiunt, ut inter ipſum, quem ſenſuum objecta motum excitant, atque ratiocinandi, verasque ideas efformandi facultatem quidam veluti conflictus intercedat, unde ab ipſis externis rebus abſtrahendi difficultatem, ac naturalem quandam repugnantiam experimur. Id autem unicè ab illis duabus corporis, mentisque naturis, quæ in unum hominem confluxêre, procedit ; ex ipſa enim animi, corporisque conjunctione illæ cauſantur affectiones, quæ unicum veluti commune bonum, voluptatem nempe appetunt, moleſtiamque averſantur, ac fugiunt ; quare jucundum illud, quæ ipſæ ſenſuum excitant functiones animum etiam pervadendo perreptat ; unde mens ipſa ſenſuum vi adeò premitur, ut ſæpiſſimè ſuperari, ac jam dictæ ipſius corporis propriæ facultati parere videatur, quam inter & peculiarem naturæ mentis congruentem, Rationis nempe, aſſiduum ipſum certamen, ac veluti pugna exoritur, ut propterea ſolus homo duabus naturis inter ſe diſcrepantibus ſecum ipſe dimicare cogatur ; nec tamen culpâ careat, ſi lex ipſa corporis victoriam obtinendo, eum abducat à lege mentis, quæ utpote præſtantior ei ſemper dominari, ac imperare tenetur, ſicuti

(*c*) *ſ*. 17.

cunctæ

cunctæ rerum univerſitati lex ipſa corporis dominatur ; ei namque ſubjicere bonum omne ex corporis, animique conjunctione promanans, ac ex utroque participans, quod voluptatem nuncupamus, imò ut illi omnino deſerviat, eamque mixtione ipsâ adjuvet, totis viribus efficere debet; incorruptum enim purumque veluti bonorum extremum, quo appetitiones, cupiditatesque omnes debent hominum collimare ac ferri, ſola ratio ut à corpore ſecreta præbere potis eſt; ad quod aſſequendum, quæ ab ipſa rationis lege ſunt ortæ virtutes dirigere, omnesque proinde ſenſuum functiones, atque animi affectiones, quæ vitia ducimus, & nuncupamus, quæque ab eo diſtinent hominem, atque avertunt, pernicioſiſſimos veluti hoſtes reputare tenemur.

De Bonorum extremo.

At quodnam inquies bonum ratio ipſa in hac vita producere potis eſt? illud quidem, cujus aſſecutione mens ipſa ægritudine omni, curarumque moleſtia immunis conquieſcit; animi nempe tranquillitas, ad quam aſſequendam ſola ratio virtutum ipſarum exercitio, quæ toti homini conveniunt, utpote præſtantiori ejus Naturæ cognata, debet Cupiditatibus imperare.

De Stoicorũ Doctrina.

Licèt autem, nè Stoicorum doctrinam objicias, eas veluti è medio tollere, omnemque protinus imperturbabilitatem adipiſci, ſicut ipſi affirmare volebant, ſit impoſſibile, rectum tamen ipſarum uſum poteſt homo aſſequi; quanquam & hoc difficillimum; ſi enim ſenſibilium rerum imagines ejiciat, ab eiſque quantum ſufficit mens ipſa ſe abſtrahat, ideasque rerum ratiocinio, ac reflexione præeunte rectè concipiat, nè dum ſenſus ipſi ei non erunt impedimento; ſed quouſque inhæret corpori, mentem ipſam ſuis motibus adjuvabunt, iis namque utetur ad rectè agendum; unde illud: *Virtuti immitte furorem.* Opus autem erit, non particularia aliqua rectè nôſſe, ſed univerſalium ſcientiam habere, ut eâ mediante ad particularia ipſa deſcendendo, eorumque naturâ probè perſpectâ, mens ipſa haud facilè decipiatur; ſi enim virtutum omnium particularium, ac vitiorum, animique affectionum fontem ipſum, ac univerſale principium ritè cognoverit, ipſius veritatis amore jam mens ipſa percellitur, paulatimque habitum inde efformare incipit ad ipſam rerum veritatem amore proſequendam, omniaque aſſecutionem ejus impedientia averſanda, ac fugienda; qui animi affectus motu ipſo rerum eſſentiæ cognitionis excitatus, ſicuti hominem ad virtutes ſectandas incitat, rectèque operantem

B reddit,

reddit, ità ſi deficiat, quamvìs nec ignorantiæ tenebris adeò involutus exiſtat, ut eam penitùs non agnoſcat, ipſa tamen ſenſuum functione, oppoſitaque affectione per motum à rebus externis excitatum orta ſæpiſſimè, ac faciliimè ducitur; unde illud Poëtæ Medeam ſic loquentem inducentis:

Video meliora, proboque; deteriora ſequor.

Adeoque unicus aſſequendæ veritatis fons uberrimus ipſa eſt ſapientia, quæ quia perennem, incorruptamque generat voluptatem, ipſam tandem animi tranquillitatem cauſat, atque tuetur; cujus proinde vi, atque amore rapti celebriores ſæculorum omnium viri etſi religionis lumine deſtituti, virtutes naturales adeò coluêre, ut nedum ſibimet ipſis lex fuerint, ſed cæteris parandæ felicitatis, quantum natura mortalis patitur, præbuerint exemplum, quod & Poëtæ ipſi ſæpiſſimè inculcârunt; unde Juvenalis illud:

Semita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

Et Stoici ſolùm ſapientem etiam in Phalaridis Tauro beatum eſſe pronunciabant. Ea tamen eſt humanæ naturæ vis atque facultas, ut ubi ſapientia deeſt, licet homines haud raro virtutum, bonique ſpecie decipiantur, ac Senſuum functione, rerumque externarum motu ducantur, quia tamen voluptates ab ipſis ortæ haud ſunt præſtantiori, ùt diximus, eorum naturæ convenientes, ut propterea ipſum hominem lædant; unde illud:

Nemo malus felix.

Et:

Rubet Auditor, cui frigida mens eſt,
Criminibus, tacitâ ſudant præcordia culpâ;

Hinc dolorem ſentiunt, atque ex illa practicorum, evidentiumque principiorum univerſali notitiâ particularibus ſuis actibus applicata, quod admiſêre lumini rationis diſſonum, atque repugnans deprehendunt, ac vident, moleſtiâque animi afficiuntur; unde Juvenalis Satyr. 13.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet Auctori; prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.

De aliis errorum, ac præjudiciorum cauſis.

Verùm, quia jam diximus, duas in homine confluxiſſe naturas, primamque infinitis rerum perceptionibus, quas externarum rerum

rerum producunt imagines, adeò corpus ipſum afficere, ut animum cum eo conjunctum ſecum trahat, mentemque ipſam inceſſanti motu fatiget, potiſſimùm, quia ab initio ipſis externis rebus præoccupati circa tantùm ſenſibilia primâ ætate ferimur; duplex agnoſcendæ veritati, parandæque ſapientiæ oritur inde impedimentum: ipſæ ſcilicet perceptiones innumerabiles à rebus externis ortæ, ipſaque ſenſibus obſecundandi voluptas, atque ab eis abſtrahendi moleſtia, ac propterea ad ratiocinandum, ac reflectendum repugnantia; cùm enim ratiocinatio ipſa mentis attentionem, motumque ſolâ ipſius vi excitatum, illoque è ſenſibus producto potentiorem exigat, quidam veluti dolor ex eo mentis labore percipitur, quem naturaliter homines averſantur, ac fugiunt; at alter, quem externa, ſenſusque cauſant, mentem ipſam, quia non ejus aciem intendere oportet, cùm tantùm facultatem ejus exerceat, gratâ quadam voluptate perfundit; quæ quidem cùm non ſit undequaque ſuæ naturæ conveniens, ùt dictum eſt, ad eandem fertur, atque recurrit; unde in ipſa veritate, ſapientiaque comparanda labor, atque moleſtia percipitur ab initio; poſtea verò animus ipſe voluptate ſolidâ, maximâque jucunditate, ac tranquillitate potitur; quare ſecundùm naturam idem prorsùs, ac beatè vivere Stoicæ diſciplinæ pronunciavêre Philoſophi, quod non aliter contingere poſſe affirmabant, niſi mente ipsâ in perpetua rationis poſſeſſione conſtitutâ; tunc enim hominem juxta naturam operari decernebant, cùm præcipuam ejus partem, quæ imò ipſum abſolutè conſtituebat, imperantem ſequebatur; quapropter animi affectiones omnes tanquam malas condemnârunt, cùm enim ex motu ab externis rerum objectis excitato produci, motumque ipſum potentiorem in dies evadentem animadverterent, fortes quoque ab iis excitari animi perturbationes, à quibus omnium homini malorum ſeges, agnoverunt; tunc propterea hominem omnino voluêre beatum, cùm mens ipſa omni externarum rerum imagine, motuque ſpoliata, ſuæque unitate naturæ perſpecta, contemplationi tantùm vacaret; ſic enim illud oriri affirmabant inæſtimabile bonum, ejus ſcilicet quies in tuto collocata, ex qua gaudium verum, & immotum, comitasque & animi diffuſio, quibus nec ùt bonis, ſed ùt ex bono ſuo ortis, delectatur, ex qua etiam liber animus, & erectus, interritus, ac ſtabilis extra metus, extra cupiditates, cunctaque ſuprà fortuita oritur.

Quæ quidem Stoicorum omnimoda tranquillitas, licèt potiùs optari quàm aſſequi poſſit, cùm nequeat mens ipſa, ùt dictum eſt, rerum externarum perceptionibus non moveri, nec dum ab illis abſtrahit, id ſinè motu efficere queat, omnis enim ejus actio in perenni veluti naturæ ſuæ inditâ motione conſiſtit; homo tamen facultatibus ſuis bene cognitis, externarum rerum, unde affectiones ipſæ producuntur, eſſentiam, proprietatesque reflectere debebit, quasque agnoſcet naturæ ſuæ, rationi nempe conformes amplectetur, ac bene diriget, ut mentem ipſam nedum facultatum ſuarum exercitio conſervet, ſed eam adjuvantes, alacriorem, potentioremque reddant; ac proinde licèt ſinè animi affectionibus reperiatur nemo, cùm hominem ipſum ad operandum excitent; ſapiens tamen in recto ipſarum uſu à turba diſtinctus, nec tantùm appetitu naturæ ducetur, neque impetu, ſed affectiones ipſas rationi ſubjiciet, adeoque ſemper ad bonum diriget; eas enim quæ ab ipſo appetitu ortæ à rationis regula recedunt, compeſcere valebit, & cum Stoicis ritè ùt vitioſas, ac tanquam animi morbos, ægritudinesque damnabit; diſſidium autem Stoicos inter & Peripateticos eò unicè redigi videtur, quòd illi motus omnes, affectionesque rationi conformes à voluntate non diſtinguebant, ipſiusque voluntatis actus ad bonum inclinantis eſſe affirmabant, ideoque affectiones omnes proſcripsêre, cùm illas tantùm virtuti adverſantes ità nuncuparent; Peripatetici autem, cùm utraſque agnoſcerent, eas, quæ rationi haud adverſantur, ſequendas eſſe docuêre, cæteras autem meritò damnârunt; quare in his, ùt in multis, quæ Philoſophi differunt, vocum diſcrimen advertimus, re tamen idem ſentiunt.

EXERCITATIO II.

De Juſtitia hominum naturali.

De quorundã Philoſophorum Placitis quoad juſtitiã hominum naturalẽ.

HAud cum turba negotium nobis eſt. Philoſophorum quàm plurimi cauſam agunt, quorum Duces Carneades, Prothagoras, cæterique non tantùm juſti, & injuſti naturam, honeſti vim, atque inhoneſti, ſed cæterarum quoque rerum naturas è medio tollentes, omniaque, ut cuique viderentur, atque apparerent, eſſe affirmantes: quorum ſucceſſores è recentioribus nec pauci extitêre. Quid enim aliud Hobbes agunt, atque Benedictus ille Spinoſa

noſa peſtis humani generis, cæteraque impiorum quorundam Politicorum turba, dum in ſtatu naturæ nîl præter potentiam agnoſcunt, omniaque ex mutuo metu proceſſiſſe adſtruunt, jus omnibus in omnia ullâ ratione adhibitâ tribuentes? ac propterea Lupos, Urſos, & Serpentes, qui nec ultrà famem rapaces, nec nisì laceſſiti ſævientes obſervantur, ipſis ab hominibus naturæ ſtatu attento ſuperari, ideoque ad mutuam cædem productos videri; imò ultrà progredientes, hominem utì Univerſi partem inadæquatam his inadæquatis affici ideis debere affirmârunt, quapropter vitia ejus veluti humanæ naturæ proprietates agnovêre; adeoque ità eſſe iis naturale, quorum malè eſt miſereri; quibus autem bene, invidere; ad vindictam pronos magis quàm ad miſericordiam eſſe; utque reliqui ex ipſius ingenio vivant, ſua probent, cætera quæ repudiant, & alii quoque reprobent, appetere; ſicut aëris æſtus, frigus &c. inde propterea fieri, ut cùm omnes pariter eſſe primi velint, in contentiones deſcendant, invicemque opprimi nitantur, quique victor evadit, magis de alterius damno, quàm de ſuo commodo gaudere videatur.

Sed naturâ, non hominum opinione conſtitutum eſſe jus, planeque nos omnes ad juſtitiam natos, licèt ex jam dictis antecedenti Capite ſatìs conſtare videatur, cùm à natura datam hominibus ratiocinandi facultatem oſtenderimus, aliæ tamen ex ipſa humanarum actionum praxi erunt proferendæ rationes, ut cum iiſdem adverſariorum armis pugnantes, ſecuriùs, certiùsque vincere valeamus; ab ipſis enim diverſis ubique gentium moribus præcipuè deducunt, nullum jus à natura peti oportere, ſed ab utilitate, ſcitisque populorum, quorum alter prout ſibi conducere agnovit, leges fixit; alter verò easdem abrogavit; quod autem proficiſcitur à natura æternum id, ſibique conſtans ac verum, unumque apud omnes eſſe ſemper oportet; ignis namque, ùt apud Indos, ſic univerſas apud Gentes urit, eademque eſt omnium aliarum rerum natura, nulloque temporis curſu variabilis; legum autem diverſa ubique facies, nam apud Lacedæmones, quæ reliquæ gentes latrocinia pœnis avertere niſæ ſunt, nedum permiſſa, ſed laudata fuêre; quare gloriam potiùs, qui non deprehenſi fuiſſent cum re furtiva, quàm pœnam aſſequebantur. Nullum apud alias ex cognatione quantumvìs arcta in nuptiis valuit impedimentum, ut propterea mater filio, natæ Pater, ſorori frater (quod ultimum

 & Græ-

& Græci admiſêre) jungeretur, de Parthis namque Lucanus ait:

Epulis veſanâ, meroque
Regia non ullos exceptos legibus horret
Concubitus.

Quid de Japponenſibus, qui (horrendum dictu) natos enecant, ipſorumque Sacerdotes Bontii nuncupati, ùt Cretenſes olim, æternùm deteſtanda illa Minois lege nefandum crimen admittunt, ac defendere audent.

Præterea cùm Philautia illa ſuadens, ut propria commoda alienis anteferamus, indubiè proveniat à natura, quomodo deſinent, quæ poſthabitis propriis aliena cuſtodiri jubent, contra vim eſſe naturæ, ac proinde ſtulta cenſeri?

De natura hominum ſociali. Nimis autem probans oratio iſthæc facillimè captioſa, nulliusque propterea eſſe momenti ſtatim apparebit, dummodo tantiſper hominis præſtantiam, ſuæque vim mentis, ac facultatem hac de cauſa ſuperiori exercitatione enucleatam in animum revocare non diſpliceat; ſolus namque ex tot animantium generibus, atque naturis eâ præclariſſimâ conditione à Deo generatus, ut particeps ſit rationis, & cogitationis, composque orationis, quæ mentis interpres dicitur, factus ſit, cùm cætera iſtarum facultatum expertia Natura prona, ac ventri obedientia finxerit. Quare ipſam cogitandi facultatem ad hominis naturam probè aſſequendam intendentes, eum advertimus manſuetum potiùs animal, ùt ait Ariſtoteles, cumque ratione ſe cum cæteris conciliari, naturalique quâdam ſocietate conjungi paratiſſimum. Licèt autem ſi primas ſenſuum functiones, ac naturæ ſequatur impetus, ſuam etiam cum alterius præjudicio promoveat utilitatem, quam tantùm propterea ſpectantes populorum aliqui obliteratâ pravis moribus, perverſâque educatione, & conſuetudine omni officiorum ratione, honeſtateque, tot impios mores amplexi, eos etiam utì leges, quamvis cum ipſo naturali jure pugnantes, ſequi ſtatuêre; nullus tamen quanquam rudis, atque indoctus, ſi dubitet, ac parumper cogitet id, quod facturus in alterum ſit, an jure facere poſſit, nec nè, ſeque illius locò eſſe putet, repentè non videbit, perturbationes illas, impetusque naturæ, quæ ad faciendum inſtigabant, jam veluti in alteram translatas Trutinæ lancem nullius eſſe ponderis, ſtatimque rationem ipſam robur ſuum exercere, ac propterea à faciendo dehortari, voluntatemque penitùs avertere. Quis autem adeò

adeò demortui pudoris poterit inveniri, ut admiſſo etiam in alterum, quod pro ſe noluiſſet, & non erubeſcat, & fateri audeat, actionemque ſuam uti juſtam defendere velit? Data ergo eſt cuilibet ratio, atque cognitio, quâ quod ſibi non vult, nec alteri faciendum eſſe diſcernit; cui autem, ùt Cicero ait, ratio à natura data eſt, eidem & recta ratio data eſt; igitur & lex, quæ eſt ipſius rectæ rationis in jubendo, & vetando quædam explicatio: ſi lex, jus quoque, cùm idem ſint; omnibus autem data eſt ratio; lex ergo, & jus omnibus datum eſſe fatendum eſt. Et quidem ſi puerorum etiam geſta intueri velimus, licèt perceptionibus tantùm externarum rerum ducantur propter ætatem, ipſos tamen rationis, ac æquitatis ſemina prodere advertemus; cùm voluptate enim ſocietatem inter eos ineunt, pactaque obſervant, præſtantiori obediunt, ludos ſuos probè inſtituunt, præmia rectè partiuntur, ſique aliqua oritur differentia, eam prudentiori committunt, ejusque arbitrio componunt. Ulteriùs, ipſa, quam ætate majoribus debent, reverentia, promptè ab illis exhibetur, deque eo, quod malè factum eſſe cognoſcunt, erubeſcunt, ac dolent; quos equidem motus eſſe à natura, quis porrò negare audebit? quam in omnibus ſequentes nec ſinè cauſa offendunt, nec ulciſci deſinunt, nec cauſam ſuam ſi coërceantur, defendere negligunt; rationes imò adducunt, quibus ritè feciſſe, aut ità fieri oportuiſſe demonſtrare conantur.

Si populorum etiam, quorum meminimus, mores introſpicere non piget, habent adhuc jura, quibus ſocietatem colunt, atque cuſtodiunt, quibus neglectis, nunquam ſtare, aut coaleſcere potuiſſet; ut nec latronum etiam, perditiſſimorumque hominum ulla poſſet vel breviſſimo tempore, neglecto jure, perdurare ſocietas, quæ ſolummodo ſalva & incolumis eſſe poterit, ſi alter alterum in partiendis ſpoliis non fraudet, nec ullus mentiatur, ſique alteri, quem præſtantiorem eſſe vident, obtemperent; pacta, fidemque religiosè cuſtodiant, ac ſervent, ſeque mutuò defendant; quam rationem tetigit Ariſtoteles, magisque Cicero amplificavit, eâque etiam D. Chriſoſt. uſus eſt. Quod autem à cæteris diſſentiant, multaq; admittant contra jus, atque honeſtatem, id, ùt dixi, pravæ conſuetudini, atque educationi tribuendum; nec inde propterea ſequitur, nullum naturæ jus inter mortales eſſe, imò potiùs tranſgreſſio ejus agnoſcitur, quæ propterea illud multò priùs exiſtere demon-

monſtrat; nec enim ejus, quod non eſt, aliqua poteſt eſſe transgreſſio; qua de cauſa illam Carneadis, Sectatorumque aliorum rationem nimis probare dixi, cùm jus omne deſtruat, quod tamen cunctas adeò efferatas, ac barbaras ſervare gentes eſt manifeſtum, cujus virtute pœnæ improbis, bonis autem prœmia, & honores proponuntur, cujusque vi pietas erga Deum, Parentibus obedientia, Patriæ amor, Magiſtratuum veneratio in pectoribus omnium veluti ſculptæ, atque adeò impreſſæ, ut vix aliquem, nisi ferarum more agreſtiſſimos etiam apud homines vixerit, invenias, qui hujus innati juris efficaciam non ſentiat.

Sed quæ gens adeò inculta, atque efferata poterit reperiri, ut ſcelera ac vitia, homineſque illa ſectantes non odio proſequatur, virtutes autem celebret, eiſque præditos extollat, nec ſummis honoribus afficere deſinat? Quæ comitatem, clementiam, liberalitatem, quæ gratos homines, beneficiorumque memores, Patriæ, ac ſuis utiles, quique honeſtè viventes neminem lædunt, non ſuſpicit, non veluti cultu proſequitur? Quis autem hæc non à natura hominum animis impreſſa, ſed opinione tantùm conſtituta poterit affirmare? An qui fortitudinem, magnanimitatemque exercet, juſtitiamque in omnes colit, id facit, quia ità hominibus ſic placuit? An non natura virtutes alias ſectatur, & ubi fert occaſio explicare lætatur?

Sed quis unquam homines non à natura factos, ac in lucem ad colendam ſocietatem editos fuiſſe negaverit? quod ſi nulla ſocietas perditiſſimorum etiam, ùt dictum eſt, abſque lege, & juſtitia conſiſtere poteſt, vel jus & juſtitiam natura exiſtere, vel haud naturâ ſociabile animal hominem eſſe neceſſe eſt, quo quid abſurdius? nec enim utilitate tantùm homines ſociantur, ſed quia ità nati ſunt, ut nec aliter vivere queant, nisi ſociati, ùt primâ Exercitatione dictum eſt. Aptum ergo natum animal ad ſe cum omnibus communicandum, aliudque alio participandum juſtum quoque naturâ factum eſſe oportuit, eâque mentis facultate præditum, ut bona à malis, juſta ab injuſtis, licitaque ab illicitis diſcernere queat, quâ, utì omnium ſuorum actuum regulâ uti debet. Quod ſi & ipſæ irrationales creaturæ, quæ naturali tantùm feruntur inſtinctu, præcipuè verò congregabiles, ùt formicæ, ùt apes, grues, &c. adeò quandam juris umbram exhibent, ùt Ariſtoteles politica etiam, ac civilia animantia nuncupaverit, quid de homi-

homine, qui tam adeò longè præſtat, quique ſuâ ratione, conſilioque regitur, dicendum erit? Grues compertum eſt (ùt Cicero inquit) (*a*) „ Cùm loca calidiora petentes, maria „ tranſmittunt, trianguli formam efficere. Ejus autem ſummo an- „ gulo aër ab iis adversùs pellitur: deinde ſenſim ab utroque la- „ tere, tanquam remis, ità pennis curſus avium levatur. Baſis „ autem trianguli, quem Grues efficiunt, eâ tanquam à puppi „ ventis adjuvatur, hæque in tergo prævolantium colla, & capi- „ ta reponunt. Quod quia ipſe Dux facere non poteſt, quia non „ habet, ubi nitatur, revolat, ut ipſe quoque quieſcat; in ejus „ locum ſuccedit ex iis, quæ acquieverunt: eaque viciſſitudo in „ omni curſu conſervatur.

Quid de Apibus, quid de Formicis, quæ in commune laborant, quæque vel hominem providum eſſe, ac vigilare docent, ut ſua tempore officia conficere poſſit? Sed nec egregium de animantibus Philonis locum latinè à Grotio in Prolegomenis redditum præterire viſum eſt. „ Imitatores, inquit, ſaltèm mutorum animan- „ tium eſtote homines, beneficio vicem rependere illa edocta nô- „ runt. Canes domûs defenſores ſunt; quin & pro heris moriun- „ tur, ſi quod ſubitò periculum eis contigerit; dicuntur & ca- „ num illi, qui greges comitantur, præcedere pecora, depugnan- „ tes ad mortem uſque, ut paſtores illæſos præſervent. Nonnè „ inter fœda fœdiſſimum eſt, in referenda gratia vinci hominem à „ cane, mitiſſimum animal à ferociſſimo? quod ſi à terreſtribus „ non ſatìs edocemur, tranſeamus ad naturam volucrum aëris „ viatricem, ut vel inde diſcamus quod oportet. Ciconiarum „ ſenes in nidis manent, volare invalidæ. Harum ſoboles per „ omnes propè, ùt dixerim, terras, mariaque volitant, victum un- „ dique Parentibus quærentes: illæ pro ætatis merito fruuntur „ quiete, rerum copiâ, deliciis etiam; hæ verò itineris moleſtias „ ſolantur pietatis conſcientiâ, & expectatione paris olim, ubi ſe- „ nuerint, à ſua prole; atque ità legitimo tempore debitum per- „ ſolvunt neceſſarium, quod accepêre reddentes. Neque enim ab „ aliis alimenta habere poſſunt, aut initio vitæ, parvæ cùm ſunt, „ aut natu grandes in vitæ exitu; quapropter non alio, quàm Na- „ turâ Magiſtro didicerunt educare vetulas, educatæ & ipſæ, „ cùm teneræ eſſent. Nonne verò hæc, ubi audiunt, habent, cur „ ſe præ pudore abſcondant, qui Parentum curam non habent,

(*a*) *De Legib. lib.* 2.

„ atque eos negligunt, quos aut ſoli, aut præ cæteris ſublevare
„ debuerant, præſertim cùm id facientes non tam daturi ſunt
„ quippiam, quàm id quod debent, reddituri? nihil enim eſt li-
„ beris proprium, quod non Parentum ſit priùs, qui aut de ſuo
„ dederunt, aut acquirendi præbuerunt cauſas.

Quare Ariſtophanes, multas eſſe lepidè avium leges, ait, Ciconiarumque ipſarum tabulas legum feſtivè memorat.

Quod autem dixi Naturâ juſtos homines factos, id ità intelligendum volo, ut nempe Deus ipſe naturalis hominum juſtitiæ Author unicè ſit habendus, Chriſoſtomum imitatus 1. ad Corinth. 3. dum inquit: „ Cum naturam dico, Deum dico, ipſe enim eſt „ naturæ opifex.

De Norma rerum humanarum.

Ut autem clariùs, penitiùsque hæc omnia dignoſcantur, ac naturalis hominum juſtitia prorsùs evincatur, ſeriò cogitandum nobis eſt, ſupremum ipſum mundi Opificem, ac Rectorem Deum, dum Univerſum ex nihilo creare voluit, ideam ordinis in ejus regimine ſervandi, ſecundum quam & ipſe ageret, & omnes creaturæ, præcipuè verò rationales, quæ prima ſunt, ac nobilior Univerſi portio, agere deberent, ab æterno in mente ſua præconceptam actu determinâſſe, quâ legem ipſam æternam, nè vocem notione vacuam anteponere videamur, intelligimus, quamque uti perennem juris fontem, primamque totius honeſtatis originem unicè agnoſcimus; ùt enim inferior omnis Architectus pro ædificio, quod formare deliberat, nè dum ideam priùs concipit, quam ipſe in operis progreſſu ſervet, ſed eam vult à cæteris ſervari, ac præ oculis haberi, ut rectè agant, eoque propterea cuncta colliment, ut rectè procedendo, opus abſolutum reddant, nec à fine aberrare queant; ità Deus Opt. Max. juxta æternam illam ſuæ mentis ideam debuit homini, ut ſe regeret, actusque omnes bene ordinare poſſet, regulam aliquam communicare, quam religiosè cuſtodire, ac ſervare deberet, cùm omnis ordo ſecundùm normam aliquam in mente ordinantis exiſtentem, procedere debeat; ſic in artificialibus cuncta ſecundùm regulas artis, quæ ſunt in intellectu artificis, ſequuntur; ſic politicus ordo regulas in mente Principis præconceptas unicè cuſtodit, ac ſervat; ergo naturalis etiam ſecundùm illas ab Authore naturæ intentas operari, curſumque ſuum explere debuit, quas perpetuò in orbe ſervati ſuſpicimus; ex his enim illa rerum conſentiens, conſpirans, & continuata co-

gnatio

Digitized by Google

gnatio procedit ; ex his in tot naturæ moribus, tantiſque temporum, ac rerum viciſſitudinibus certus ſemper, ſibique conſtans ordo promanat. Cùm autem ab Authore ipſo naturæ hæc omnia ſapientiſſimè regantur, ac propterea aliquam in ſe operis ſui regulam exigant, homini ſe ipſum gubernanti, actuſque ſuos, ùt ſibi placet, ordinanti, danda fuit lex, ac norma, quâ ſe ritè, rectèque regere, ac ad Authoris ſui mentem operari valeret. Unde enim facultatum ſuarum vis, & potentia cogitandi ? unde conſilium, prudentia, rerumque gerendarum ſolertia ?

Quare à naturæ lege recedentes, peccatum neceſſariò admittunt, quia ùt D. Auguſtinus loquitur, contra legem æternam faciunt ; hinc omnium humanorum actuum hæc prima regula eſſe debet, & norma cæterorum ; ſic motus primi mobilis omnium aliorum motuum menſura eſt, & ordo ; ſic amor omnium aliorum effectuum cauſa, &c. ſic quoque Divina etiam ratio, & ordo ab illa præconceptus, quem legem æternam nuncupamus, omnem aliam rationem, ac intelligentiam in cæteris præcedit ordinibus.

Atque in hunc ſenſum dicitur, Deum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. Quare cùm Regius ille Propheta Pſalm. 4. dixiſſet : *Sacrificabo Sacrificium Juſtitiæ* (bona ſc. opera) ſibi objiciendo, addens : *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona*, reſpondit : *Signatum eſt lumen vultûs tui Domine ſuper nos* ; lumen nempe, ùt D. Thomas ait (*a*) rationis, quod in nobis eſt ; *in tantum enim* (Deum alloquens) *potes oſtendere*, inquit, *nobis bona, in quantum eſt lumen vultûs tui*, id eſt à vultu tuo derivatum.

De Ratione hominis.

Ratio autem humana ab ipſa lege æterna tanquam propria ejus imago derivatur, unde duplicem noſtræ voluntatis regulam agnoſcere debemus, proximam ſcilicet, & homogeneam, ùt eam Divus Thomas appellat (*b*) Et ipſa eſt nobis indita ratio ; aliam verò, utì primam, ac præcipuam, & ea eſt lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei. Hominum autem ratio, vel in notitia univerſali principiorum, quæ practica nuncupamus, verſatur, vel dum ad actus particulares cum reflexione, atque interiori agnitione applicatur per modum judicii ; nempe quando nedum aliquid egiſſe cognoſcimus ; ſed cùm an peragenda ſit actio, vel an bene facta ſit, inquirimus, ipſamque veluti ante rationis Tribunal ſiſtimus, à quo ſi damnetur, ſynderesis illa & dolor excitatur ; unde con-

(*a*) *p.* 2. *q.* 19. *art.* 4. (*b*) 1. 2. *q.* 71. *art.* 6.

Digitized by Google

conſcientiam remorderi ajunt ; ſin autem probatur, lætitia illa exoritur, & complacentia, quam propterea ſemper animi tranquillitas comitatur, quæ cùm ſit incorruptum, ac maximè exoptandum hominis bonum, meritò à juſtis, ſapientibusque tantummodo vindicatur ; hinc ſemper flagitia ipſa, atque facinora Authoribus ſuis in ſupplicium vertuntur ; unde Tacitus egregiè; (*a*) „ Neque fruſtrà, inquit, præſtantiſſimus ſapientiæ (Platonem intelligit) firmare ſolitus „ eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus, & „ ictus, quando ùt corpora verberibus, ità ſævitia libidine, malis „ Conſiliis animus dilaceratur. Quippe Tiberium non fortuna, non „ ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuasque ipſe pœnas fateretur. Quam porrò miſerrimam tyrannorum imaginem luculentiſſimè expreſſit Cicero, ac veluti noſtris objecit oculis famigerato Dionyſii Syracuſanorum Tyranni, & Damoclis exemplo.

De Philautia autem quod dicebatur, ſi acutiùs rem perpendere velimus, ipſa eadem ſuadet, non eſſe utilitatem propriam cum alterius damno captandam, dum ex ipſa docemur, haud alteri faciendum, quod nobis nolumus, nè in caput proprium ruinam accerſere noſmetipſi dicamur. Debet igitur rationem Ducem habere, ac proinde rectum ſequi, quod & ipſam naturalem hominis juſtitiam evincet.

Nec profectò ſequitur ; hic aut ille Populus injuſtitiam colit, hic aut ille tyrannus evaſit, ergo nulla datur juſtitia ; dum idem porrò eſſet, acſi diceretur, Medicus hic ægrotum occidit, ergo non datur medicina. Sunt quippe à jure ipſo aberrationes, quæ aliquorum perturbationes, impetusque Naturæ ſequentium defectus accidunt, ac tantum abeſt, ut juſtitiam non à natura ortam probent, quod id ipſum potiùs evincere videantur.

De Hobbeſii erroribus. Ex quibus etiam Hobbeſiana illa civilis doctrinæ dogmata ſtatum hominum naturalem hoſtilem eſſe, bellumque omnium in omnes, naturam homines diſſociàſſe, inque mutuam cædem aptos produxiſſe, cum veritate, rectâque ratione pugnare evidentiſſimè liquet. Si quis autem penitiùs reflectendo progrediatur, Authorem ipſum ſibi manifeſtè contradicere agnoſcet, nec ideò ſcripſiſſe, ut exacerbatos popularium ſuorum animos ad pacem, & concordiam, ſummæque poteſtatis obſequium revocaret, ùt vitæ ejus Scriptor litteris prodidit, ſed potiùs ut concitatiores, inque regiam Majeſtatem contumaciores efficeret, ipſamque penitùs ſocietatem ever-

(*a*) *Annal.* 4.

everteret, toti propterea humano generi injuria ſunt exiſtimanda. Quî enim ſi Naturæ lex, ùt ille definit, *dictamen eſt rectæ rationis circa ea, quæ agenda, vel ommittenda ſunt ad vitæ, membrorumque conſervationem, quantùm fieri poteſt, diuturnam;* effici unquam poterit, ut à recto rationis dictamine proficiſcatur illa in mutuam cædem inclinatio? An ipſa recta quoque naturalis ratio poſtulat, ut unusquisque jus habeat omnia bello acquirendi; ut unicuique omnia habere, & omnia facere liceat in quoſcunque, ſuarumque actionum ſolum judicem eſſe? an dictata rectæ rationis tantùm menſura erunt utilitatis? At ſi hoc eſt naturali jure permiſſum, quis negliget ad ſuam naturam redire? Cuinam pro crimine objici poterit, ſi hoſtis eſſe velit, atque ad ipſum naturæ ſtatum reduci? tunc certè æqualis Regi, æqualis omnibus judex ille ſuorum operum collectà perditiſſimorum hominum turbâ bellum indicere, de jure graſſari, occupare omnia poterit? Nec jure in eum agi tanquam proditor, tanquam rebellis, fur & latro, quia revocatus ad naturam ſuam, jure agit, & per dictamen rectæ rationis; hoſtis propterea dicendus erit, nec ſi majori potentiâ coërceri nequeat, notam aliquam mali hominis, aut infamiam ſubibit, gloriam imò apud Poſteros aſſequetur?

Atqui ajunt Hobbeſianæ doctrinæ aſſertores, aliud eſſe Naturæ legem definire, aliud ſtatum illum hominum naturalem ob oculos ponere; hic bellum eſſe dixit Hobbes omnium in omnes, Naturæ legem rectæ rationis dictamen nuncupavit. Sed videant quæſo, quomodo magìs, magiſque contradictionem involvant acuti Scriptoris effata iſthæc; inquit enim, eſt lex Naturæ dictamen rectæ rationis; ergo inferre neceſſe eſt ab ipſa Natura rectam hominum rationem proficiſci. Status igitur hominum naturalis aut eſt ſicut ipſorum ratio exigit, aut non; ſi primum, ergo non eſt bellum omnium in omnes; ſi verò ipſimet rationi adverſatur, quomodo ampliùs eſſe poteſt Naturæ ſtatus? Si hominum Natura eſt potiſſimùm recta ratio, dumque propterea eam non ſectantur, diverſum ſtatum conſtituere dicendum erit, ac ipſa exigit recta ratio; igitur non erit ampliùs Naturæ ſtatus, ſed aberratio. Si dixiſſet Hobbes, abſque Civitate, & Principe nequiviſſe homines in ſtatu Naturæ, quæ rectæ rationis uſum includit, conſervari, pravos ob affectus ipſos tantùm naturæ impetus ſequentes, quorum vi mutuâ injuriâ, mutuiſque cædibus ſeſe affeciſſent, malaque hæc

non ſtatui naturæ conformia, ſed ab ipſo potiùs aberrationes nuncupâſſet, ſtaret utique definitio cum ipſa hominum ſtatûs deſcriptione bellicâ, naturali rationi adverſante; nec enim naturalis hominum ſtatus alter eſſe poteſt, aut debet, quàm ipſa jubet non tantùm univerſa Naturæ lex, ſed humanæ naturæ peculiaris; quapropter ſi eam homines negligant, omniaque bello, ac vi miſcere velint, jam ſtatus ille non ampliùs naturalis erit nuncupandus, cùm ab ipſo Naturæ dictamine aberret, ſed potiùs naturali repugnans, quia Naturæ vitium, non autem dictamen ſequitur. Haud ergo, ùt Hobbes voluit, Natura homines diſſociavit, atque produxit ad mutuam cædem, ſed quia Naturæ lumen ſectari nolunt, hæc admittere facinora videntur; nullum enim aliter eſſet in ſtatu naturæ dictamen rectæ rationis; quod utique manifeſtam contradictionem involvit.

Prætereà cùm ſummè imperantes in conditione, & ſtatu naturali eſſe nemo ambiget, quis unquam eis vitam, bona, ſpes denique omnes poterit concredere, cùm ſingulos metum illum habere oporteat, nè ſcilicet Naturæ vim, ejuſque ſtatûs dictata ſequentes ipſos ſigillatim abſorbeant; eoque magis timendi eſſent, cùm omnium vires exercere queant; in eos namque fluxêre, unitæque redditæ cernuntur; quid enim non cogitare, & exequi auderet prava omnia in omnes perpetrandi voluntas cum ſumma potentia in ſtatu naturæ juncta, ſi hæc ipſa juxta Hobbeſiana dogmata ſecum ferret naturæ ſtatus?

Quis autem ſævientibus ità ex natura hominibus atrocium unquam bellorum, dirarumque cladium eſſet finis? An ut altera Civitas alteri bellum inferat, extremaque adhibere media velit, ut eam ſui juris efficiat, cùm id ei jure liceat, præter voluntatem aliud requires? An ipſa tantùm Imperii, ac Majeſtatis fines ampliandi cupiditas nimis ad bella gerenda non excitat voluntatem? Quæ ſi juſta eſt ex ipſa natura, nulla jam gens eſſet, terræque nullæ, quarum incolis hæc profari liceret. (*a*) „ Quid nobis „ tecum eſt? nunquam terram tuam attigimus, qui ſis? unde ve„ nias? licèt ne ignorare in vaſtis ſylvis viventibus?

Quod ſi, ùt Hobbes affirmavit, lex ipſa Naturæ nullam obligandi vim habet, niſi quatenùs pars eſt legis à Civitate conſtitutæ, jam propterea eam cuique fas erit ſpontè tranſgredi, cùm ſeſe in naturalem ſtatum aſſerere videat, unde ipſemet Hob-

(*a*) *Scytha ad Alex. apud. Q. Curt. l. 4.*

bes

bes tunc nullo Imperii jure puniri tanquam Civem poſſe docuit, ſed uti hoſtem. Quis autem dum hoc à ſola voluntate proficiſcitur, eâ doctrinâ imbutus non omnia repetere, & vel ſummam rerum evertere audere poterit? Reges igitur, & Cives, & Magiſtratus denique omnes perpetuò rebus ſuis diffidere deberent, cùm undique ſatis juſtæ ſuppetant cauſæ, velle ſcilicet alios in priſtinum naturæ ſtatum reverti, alios verò facultate ab ipſa natura recepta uti. Quodnam enim ſufficiens, ac potens unquam excogitari poterit vinculum, ut longè adeò diſſita, atque inter ſe adverſa, vel brevi momento in concordiam redigere potis erit? Aut quiſnam *adeò pugnantia ſecum frontibus adverſis componere unquam potuiſſet? Naturam expellas furcâ, tamen uſque recurret*, dixit ille; Ergò quænam erit fœderum, pactorum vis, & obligatio inter Civitates, Principesque Viros ſummam rerum habentes, ſi ſunt invicem in ſtatu naturæ, & propterea bellico? An non omnia fruſtrà fient? An ulla remanebit Legatorum incolumitatis certitudo? Quomodo mercatorum fortuna omnis, Commerciorum, & hoſpitii jura ſarta tecta eſſe poterunt, cùm nemo à potentiorum vi ſecurus unquam reddi valeat, vel enim ipsâ cogente naturâ feruntur ad ſtatum bellicum, quo omnia jure poſſunt in debiliores experiri, nemo enim injuriam facit, cùm ſtatum ſequitur naturæ ſuæ.

Sed clamant Hobbeſii aſſeclæ, longè aliter ſe habere homines, dum in Civitate verſantur, pactisque obſtricti, ſub Magiſtratu vivunt (multa enim, quæ ipſo in ſtatu Civitatis tanquam facinora vindicantur, rectiſſima eſſent in ſtatu naturæ, & ſecus) quam ſi in primo dumtaxat ſtatu naturæ conſiderentur, quo tantùm differunt ab illo, quem nunc ſub diverſis Politiæ ſpeciebus colunt, quantùm cultores amicitiæ ab iis, qui vitæ, ac fortunis noſtris inſidiantur; quare Societates omnes ideò per pacta coaluiſſe concludunt, ut tot malis, quæ à ſtatu ipſo Naturæ cauſabantur, quomodocunque à prudentioribus remedia adhiberentur.

Ergo, inquam, remedia ipſa non ùt ſtatus hominum à Natura intentus, ac propterea naturalis aſſequatur, ſed ut evertatur, eſſe adinventa fatendum erit? At ſi repugnare hoc rerum ipſarum evidentia demonſtrat, quis profectò negare audebit, primùm hominum naturæ ſtatum bellicum non fuiſſe, pacemque potiùs, mutuamque hominum opem, ac ſocietatem Naturam intendiſſe, totiusque propterea Politiæ genera ad eum finem, quem recta ratio ab

ab ipſo Naturæ lumine defluens, pacem ſcilicet cuſtodiendam, mutuaque officia inter homines ſervanda, conſequendum, conſtituta fuiſſe?

De Spinoſæ impietate. Ex quibus quanti etiam Spinoſiſtarum aſſertio illa ſit facienda, quâ hominibus, ùt ſunt pars Univerſi, naturæ inadæquatis regi conceptibus, mentisque, & carnis ductibus obedire adeò conveniens eſſe autumant, ut omnes illæ Animæ commotiones, & affectus, non vitia, ſed proprietates, adeoque neceſſariæ, certisque ex cauſis ortæ dicantur, & ſint; hinc perſuaſionem omnem in affectus parùm poſſe, religionemque ipſam, ubi maximè neceſſe eſſet, nec plurimum valere, in foro ſcilicet, aula, omnique alio hominum commercio; ſed ubi non communicant; in templis nempe, atque in mortis articulo, dum morbus ipſe affectus omnes vicit, ac homo ſegnis jacet. Quæ quidem deterrimi novatoris effata nedum hominem, ſed cum Stoicis Deum, & omnia fato ſubjiciunt, ac neceſſitati cauſarum; libertatemque arbitrii penitùs evertunt; quare nunquam ſatìs mirari deſino, unde tanta in hominum pectoribus proceſſerit audacia, dum nemo verè ſapiat, nisì ignorantiæ ſuæ ſibimet ipſi conſcius exiſtat; An ergo Spinoſæ tantùm verum aſſequi datum eſt? Solus ille rerum cauſas perſcrutare ſimul, & adeò agnoſcere potuit, ut aliis tanquam revelata myſteria venditaret? Quis autem negare audebit, homines extitiſſe, qui libertate arbitrii freti, ac ratione ducti, vel in juventute affectus omnes adeò vicere, ut nedum facto, ſed nec cogitatione ipsâ ab honeſtatis, virtutisque itinere aberraverint unquam? An veterum, novorumque Librorum ſacra, profanaque monumenta ullam merentur fidem? An Philoſophorum nemo extitit, qui in aliquo ſaltèm virtutis genere ità excelluit, ut ſuæ commotiones naturæ ſub jugum miſerit, & victor ſemper evaſerit? Quid ergo neceſſitatem, quid vitium blaterat ille proprietatem naturæ? Sentit quicunque vult in ſe ipſo rationis, reflexionis, conſcientiæ, quibus malum averſatur, vim, atque tormenta. Sentit claram illam mentis cognitionem, qui ritè malum à bono ſecernit, quaque determinato inde judicio cum aliis ritè pariter judicantibus convenit, & intrinſecè propterea in conceptu rectè judicantis includi debeat, cujusque vi ſæpiſſimè cupiditates quiſque coërcet ſuas. Quod ſi proprietates eſſent humanæ naturæ, jam nunquam poſſent per Magiſtratus,

tus, Legumque pœnas coërceri, nec à malo propterea unquam flecterent, illudque homines deſinerent averſari.

Sed hæc relinquamus iis, quibus talia perverſæ adeò Doctrinæ elementa diſcutiendi animus fuit. Peſſimi interim Novatores iſti haud reminiſci ægrè ferant, ſuam, ùt cæterorum omnium, limitatam adeò eſſe intelligentiam, ut, quò magis velint in naturalibus rerum cauſis inquirere, eò magìs, ſi verum amant, neſcire, atque ignorare, conſcientiamque erroris ſui fateri cogantur.

EXERCITATIO III.

De Vita beata Sapientis.

De ultimo fine hominis.

NUnc autem ſapientis vitam, quam recto affectionum uſu, ac imperante ratione meritò beatam nuncupamus (ipſum enim agere, atque operari ad præſcriptum rationis naturalis eſt homini felicitas) ob oculos ponere debemus, ut ad eam ex animi ſententia imitandam ejus imago ſit veluti incitamentum, utque nedum lege ipsâ rationis, ac mentis virtutes omnes ſectandi ſtudio teneamur, ſed cupiditates ipſæ, animique affectiones, lexque corporis peculiaris, juſtitiæ, ùt Apoſtolus loquitur, arma exhibeant ad finem ipſum, quem veluti ultimum in hac vita nobis proponere debemus, obtinendum, animi nempe tranquillitatem; ut præſtantioris etiam (æternæ ſcilicet felicitatis,) abſoluto itinere, majori cum fundamento ſpem fovere valeamus.

De juſta rerum univerſarum Idea.

Sapiens igitur omnia potiſſimùm ad animi curam transfert, obiterque tantùm ea, quæ corporis ſunt, ac pro neceſſitate naturæ peragit, cunctiſque præjudiciis liber, juſtaque rerum univerſarum idea præconcepta, voluntatem, ſenſuſque rationi ſubjicit, quâ præeunte ſtatim quæ in noſtra poteſtate manent, quæque à nobis ipſis unicè dependent, & quæ imperio fortunæ, potentiorumque vi ſubjecta aſſiduo penè motu veluti vertuntur in orbem, cernere valet; quare in his, quæ penès ſe eſſe videt, ſummum exoptat locum, eoque rectà tendere nititur; cætera admittit quidem, nec aſpernatur, haud enim ſe fortunæ muneribus, ſuæque virtutis fructibus putat indignum; ſed nec illorum poſſeſſione inflatur, nec admiſſione cruciatur, aut dolet, ipſiſque ſemper utetur, ut majorem explican-

dæ virtutis nactus occaſionem videatur, paupertate autem ejus animus nec inclinatur, neque deprimitur; hinc dum ſapiens eſt dives, temperantia, liberalitas, magnificentiaque vocem, & faciem emittunt ſuam. Non ejus opes alicui detractæ, non cujuſquam ſanguine cruentæ, non dolo, injuriâve quæſitæ, aut quomodolibet malè intrantes adſpiciuntur; ſed tantùm virtute partæ honeſtum introitum, honeſtum exitum habent; ſi autem effluxerint, quia nec in ſua erat poteſtate illarum firma poſſeſſio, cùm

Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Offelli
Dictus, erit nulli proprius: ſed cedet in uſum
Nunc mihi, nunc alii:

Earum propterea naturam, viciſſitudinemque fortunæ ſatis perſpectam habens, nihil amittet, nisi divitias, ipſe idem manet.

Agnoſcet Sapiens cupiditatibus nullum terminum eſſe, hominumque appetitus vel uſque ad infinitum protrahi; unde nec vulgus ipſe quieſcit, nec quidem valet; cùm omnimodè appetitus ipſos explere ſit impoſſibile, quare potiùs rationi conſentaneum, ac expediens eſſe videt, moderatè cum gaudio vitam agere, quàm vanis rerum corruptus, atque jactatus, continuam ſubire moleſtiam; hinc neque cupit nimis, neque timet, ſciens nil referre

Intrà
Naturæ fines viventi jugera centum, an
Mille aret?

Ludum igitur, atque ſpectaculum ei præbet hominum turba, cùm alter quaſi argentum, aurumque omne congerere potis eſſet ſemper ſollicitus, ſemperque anxius ſui ipſius tyrannus efficitur, ſuæque ipſum exedunt curæ. At quid facias iſti decepto cupidine falſi?

Jubeas miſerum eſſe libenter
Quatenus id facit.

Alter verò honorum cupidus, nunc eos vili captat obſequio, nunc huc, illucque circumcurſat, nunc ſpe pectus erigit, nunc inclinat, ac mœrore animum conficit ipſe ſuum; nec propterea præter figuram aliud hominis habet; an enim eum hominem dices, qui, nativam amittendo libertatem, ſponte ſuâ, imò anxiè quærit ſibi ſervitutem, quâ nulla turpior, quia voluntaria? An hominem credis, qui volvens aſſiduè ſaxum per ambitionem, atque honorem nunquam quieſcit, ſeque totum arbitrio fortunæ permittens, regi-

regitur alieno nutu, non ſuo? qui ſuſque deque volvit omnia, ut paucis aliquando imperet, nec ſibi tamen potis eſt imperare? qui aliud clauſum habens in pectore, aliud promptum in lingua, nunc unam, nunc aliam veluti Protheus alter perſonam gerit, Vertumnisque natus iniquis amicitias, inimicitiasque ſuſcipere, atque diſſolvere paratiſſimus, nil ex re, ſed omnia ex commodo æſtimat?

Alter ventri, ac libidini ſerviens, inutile terræ pondus, ignavumque veluti pecus vitam agit, mancipiumque voluptatum, quibus unquam animum explet ſuum, ſibimet incipit faſtidio eſſe; dum enim, quam nequit aſſequi, ſatietatem quærit, corporis, animique vires ſimul labefactari dolet.

Quare nil aliud præter ſollicitudines, quibus pectus implet, atque amaros pænitentiæ aculeos inde conſequitur; conſcius namque ipſe animus ſe fortè remordet

Deſidiosè agere ætatem, luſtrisque perire.

Hinc præclarè Boëtius (*a*) *Triſtes*, inquit, *exitus eſſe voluptatum, quiſquis reminiſci ſuarum libidinum volet, intelligit.*

Ægritudines autem, innumerique penè morbi, quorum gula præcipuè fons eſt, & origo, quanti hæ faciendæ ſint voluptates, docent, ut propterea expediat potiùs famem pati, quàm nimis indulgere ventri; quippe multò plures, ùt inquit ille, perdidit ſatietas, quàm fames viros;

Simul enim aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia Turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
lenta feret pituita.

Quid cætera percurrere opus, cùm ex omnibus, quæ Vulgus iners agit, Sapiens occaſionem captet magìs exercendæ virtutis? excelſo enim veluti ſedens loco rerum omnium Analyſim efficit, ac Mundum tanquam in ſpeculo contemplatur; cernit quàm caduca, quàm vana, fluxaque ſint omnia; nil proinde admiratur, nil meliùs, pejùsque ſuâ ſpe videt, nunquam animo torpet; omnia enim tanquam ſpectaculis, aut theatro præſens cernere gaudet, pariterque tranquillè agit, ſi vel in Orcheſtra, aut in quatuordecim ſedeat, vel nullo diſcrimine cum turba debeat permiſceri; ac ſicut ſyrmate, perſonisque indutos, cothurnosque, aut ſoccos geſtantes negligit, ſed eorum tantùm actiones, imitationesque advertit,

(*a*) 3. *de conſol. proſ.* 7.

tit, ità in vulgum tam chlamidatos, quàm coronam refert; nec enim colorem veſtium, quibus prætexta corpora ſunt, tantùm aſpicit, nec oculis de homine credit, ſed meliori, ac certiori lumine incedens, animi bona ſuo perquirit animo, ac æſtimat, cunctoſque unicè metitur ex illis; quæcunque propterea alter alteri ſtupens monſtrat, ridicula cenſet, ac miſera, cùm nunquam bonum quærat in ſpeciem, ſed ſolùm illud, & æquabile, & à ſecretiore parte formoſius tantùm ſtudet inveſtigare.

De conſtantia Sapientis.

Quare nec dolet, ſi vanis rerum inflatos homines cernens, nil præter dolum, ingratitudinem, avaritiam, mendacium, cæteraſque vitiorum peſtes in orbe graſſari videt: quid enim aliud ab iis ſapientiæ penitùs expertibus poterit expectari? An non illos, ùt ignavum pecus, quò vult, ducit naturæ appetitus? An non ſenſus ſuos, cùm ratio abſit, ac rerum ſcientia, veluti Duces omnino ſequentur; ac ſi nunquam Tragœdiæ finis eſſe deberet, ſpem omnem in ipſis fortunæ bonis collocare videntur? Sapiens autem ùt in ſpectaculo, ſemper naturæ ſuæ convenienter vivendo, honeſtè fortunæ muneribus delectatur, nulloque afficitur dolore, quòd finis quocunque tempore adeſſe queat, ſicuti nec de ſpectaculi aut ſcenæ termino moleſtiam percipit; futurum igitur tempus reſpicit ſinè metu, ſinè cupiditate, cùm ſciat poſſe nìl ad ſe pertinere; prævidet tamen, quæ agenda ſunt, omnemque adhibet providentiam, ut bene ſe illo etiam tempore habere queat, non tamen anxiè, ac cum animi perturbatione; præteriti verò temporis protinùs obliviſcitur, cùm ſuum jam eſſe deſierit, ſolumque animo perpendit, quam poſſit majorem ſibi præteritorum obſervatione prudentiam comparare. Præſenti verò, Virtute duce, fruitur, jucundamque, ac ſolidam captat voluptatem, ad præſcriptum rationis actiones dirigendo. Quare non divitem, non generoſa è ſtirpe natum, ut nec aliis affluentem fortunæ bonis moleſtum illi erit, cùm extra poteſtatem ſuam omnia hæc poſita animadvertat, nec propterea mortem timebit, cùm naturæ corporis convenientem agnoſcat; ipſamque inter extrema naturæ munera ponet; quotidie enim ſe ipſum agnoſcens ex infirmis, fluidiſque contextum, ſuâ etiam ſpontè iturum in tabem animadvertit; cunctos igitur, ſeu ſceptra teneant, ſive Thiaras, ſeu in foro verſentur, ſive preces effundant in templis, ſive in theatro, plateiſque deſideant, unum exæquare cinerem, in quem reverſa jam ſunt maximorum, infimorumque

natorum

Digitized by Google

natorum hominum corpora conſpicit, quosque nec etiam integer orbis capere poterat, fœdiſſimum ad cinerem redactos brevis urna tenet. Quare nec proſperis inflatur, nec adverſis unquam Sapientis animus frangitur; omnia enim tanquam ex incerta, & mobili ſorte pendentia nec perpetuitatem, nec diuturnitatem admittunt; illa ergo ùt receſſura, imò ùt extemplo recedentia, conſiderat; inſtare enim à tergo mortem, quæ omnium rerum rapinam facit, animo aſſiduè volutat ſuo. Hinc nihil ſibi de die, nihil de hora, ſed nec de temporis ſuccedente momento promittit, pectus tamen conſtantia firmat, eâ enim ſe lege natum agnoſcit; mortem igitur, quam naſcenti ſibi determinatam videt, expectans, advenientem excipit ultrò; imò tanquam à Regno fortunæ, in quod ab utero jactatus fuerat, ac ſibi ærumnarum, adverſitatumque omnium genera perpeti potis erat, nam

Cuivis poteſt accedere, quod cuiquam poteſt,

Liber, & incolumis, nedum æquo, invictoque animo mortem ipſam obire, ſed libenter, & cum gaudio in illam tam laxam libertatem ſe recipere vult. Cùm autem hanc etiam Sapientiam veteres ipſi Philoſophi nedum Scriptis docuerint, ſed ſuo quoque exemplo firmaverint, Democritum enim

- - Poſtquàm matura vetuſtas
Admonuit memorem motus langueſcere mentis,
Sponte ſuâ Letho caput obvius obtulit ipſe.

Et Seneca, denuntiatâ ſibi à Centurione neceſſitate ultimâ, *Teſtamenti „ tabulas interritus popoſcit, amicorumque lachrymas modò ſermone, modò „ intentior in modum coërcentis ad firmitudinem revocavit; ubi, inquiens, „ præcepta Sapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio adverſùm imminentia?* (a) Quid hominibus verâ Religione imbutis, æternæq; Beatitudinis ſpe firmatis dignum cenſes? An eis aliud erit mors corporis, quàm ſomnus, & dormitio? quod ſi videntur oculis inſipientium mori, & æſtimatur afflictio exitûs illorum, agnoſcant, ſciantque à Domino, eis iter eſſe, quo ad pacem pergunt, non exterminium.

De Sapientis actione.

Sed quodnam genus vitæ Sapientem eligere potiùs oportebit? An humanarum rerum eſſentiâ probè perſpectâ, contemplationi tantùm vacabit? An verò his imbutus Philoſophiæ præceptis, nil morantibus cæteris ad Remp. accedet, operamque ſuam præſtare libenter velit? Quis verò bene agere, ac vitam beatam ducere idem prorsùs referre negare audebit? Qui autem nihil agit, quomodo

(a) *Tacit. annal.* 15.

modo unquam bene agere potis erit ? nec enim aliter virtutes explicandi occaſio ; finiſque multarum, & honeſtarum rerum aſſequi poterit : quam namque juſtitiæ partem, quam prudentiæ, liberalitatis, aut quodnam Patriæ, hominibusque juvandi ſtudium exercere potuit Diogenes ille ſuo incluſus dolio ? Itaque officium omne, quod cæteris prodeſſe poſſit, quodque ad tuendam Rempublicam valet, ſolivagâ, ac jejuna cognitione poſthabitâ unicè adhibere gaudebit : Quis eſt enim, ut Ciceronis (*a*) verbis utar, „ *tam cupidus in perſpicienda, cognoſcendaque rerum* „ *natura, ut ſi ei tractanti, contemplantique res cognitione digniſſimas,* „ *ſubitò ſit illatum periculum, diſcrimenque Patriæ, cui ſubvenire, opitu-* „ *larique poſſit, non illa omnia relinquat, atque abjiciat, etiam ſi dinume-* „ *rare ſe ſtellas, aut metiri Mundi magnitudinem poſſe arbitretur ? atque* „ *hoc idem in Parentis, in amici re, aut periculo fecerit* ?

Ergo accedet ad Rempublicam Sapiens, ſed eam Rempublicam, ubi ratio, & lex dominatur, ubi agi ſolent, & pati fortia; nec propterea præſtantes viri diminui, nec magni animi tolli timere poſſunt, nec Cives redduntur pauperes, atque inter ſe diffidentes ; nec infirmi, abjectique animi eſſe coguntur : ubi non deleri vires, ſed ad parandam, tuendamque populi felicitatem augeri cordi eſt ; ubi denique nec nolentibus, nec imperatur invitis, juſta enim ſuccedendi, aut eligendi ordine ex lege deferuntur Imperia, ac propterea nemo quod percunctanti Tiberio ; *Quomodo Agrippa factus eſſet*, ſervus ille reſpondit : (*b*) *Quomodo tu Caſar ?* poterit objicere. Quare primos etiam Barbarici Imperii honores negliget, vitabit imò, ac fugiet, ubi non publica, ſed propria tantùm ſpectatur utilitas, ipſasque propterea leges non tam cum Anacharſi Aranearum telis æquiparare licet, ſed veluti in retes converſas dicere, ad involvendas, retinendasque eorum ſubſtantias, quorum vitam in ſua poteſtate Tyranni habere concupiſcunt ; quare non ad flagitioſorum hominum coërcendam audaciam, ſecuritatemque parandam univerſorum, ſed ad exſtruendas præſtantibus viris inſidias, ditiorumque facultates corradendas leges figunt, atque refigunt ; *corruptiſſima namque Republica plurimæ leges.* Nec alter illarum cernitur ſcopus, quàm ut Potentiam ſuam, ſpretis naturæ legibus, & Dei, undique firment, atque ſtabiliant. An igitur ſub Hyerone, Dionyſio, cæterisque Tyrannis Magiſtratus, rerumque publicarum curationes recipient Sapientes ? An generoſi

(*a*) *de offic. lib.* 1. *in fine.* (*b*) *Tacit. annal.* 2.

neroſi illorum animi Tyrannorum vitiis, artibusque deſervient? atque in arcanis Conſiliis, flagitiis ipſorum media præbebunt? An ſub Tiberio aget Sapiens exploratorem, *tectumque inter & laquearia ſe abſtrudet, foraminibus, & rimis aurem admovebit*, (*a*) ſuumque dedecus pro ingenti ſervitio Principi narrabit? An ſub Cajo Caligula, Nerone, Domitiano facinorum, libidinumque Miniſtri eſſe patientur?

Quid autem ubi plures Tyranni Rempublicam invadunt, eorumque potentiam per artes, & ſcelera firmare nituntur? aut ubi plebis impotens Dominatio ſusque deque miſcet univerſa? an enim ubi bellum Sapientibus indicitur, præſtantesque viri è medio tolluntur, Reipublicæ munera capeſſere datur?

Sapiens igitur vitam in otio ducet, nec tamen otiosè; imò tunc magis negotia aggredietur univerſorum, tradet namque præceptis, quæ præſtare nequit exemplis; atque nunc Regna Naturæ percurrens, rerum univerſarum cauſas aperiet, Mundique totius admirabilem concentum explicabit, nunc animos ad virtutem formare, atque incitare non deſinet, felicitatemque in ſola virtute conſiſtere demonſtrabit, nunc verò ipſos ad altiora eriget, Divinaque contemplari ſuadebit, ut veræ Sapientiæ terminus, poſtremusque rerum humanaram finis aſſequatur.

EXERCITATIO IV.

De Civili Diſciplina.

De primo Civitatis ortu.

QUoniam cunctarum Artium perfectio in 4. præcipuè ſpectari ſolet, fine videlicet, objecto, officio, & inſtrumentis; videndum nobis imprimis erit, quisnam ſit Civilis diſciplinæ finis, quodnam objectum, ejusque extremum, idem enim officium erit; ac tandem inſtrumenta, quorum adjumento ea, quæ officii ſunt, exequi poſſunt.

Finis igitur felicitas eſt Civilis; nempe in ſociali vita bene, beatèque vivere, quod idem erit, ac juxta rationem agere, rerumque ex ſententia neceſſariarum copiam habere, quæ omnia Civitas ipſa, ſeu perfecta ſocietas unicè præſtat. Objectum verò eſt Status ipſe, ſive Reſpublica, & *internum* præcepta ſunt, quæ in civili

(*a*) *Tacit. Annal.* 6.

civili facultate traduntur ad inſtituendam, conſervandamque Rempublicam; *externum* verò, cùm actu ad uſum applicantur.

Officium, eam Inſtitutis ad finem conducentibus informare, conſervare, & corrigere; inſtrumenta tandem media ſunt illa, quibus publicè utilia promoventur, noxia vitantur.

Civilis ergo Diſciplina eſt *Utilitatis publicæ ſcientia, ſive eorum, quibus uti oportet ad condendum, tuendumque Statum*; quare in iis tota occupari debet, quæ Imperii ſalutem, incolumitatemque publici Statûs pariunt, ac promovent.

Certos igitur terminos ſibi præfigit Politicus, nè fines aliarum artium invadat, néve prorsùs heterogenea miſceat, vitæque civilis ſcientiam cum Ethica, ſeu Theologia confundat, quarum diverſa ſunt objecta; quapropter cùm in ſuo unicè ſubjecto perpetuò verſari debeat, Statu nempe, ſive Rep., nec Reſp. ſit ipſa Civitas, cùm Civitas ordinetur in Rempublicam, non autem contrà, Artis Pædia poſtulat primò Civitatem tanquam materiam, poſteà verò Rempublicam veluti Civitatis formam, unde totum ipſum perfectè reſultat, ordinata nempe Civitas, agnoſcere, indeque varias ejusdem ordinis formas conſiderare, & quæ ſint cuique formæ utilia, noxiáve diſcernere, non enim Politiam optimam ſimpliciter, ſed etiam ex ſuppoſitione conſiderat, cùm ejus objectum ſint omnes formæ.

Civitas ergo ex multitudine conflatur ad bene, & ſecurè vivendum congregata; quare nisì res ſint in Civitate, quæ vitæ ſunt neceſſariæ, nunquam dicetur perfecta Societas, cùm deſit finis, adeoque non ſtatim hominum unio Civitatem parit, ſed ſi adeò coëant ſimul, ut ſaltèm mediocri rerum omnium ad vitam neceſſariarum copia ſecundùm rationem in ſocietate fruantur; tunc enim incipit Civitas eſſe, quia jam conſtituta eſt vivendi causâ Societas, permanet autem, progrediturque bene vivendi cauſa. Quare à natura ipſa ortum habet, cùm homo nedum propter indigentiam ad ſuis malis remedia quærenda ex naturæ facultate feratur, ſed etiam ut ſermone, & ratione præditus, animal ſit civile, & ſociabile; nec tantùm quærat id, quod ſatìs, quod imprimìs eſt neceſſarium, ſed etiam quod jucundam, beatamque vitam efficit; quod ſinè ordinata Civitate aſſequi eſt impoſſibile; licèt autem Civitas paulatim orta fuerit, cùm ex propagatione Familiarum ortæ ſint Vicinitates, & ex Vicinitatum conjunctione

Civi-

Digitized by Google

Civitatis origo ſit deducenda, naturâ tamen prior eſt Civitas; nam id, quod eſt finis, optimum: finis autem, & perfectio natura eſt, adeoque primum.

Civitas ergo perfecta erit *multarum Vicinitatum Communitas, in qua omne id quod ſatis perfectiſſimè inſit, orta quidem, & conſtituta vivendi cauſa, permanens autem bene vivendi cauſa.* Cùm autem nedum ſufficiat totum agnoſcere, ſed partes, & Civitatem Vicinitatum conjunctio faciat, Vicinitates verò Familiarum propagatio; hinc Familiam deſcribere debemus; illa autem eſt *in omnes vitæ dies Naturâ conſtituta Societas*; prima enim naturalis conjunctio eſt Viri & Uxoris; naturaliter namque neceſſe eſt, conjungi primùm eos, quorum alter ſinè altero nequit eſſe, ùt fœminam & marem procreandi causâ, adeoque fundamentum eſt & principium generis humani. Sed ultra Viri & Uxoris Societatem, usûs etiam quotidiani causâ Societas eſt Domini & Servi, non quidem eâ ſervitute, quæ contra naturam eſt, à jure gentium introducta, ùt in bellis, quoniam inviti ſolummodò adiguntur ad ſervitutem, ſed quæ maximè naturalis; cùm enim non cuncti eâdem mentis præſtantiâ naturâ polleant, neceſſe eſt unum alteri opitulari, adeoque finis eſt ſalus & conſervatio; jam enim primâ naturali Societate conſtitutâ, nuptiali ſcilicet, herilis ſtatim ſequitur, quia Vir & rem familiarem quærere cogitur, & multa ejus comparandæ causâ facere, & procreatos filios alere, ac tueri neceſſe habet, adeoque miniſterio eſt opus; qui autem pro Viro jam Patrefamilias conſtituto operas impendunt, ſervorum locò habentur, qui rei familiaris membra ſunt quædam animata, & veluti Organa, quibus nempe opus perficitur; nam ùt optimè Ariſtoteles: Si pectines texerent ipſi, & plectra pulſarent, ùt Dedali opera, aut Vulcani Tripodes, quos in certamen ſponte ſuâ proceſſiſſe finxit Homerus, nihil opus eſſent Architectis miniſtri, neque Dominis ſervi.

Eos autem naturâ ad ſervitutem ferri dicimus, qui mentis præſtantiâ non adeò excellunt, ac propthereà ſpontè alterius imperium ferre poſſunt, eique ſubjiciuntur commodi ſui causâ, ut nempe ſuo miniſterio vivant; quare cùm ſibi familiam propter mentis hebetudinem conſtituere nequiviſſent, Patribus familias ad explenda miniſteria ſe ſubdebant, ut alimenta ad ſui conſervationem aſſequerentur.

Digitized by Google

Sunt igitur primæ naturâ Societates Viri & Uxoris, Domini & Servi, Patris & Filii, unde Patria, & herilis poteſtas, ſicut in Uxorem ſunt à natura; cunctis enim Paterfamilias imperat, licèt diverſo jure, Uxori enim tanquam mente præſtantior debuit naturaliter præeſſe, ex quibus familia perfectè conflatur; quare imperfecta erit abſque filiis, & abſque ſervorum miniſterio, nulla ſinè uxore. Rectè igitur Heſiodus:

Sit Domus imprimis, Uxorque, & Taurus arator.

Bos namque tenuibus ſervi eſt locò, hosque primos ſocios Charondas vocavit *Homoſipyos*, ſeu *Penûs ſocios*; Epimenides verò *Homocapnos*, quaſi *fumi ſocios.*

Ex his ſecuti Conſobrini, Sobriniique, qui cùm unâ jam domo capi non poſſent, in alias domos, tamquam Colonias exivêre, propagatique in dies per Connubia, & Affinitates, Vicinitatibus ortum dedêre, quarum homines partim collactaneos, partim liberos, & liberorum liberos nuncupârunt; unde Virgilius:

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Vicinitas igitur eſt *naturâ conſtituta Societas ad communem vitæ uſum.*

Communitas autem Vicinitatum, quam Civitatem nuncupamus, nisì in Remp. fuerit ordinata, confuſio erit, & ſe ſtatim deſtruet. Tunc autem ordinabitur, cùm determinatam regiminis formam accipiet, Magiſtratus habebit, & judicia, ſummamque poteſtatem; quarum rerum ordo Rempublicam efficit, unde ſe habet veluti forma, ſeu ſpiritus Civitatis, ùt dictum eſt, nihilque aliud propterea erit, quàm *parendi*, & *imperandi ordinis in Civitate recta inſtitutio cum ſumma Poteſtate*, quâ quidem, ùt Cicero inquit, nîl Deo acceptiùs eſſe poteſt.

De neceſſitate ordinis in Civitate. Sed videndum, antequam ad ordinem ipſum tranſeamus, quibus ille fundamentis potiſſimùm innitatur, ex quóve principio ſuo velut è fonte manârit, antequàm varios ejusdem modos inveſtigemus. Qui de civili hominum Statu ſcripsêre, in duplicem præcipuè abivêre ſententiam è directo ſibi contrariam; alii enim nullam ex Natura legem agnoſcentes, nullamque ex principiis rationis Societatem, eam ortam dixêre propter propriam tantummodò utilitatem, amoremque ſui, eamque propterea, ùt Horatius ait, *juſti matrem, & æqui faciunt*; licèt enim ex Natura jus omnium ſit in omnia, ùt ipſi loquuntur, inutile tamen, noxiumque erat jus illud

lud experiri, ex eo namque mutua cædes, perpetuaque diſſidia orta fuiſſent; utilitas proinde & amor ſui ſocietatem, in eaque ordinem produxêre, ex quo poſteà ſegetem omnem moralium, politicarumque Virtutum fluxiſſe adſtruunt. Unde ſupponunt, homines naturâ nedum æquales, ſed cum abſoluta independentia naſci, Societateſque ipſas, atque Reſp. non aliter niſi ex libera ipſorum voluntate inſtitutas, quia ad id tantummodò ferebantur, ut propriæ utilitati conſulere potuiſſent, eâque de cauſa cunctis Societatis legibus ſe ſubjicere debuerunt. Supponunt etiam mutuos fuiſſe Contractus, ut ità loquar, inter eos, quibus fuit ſumma collata poteſtas, & populum; atque propterea per pacta duntaxat coaluiſſe, adeoque eandem veluti depoſitum quoddam ad cuſtodiendum à Populo datum repeti jure poſſe, ſi in ſui perniciem abutantur, ex quo cuncta deſumuntur opinionum monſtra, quæ in politicam facultatem ad Societatum perniciem irrepsêre.

Quos tamen rejecerunt cuncti fermè primæ notæ Viri, e ſublimiori principio univerſæ Politiæ originem derivantes; Naturâ ſcilicet homines ferri ad Societatis ordinem, ac propterea dictatum eſſe rationis, cujus cùm humana tantùm Natura ſit particeps, eam ſequi oportuit, ut homines ſecundùm Naturam agerent, quare ordo ipſe Societatis, ac propterea ſummæ Poteſtates ex Deo ſunt, qui naturam hominis ità formavit; præciſo igitur contractu quocunque atque antecedenter ad quævis pacta, ſpontaneamque ſubjectionem cuncti nec æquales, nec abſque dependentia naſcuntur, & ab ortu ipſo alicujus ſunt membra Societatis; ità ut ſicut Naturæ Societas, quæ Familias, Vicinitateſque ad Civitatem veluti finem dirigebat, filios ſubjicit Patri, ac Domino ſervos, ùt diximus, ordinem in Familiis agnoſcentes; ità Civilis Societas ſummæ Poteſtati eos ab initio ſubjicit, quia id eſt optimum, ac proptereà naturâ primum; Natura enim Civitatem voluit, ſeu Societatem ad vitam beatam, quam ùt finem præcipuum, adeoque primum ſpectavit; igitur ordinem etiam Civitatis, nempe Rempublicam, qua ſinè nulla poſſet eſſe Societas.

Quare firmato ſemel Societatis ordine, Civitateque, ut ità dixerim, animatâ, non ampliùs eum perturbare, nec ſub quovis prætextu contra ſummam Poteſtatem, quæ Spiritus eſt, & anima Civitatis, inſurgere fas erit; ſuo enim judicio Deus, qui voluit ordinem Societatis, reſervavit; alias ordo ipſe nunquam perfectè fuiſſet aſ-

Digitized by Google

ſecutus, quod prorsùs Deo, rectæque Societatis inſtitutioni repugnat.

Sed ut hujus principii veritas facillimè pateat, Legem ipſam humanæ naturæ peculiarem denuò paucis attingere operæ pretium erit; eâ enim probè cognitâ, cæterarum etiam difficilium, quæ in facultate Civili occurrunt, diſputationum judicium ferri poteſt.

Eſt autem univerſaliter ſumpta Lex Naturæ: *Vis atque facultas cujuſcunque entis, juxta quam illud agere, & operari aptum eſt*; unde in orbe concentus, & harmonia efficitur rerum omnium, cunctaque perpetuo quodam motu volvuntur, ut legibus Naturæ pareant, ex quo rerum ipſarum univerſitas prodit; ſicut igitur corpora ipſa ſuas ſervant Naturæ Leges, ut ſemper idem ordo ſervetur, nihilque præter eum intereat, aut producatur; ità intelligendi facultatem ſua ex natura ſequitur proportionata inclinatio, quâ fertur ad bonum, quod quidem habitu ſemper diligit, actu verò dum ad vim, proprietatemque exercendam naturæ ſuæ nec externa, nec Lex ipſa Corporis naturæ promiſcua, quatenus cum eo conjuncta exſtat, impediunt, ùt ſuprà diximus. Quam proptereà inclinationem in bonum Voluntatis nomine nuncupavimus, quæ in ſua magna, vaſtaque appetendi capacitate non aliquo particulari inſtinctu moveri, ſed ratione ſeſe dirigere, ac ad melius viſum determinare debuit; quam quidem rationem intellectum eſſe diximus, cujus auxilio rerum eſſentias percipere, acquiſitasque perceptiones nedum ſimul connectere, ſed opportunè dividere, ſuperque illis naturali quâdam Geometriâ aptè ratiocinari fusè ab initio dictum eſt.

Voluntate igitur, atque intellectu ſeipſum dirigere debet homo juxta legem ac normam, quam ab Authore ſui Deo accepit; hanc autem rationem eſſe humanam advertimus, quæ ab ipſa Lege æterna, tanquam propriâ ejus imagine derivatur, ratio nempe ipſius Dei, quæ ſibi Ipſi Lex eſt immutabilis, & hæc Lex in homine ſemper eſt, eamque juxta perpetuò operari tenetur, ut Dei voluntati, æternæque rationi, quantum ejus natura patitur, obſequatur. Ex qua quidem Naturæ Lege principium illud univerſale ducit originem, quodlibet nempe ens amari oportere juxta dignitatem naturæ ſuæ, gradus ſcilicet bonitatis, unde amor in Deum, ùt ſummum, ac infinitum Bonum; amor etiam erga inviſibilia entia, Angelos nempe, quos in ordine intelligendi præter Deum

Digitized by Google

Deum primos agnoſcimus ; amor in homines, quia ejusdem ſpeciei ſunt individua, eaque inter cùm ſit communio Naturæ, communio etiam Legis oportet eſſe, qui verò Lege communicant, ejusdem Civitatis habendi ſunt, unde univerſus hic Mundus, ùt Cicero inquit: *Una Civitas Deorum, atque hominum eſt exiſtimandus.*

Inde fortiùs procedit amor erga eos, quibus cum vivimus, & in cujus Societate Natura ipſa nos poſuit, unde Patriæ amor, omnisque virtutum ſeges, tum Ethica, tum Civilis. Hinc etiam Parentes pietate proſequimur, quoniam iisdem, ùt exiſtentiæ noſtræ inſtrumento uſus eſt Deus, cæterosque amamus, quibus ſumus ſanguine, alioque vinculo conjuncti, univerſamque Familiam diligimus. Amamus quoque nosmetipſos, quia pars licèt parvula ſumus Univerſi, Deumque noſtri Authorem agnoſcimus; ſed amor iſte menſuram, legitimumque modum habere debet, nam nec Familiam infrà me diligere, nec Familiam Patriæ anteferre, nec Patriam denique humano Generi; atque huic principio Jus univerſarum Gentium innixum eſt; nec enim eſt accerſenda Familiæ ruina propter ſui conſervationem, nec amplianda Familia, aut imaginibus ornanda Patriæ detrimento, nec Patriæ gloria, potentiaque augenda, jura humanitatis quoquo modo violando.

Quoniam verò non ſemper, uti Natura dictat, mens cupiditatibus imperat, quæ cùm à corporis Natura deriventur, à Lege rationis aberrant, & ſenſuum impetus ſequuntur, externarumque rerum imaginibus perculſi, affectiones illas pariunt, quibus animus perturbatur, unde lumen rationis inter affectionum ipſarum tenebras deliteſcit; hinc ſæpiùs homines impetu abripiuntur; adeò ut ratione deſtituti, contra ſuam naturam prorsùs vivant, ùt Exercitatione de Faculatibus humanæ Naturæ, alteraque de Juſtitia hominum naturali demonſtrare conati ſumus: Quapropter innumerabilis malorum ſeges homini ab homine imminebat, nec nisì ex Societate, & ordine remedium quæri poterat; adeoque rationi obſecundantes, juxtaque Naturam ſuam agentes, cùm propter tranquillam, beatamque vitam coaluiſſent in Societates, ordinem expetivêre, ut ratio ipſa eum in modum explicaretur, quòd omnes ad eam ſequendam cogendi, ſi neceſſitas expoſtularet, facultas eſſet. Unde ordo eſt, ut in ratione perſiſtant homines, ratio autem eſt ipſorum Natura; ordo igitur eſt à Natura, atque in ea primum; id autem eſt eſſe à Deo immediatè.

 Opor-

Oportet igitur ipſum à modo diſtinguere; modus enim medium eſt, quo utuntur homines ad aſſequendum ordinem; quæcunque propterea facto hominis eveniunt, unde diverſitas ordinis promanat, non ordinis ſunt fons & origo, ſed velut inciles, per quos ordo ipſe fluit, varioſque ſe diſpergit in rivos.

Ordinis ergo neceſſitas eſt, ut homines in ratione vivant, & proinde agant juxta Naturam; Ordo autem ſinè ſumma poteſtate nec poteſt concipi, unde à Deo eſt immediatè ſumma poteſtas, qui hominibus utitur tanquam mediis, ut uni, vel paucis, vel multis inperſcrutabili ſuæ providentiæ arcano concredatur.

Pacta igitur, ex quibus Societates aliquæ in ordinem redactæ, Legeſque mutuæ inter Principem & Populum, perſonam explicant, cui ſumma Poteſtas à Deo ordinata communicatur; hinc Deus Hebræo populo volenti daturus Regem, licèt aliàs haberet ordinem, eum admonuit de iis, quæ ſub Rege tolerare oportebat, quaſi diceret: *Summam vultis Poteſtatem penes unum, dabo equidem, ſed ille multifariam abutetur*; *nec propterea vobis ab eo recedere licebit*, de qua re magìs infrà.

De variis ordinibus Civitatis. Cunctis igitur unus, vel Populus, vel pauci præſunt ſummâ poteſtate. Unus abſolutè, aut civiliter imperat, jureque vel injurià. Dum abſolutè præeſt, Dominus dicitur, cæteri autem ſunt ſervi, quos licèt bonis Legibus moderetur, ſuam tamen potiùs ſpectat utilitatem, illorumque præcipuè propter ſe, ejuſque Dominatus eſt omni Lege ſolutus. Civiliter autem; dum Princeps ipſe Divinis, ac Naturæ Legibus obtemperans, Subditos quidem ſuis vult imperiis obſequentes, ſed tamen naturalem eorum libertatem, rerumque Dominium conſervat, ac tuetur. Jure, cùm legitimè adeptus Imperium, non eum in modum exercet, ut ſubditorum bonis, ac libertate impudenter abutatur. Contrà verò, ſi flagitio illud adeptus, nec bonis artibus exerceat, unde tyrannicè dominetur.

Pauci verò aut ex virtute, aut divitiis, aut nobilitate ſummam Poteſtatem adepti, vel omnium, quos regunt, ſpectant utilitatem, vel ipſorum Potentiam per arcana, & artes conſervare duntaxat ſtudent; & Populus denique, dum in legitimis comitiis ſummam Poteſtatem per vices, tempuſque determinatum concredit, cæteroſque Magiſtratus eligit, Legeſque dominari facit Societatis univerſæ Bono; aut dum Plebs tantummodò Potentiam arripit,

ripit, eâque abutitur adeò, ut non Lex, ſed multitudo ipſa dominetur, ſuoque arbitrio, & Decretis adminiſtret univerſa.

Sex igitur ſunt ordinum in Civitate modi. Tres autem rectè inſtituti, cæteri aberrantes, ac vitioſi. Primus *Dominatio* vocatur *unius*, qui tantummodò in hoc à tyrannide diſcrepare videtur, quia Dominus ſervos ipſos Lege moderatur, eorumque curat etiam utilitatem, unde nec parent inviti. Alter verò eſt *Regalis Monarchia*, ſeu *Regnum*, qui quidem eſt omnium primus, ſemperque celebratus, licèt diverſæ ſint ejus ſpecies. Tertius denique Tyrannis eſt, cujus omnium peſſimæ ſunt artes & arcana, flagitiaque perpetua; nam ſpretis etiam Naturæ Legibus ſuam tantùm ſpectat utilitatem, Potentiamque adeò augere ſtudet, ut ad libitum prorsùs regnet invito Populo. Ordo verò paucorum ex virtute, qui meritò nuncupantur *Optimates*, *Ariſtocratia* dicitur, cui alter opponitur, paucorum nempe potentiâ, quam *Oligarchiam* vocant, & Populi tandem legitimè imperantis alter, qui *Reipublicæ*, aut quandoque *Democratia* vocabulo denotatur, cui Plebis Dominatio, quam *Ochlocratiam* nuncupârunt, opponitur; cujusque variæ ſunt etiam ſpecies, quæ *Democratiæ* quoque nomen retinent, quas antequam ſigillatim percurramus, ſummam Poteſtatem paucis univerſaliter debemus explicare.

De ſumma Poteſtate.

Spiritum, & animam Civitatis ſummam Poteſtatem eſſe diximus, per eam enim eſt ordo, quo Civitas ipſa vivit, quoque ſublato diſſolvitur. Erit ergo *ſumma, & libera moderandi Civilem Societatem Poteſtas ad finem propoſitum*; unde & ſummâ inter homines libertate, & ſummo in Subditos Imperio ſimul conſtat; ordinis enim eſt primum, à quo cæteri omnes, ſicut ordo poſtulat, agendi, aut coërcendi vim accipiunt, & facultatem; ſicut enim in naturalibus cauſis inferiores, quæ à ſuperioribus dependent, contra earum efficaciam vim agendi non habent, ità & in moralibus. Finem verò, ad quem ordo tendit, jam innuimus, ut nempe homines ex præſcripto rationis vivant in Civitate ſibi ſufficienter inſtructa; quod quidem ſumma Poteſtas in Societate præſtare, ac efficere potis eſt; *Omnium namque domos*, ùt Angli loquuntur, *Principis vigilia defendit, omnium otium ipſius labor, omnium delicias ipſius induſtria, omnium vacationem illius occupatio; eſtque halitus narium noſtrarum, & lumen oculorum noſtrorum.* Quare *umbram Dei* Arabes, Perſæque nuncupârunt, Vicariam namque in Societa-

Societate Dei Poteſtatem exercet, unde Sacræ Literæ: *Rex ſedens ſuper ſolium Judicii ſui diſſipat oculis omne malum. In luce vultûs Regis eſt vita, & benevolentia ejus eſt ùt nubes pluviæ ſerotinæ, & illius favor eſt ſicut ros ſuper herbam. Rex eſt ſpiritus narium noſtrarum, & ſub umbra illius vivimus inter Gentes. Idem eſt clypeus noſter, & arma noſtra bellica, & in illius pace nobis eſt Pax. Illo uno vigilante nos ſecurè dormimus, & quietam vitam agimus cum omni non honeſtate ſolùm, verùm etiam in omni pietate.*

Summa igitur Poteſtas finem in Societate propoſitum nedum Naturæ, ſed Divinâ Lege promovere tenetur, licèt rationem ſoli Deo ſit redditura, nulla enim eſt juſtitiæ Curia præter conſcientiam ſuam; unde quæ jubet Civibus, ſalvo jure Superioris, nempe Dei, mandare debet, ac proinde Divina Lex tum naturalis, tum poſitiva ſarta tecta ſemper erit; cæteris ſoluta Legibus, niſi quatenus ad finem propoſitum conducant; ſalus enim Populi ſuprema Lex erit. Quare Sextus Cæcilius, Leges, dicere ſolebat, in Principis arbitrio perinde eſſe, ùt in Poteſtate Gubernatoris ipſa Gubernacula, quæ eſſent inutilia, niſi ad omnem Cœli faciem, & opportunitatem mòveri, & converti poſſent, nè ipſa navis cum Gubernatore priùs naufragium patiatur, quàm Vectores conſuli poſſint; hæc autem de ſumma Poteſtate, cui propterea Majeſtas, ſummum nempe faſtigium, ac ſummum rerum judicium ſemper ineſt, intelligimus, ſunt enim aliquæ precariò vel ad tempus conceſſæ, de quibus infrà.

Ex quo jura illa, quæ Majeſtatis vocant, quæque nec cedi, nec diſtrahi, nec ulla ratione abalienari à ſumma Poteſtate poſſe, ac ne ulla quidem temporum diuturnitate præſcribi omnium Decreto conſtat, quæque Juris-Conſulti *ſacra ſacrorum*, *atque individua* nuncupârunt, neceſſariò derivantur; quorum primum Legiſlatio erit: Univerſis nempe, ac ſingulis Legem dicere, nec eam ab ullo præterquàm ab immortali Deo accipere; licèt enim Subditis Legem ferre poſſit, ſi tamen ab aliquo quoquo modo ipſa acciperet, nec ſumma Poteſtas eſſet, nec Jura Majeſtatis haberet.

Aliud verò: *Bellum indicere*, *Pacemque inire*, quo nullum erit majus, ex eo namque Reipublicæ exitium, aut ſalus pendet; unde potuit Romana Plebs jubendæ Legis arripere poteſtatem, pacemque inire, bellum verò indicere nunquam licuit, niſi Centuriatis Comitiis Populus juberet. Quare Gallis Cæſarem dedi oportere

tere Cato cenſuit, Legionesque domum revocari; quoniam adversùs Gallos injuſſu Populi bellum geſſerat; hinc perpetuò apud Livium Romanorum bella Populi juſſu indicta leguntur, atque ità & nunc, & anteà in Rebuspublicis ſervari videmus.

Tertium verò Caput in Magiſtratuum creatione poſitum eſt, nam cujus ſumma in Republica Poteſtas eſt, huic accepta ferri neceſſe eſt omnia omnium Imperia, ac Jurisdictiones, licèt majores Magiſtratus, ac Judicum Decuriæ Miniſtros aliquos ſibi cooptare queant.

Quartum verò extrema eſt Provocatio; unde Romæ Valeriâ rogatione ab omnibus Magiſtratibus Populum licuit appellare, ut exactis Urbe Regibus universa Majeſtatis Jura complecteretur. Ac tametſi Hadrianus Auguſtus, nè à Senatu provocaretur, vetuiſſet, idemque juſſiſſet Nero, Principem tamen per ſupplicationes, ſeu rogationes adire, nunquam eſt vetitum. Sic licèt in quampluribus Civitatibus majores Curiæ tum privata, tum publica extra provocationem definiant, ſummæ tamen poteſtati ſupplicare nunquam interdicitur, etiamſi mandatum eſſet, nè provocatio ulla, nève rogatio ad ſe feratur, ùt Caligola Edicto juſſerat, quod nunquam fuit obſervatum. Nec enim ſumma Poteſtas eam ſibi Legem dicere poteſt, licèt rogationes ipſas reſpuat; Leges enim Civiles erunt, quibus ſumma Poteſtas nunquam obligatur; hinc in Feudorum conceſſionibus licèt cum Imperio, & Jurisdictione, cunctisque Regalibus, quæ verè ad Majeſtatem pertinent ſemper excipi ſolent: *fiduciarium nempe obſequium*, ſeu *homagium*, & *extrema provocatio*.

Ab hoc verò extremæ provocationis jure *necis*, ac *vitæ poteſtas* pendet, quæ in Rebuspublicis ſemper fuit penès Populum, aut Concilium ſummum, unde Fabius à Dictatore Papyrio Populum appellavit, & Servius Galba Majeſtatis à Catone accuſatus veniam à Populo obtinuit. Et hodie apud Venetos nulli quidem Magiſtratui, ac ne Duci quidem cum Senatu, aut Decemviris damnatos reſtituendi poteſtas eſt, cùm unicè magnum Concilium, in quo jura ſunt Majeſtatis universa, præſtare id poſſit.

Ad ſummam quoque Poteſtatem pertinet, *Numi percutiendi jus, ejusque pretium, pondus, ac imaginem præſcribere*; unde Lege Tribunitiâ id Romæ factum conſtat, nec enim Senatûs Decreta, niſi Tribunis plebis aſſentientibus vim habere poterant; Senatus enim cenſebat, Populus verò jubendi habebat poteſtatem.

ſtatem. Nunc autem apud omnes Principes Lex Conſtantini Auguſti peræquè cuſtoditur; Majeſtatis enim pœnâ tenentur, qui numos corrumpere audent, bonaque damnatorum Fiſcus vindicat, quare cùm Ariander Ægypti Præfectus Numiſma inſcio Perſarum Rege ſuâ imagine ſignaverit, ſecuri percuſſus eſt.

Eſt *Jus* etiam *Vectigalia*, ac *Tributa imperandi*; ſemper enim annexum eſt Majeſtati jus tantum è bonis Civium decerpere, quantum Reipublicæ ſalus expoſtulat; quare in cunctis tum publicis, tum privatorum bonis Dominium ſummæ Poteſtatis eminens pro Reipublicæ incolumitate perpetuò adhæret. Ex quo nemo poteſt jure conqueri Vectigalium, ac Tributorum ſolutione; nam ſicut alimenta, ac veſtes ad Corpus conſervandum ſunt neceſſaria, ità illa ad Societatem, quod eſt Corpus morale longè nobilius, præſtandam incolumem; *Nec enim gentium quies ſinè armis, neque arma ſinè ſtipendiis, neque ſtipendia ſinè tributis haberi poſſunt*; quapropter ineptè ſatis Nero Vectigalia cuncta omitti, idque pulcherrimum donum Generi mortalium dare cogitabat; nam, ùt eum Senatus admonuit, diſſolutio Imperii inde ſecuta eſſet. De Generibus autem Vectigalium, ac Tributorum infrà, ſicut de cæteris, quæ Regalia minora vocant. Illud tamen indubium ſemper erit, ejus naturæ jura Majeſtatis eſſe, ſummarumque adeò Poteſtatum propria, ut nec Subditis communicari, conceſſaque nullo unquam temporis curriculo præſcribi queant, quòd ſi etiam expreſsè conceſſa fuerint, jure ipſo excepta judicantur. *Nec enim*, ùt Themiſtocles Athenienſes, & Cato Cenſor Romanos, ſicut Plutarchus refert, in Concionibus monuerunt, *mortales adversùs Deum immortalem, nec privati adversùs Rempublicam præſcribunt*; & pauca hæc de ſumma Poteſtate pro nunc libâſſe ſufficiat.

De Dominatione unius.

Diverſimodè autem ſumma Poteſtas per unum explicatur; quando namque aut jure belli, aut deditione ſpontaneâ, ſive etiam ex fœdere Cives cum fortunis omnibus arbitrio ſe permittunt unius, ille verò, nedum quæ ſunt Majeſtatis, arripit, ſed tum Subditos, tum Bona vult abſolutè moderari, Dominationem conſtituit, Subditoſque tantummodò uti ſervos agnoſcit. Titulus autem ille juſti belli, ſive fœderis, aut ſpontaneæ deditionis cum moderamine ſervorum utilitatem reſpiciente *Tyranni* notam adimit, præcipuè verò dum confirmata Dominatio in jus hæreditatis tranſivit, ſpectatque Populus Familiam regnatricem, illamque ùt Dominam

minam colit, ac revereretur. Fuêre hujus generis, ùt Ariſtoteles innuit, antiqua Aſiaticorum Imperia, quos propterea Barbaros nuncupavit, nam ad ipſa perpetienda naturâ ferebantur. Sic enim Perſæ, Medi, Aſſirii, Ægyptii, aliique regnabantur, Regesque ipſos adorabant Deorum in modum; unde Livius inquit: *Barbaris pro Legibus ſemper Dominorum imperia fuerunt.* Ac propterea Themiſtocles ab Artabano Perſarum Regem adire vetitus, niſì priùs eum adorare faſſus eſſet; Regibusque ad bellum procedentibus terra, & aqua dabatur, ut omnium, quæ terrâ, marique continebantur, Dominos eſſe ſignificaretur. Aſſyriorum autem primus Nimbrodus in ſacris Literis memoratur, quem Magni Venatoris nomine, Latronis nempe potentiſſimi deſignant. Hodie Turca, & Moſcus abſolutam Dominationem exercent, ac propterea Subditi nil habent proprium, ſed omnia Principibus accepta ferunt, nec bonorum hæredes habent, niſì novo Principis beneficio eisdem permittantur. Sic Timnariotæ, quos vocant apud Turcas, Equeſtris nempe ordo, prædia poſſident fiduciæ nomine, pro quibus cum equis in bello ſervire tenentur, eorumque conductiones decennio quolibet renovare ſolent. Sunt & aliæ hujuſcemodi Poteſtates in Aſia, atque apud Indos, quorum Gens nec ullam Reipublicæ notionem habet, imò nec aliud dominandi genus percipit, adeò ut nec fœderati Belgii libertatem agnoſcere potuerint, cujus propterea Legati ſub nomine Principis Auriſiaci negotia expedire coacti fuerint. Habet autem hoc dominandi genus arcana quamplurima, quæ Turcarum Aula mirificè exercuit, quibusque potentiam ſuam firmare ſtuduit.

De Regali Monarchia.

Sequitur ea dominandi ſpecies, *in qua ſub unius Imperio Subditi naturali libertate, ac rerum Dominio fruuntur*, quæ *Monarchia Regalis* nuncupatur. Princeps enim dominatur juxta naturæ Leges, ac Dei ad Civium utilitatem, ut ſcilicet ex præſcripto rationis agant, Divinamque ipſam, ac Naturæ Legem obſervent, quem ad finem Publici ipſius Civitatis Juris Princeps conditor, & cuſtos efficitur; quo ex fonte cuncta boni Principis officia unicè derivantur, Lexque ipſa Naturæ Subditos inter ſe, & cum Principe adeò arctiſſimè copulat, ut mira inde Reipublicæ unio, ac felicitas exiſtat. Atque hic eſt ille Ordo, qui Divinum Imperium, ipſumque Naturæ progreſſum imitatur, quique primus inter mortales eluceſcit. Summa verò Regalis Poteſtas ſive electione, ſive ſuccedendi jure deferatur, parùm refert; dummodò unus tantummodò ju-

Digitized by Google

ra Majeſtatis univerſa complectatur; aliàs enim diverſa à Regali Monarchia Reipublicæ ſpecies efficietur; multò minùs ſi ad tempus exercitium habeat Majeſtatis. Quare nec Græcorum Æſimnetæ, nec Spartiatarum Reges Regalem hanc Poteſtatem explicare dici poterant: Primi enim licèt maximâ Poteſtate fruerentur, & optione fierent, non tamen perpetua ſemper erat Poteſtas, nec cuncta complectebatur, ùt Pittacus ille ſapiens à Mitilenenſibus tantummodò adversùs Exules lectus, cui propterea in omnibus convenit Romanorum Dictatoria Poteſtas. Lacedæmones verò Reges potiùs militari quâdam Præturâ fungebantur, licèt tempore, & creatione differret, nam erat perpetua, & hæreditaria, illi enim nec in pace *jus vitæ, & necis* habebant, tantumque in bello, & re Divina Poteſtatem explicabant, ùt infrà. Hodie nec *Regalis Monarchia* dici poteſt Polonorum Reſpublica, nec Anglia; ſumma enim rerum ibi apud Nobiles exiſtit, in quorum ordine Rex eſt primus, ſed illi juxta Leges Regni Comitia celebrant, Magiſtratus conſtituunt, cæteraque Majeſtatis jura exercent, nec Rex propterea qui Nobilium ſuffragio creatur, Legislationem habet, ſed Sanctionum, quæ in Comitiis promulgantur, Cuſtos dici debet. Angli verò, licèt ſucceſſione Regem habeant, ejus tamen Poteſtatem procedentibus temporibus nimis coarctàrunt. Nec enim pro arbitrio cuncta poteſt agere, ipſaque Legislatio eſt penès Ordines, vulgò Parlamentum, quod in Domum ſuperiorem, & inferiorem dividunt: in illa Regni Primores, & Epiſcopi conveniunt; in altera verò Civitatum, & Comitatuum Legati, qui propterea Londini ſubſident.

Romanorum quoque Reges nec Regalem Monarchiam conſtiuebant, licèt primus virtute à multitudine Rex Romulus fuerit proclamatus, ſicut priùs relata fuiſſe Regna innuit Ariſtoteles, quorum genus vocat heroicum; multitudo namque propter accepta beneficia vel in bello, vel in pace Regnum deferebat, Poteſtatem tamen certis Legibus arctabat. Hinc ſub Romulo Poteſtas Legum ferendarum, Magiſtratuumque creandorum penès Populum erat, authoritas autem penès Senatum; unde Senatum *decernere*, Populum verò *jubere* dicebatur; nec enim Brutus ipſe ſub libertatis initiis aliter Rempublicam ordinavit, Poteſtas namque Regia non ampliùs perpetuò penès unum, ſed ad binos Conſules per annum dumtaxat translata fuit, ùt in Exercitatione de Romanorum Republica differemus.

Rega-

Digitized by Google

Regalis igitur Monarchia tunc verè dici poterit, cùm Princeps Jura univerſa Majeſtatis exercet, ſummamque Poteſtatem nullo tempore definitam habet, licèt illa vel optione, vel ſucceſſione delata fuerit. Et potiſſimùm in Europa ſpectatur, nam ſi demas quod Turca, atque Moſcus poſſidet, Populi cæteri præter Reſpublicas Regali Monarchiâ reguntur, licèt in aliquibus Regionibus ſervitii quoddam genus exiſtat, uti ſunt Glebæ adſcripti, Kmetones in Polonia, & alii, quorum alibi mentio erit. Libertas namque naturalis in Subditis ac bonorum Dominium, ſummaque Poteſtas in Principe ad utrumque tuendum Regalem præcipuè conſtituunt Monarchiam; quare optimè Seneca, *ad Reges*, inquit, *Poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas*, ac paulò poſt: *Omnia Rex Imperio poſſidet, ſinguli Dominio.*

Quomodo autem Legibus, Majorumque pactis conventis Rex ipſe teneatur, peculiari diſſertatione diſcutiemus. Illud tantùm prorsùs dubio caret, nedum Subditos ad juris Naturæ, & Gentium normam moderari debere, ſed iiſdem Legibus Principem ſe præbere obſequentem; ac propterea ſolet Rex Senatûs Conſilio res ipſas Subditorum moderari, quem è prudentibus, doctis, ac juſtis Viris ſibi conſtituit. Hi autem vel ſcripto, vel coràm Conſilium præbent, licèt Rex nec etiam totius Senatûs uniformi Conſilio ſemper alligetur, in quo ſummæ Poteſtatis vis, ac Nota eluceſcit. Licèt autem Senatus & pro Reipublicæ incolumitate, & Subditorum negotiis conſulatur, ſolet tamen Rex ſanctiùs ſibi pauciſſimorum Conſilium cooptare, quod unicè in maximis negotiis, quæ ſalutem Reipublicæ, ac Statûs incolumitatem ſpectant, adhibetur; ac propterea in fœderibus ſanciendis, paciſque, & belli actionibus, cæteriſque gravioribus Reipublicæ negotiis ſolent adlaborare, & Regis arbitrio vel cum eodem negotium omne diſquiritur, vel unus è Conſilio Regi refert ſuam, aliorumque Sententiam, ſive ſit Conſilii Præſes, ſive alter à Secretis, ſeu quicunque à Rege jubetur.

De Tyrannide.

Tyrannidem autem Regali Monarchiæ oppoſitam tunc exerceri diximus, cùm ſcilicet *ſpretis Naturæ Legibus, ac Dei, ipsâ naturali Subditorum libertate, ac bonis, qui dominatur ad libidinem abutitur.* Sed non uno contingit modo, aut enim Regnum alteri injuſto bello eripit, Regnique jura evertit, aut Reipublicæ formam, atque ordinem deſtruit, ut ſolus Dominatu potiatur, aut è legiti-

 mo

mo Principe in Tyrannum per ſcelera evadit, dum Subditis tanquam mancipiis abutitur, poſthabitâque Legum omnium, ac Reipublicæ curâ ſuâ utilitate, ac voluptate metitur univerſa; licèt fieri poſſit, ut unus idemque Princeps, Rex quidem erga Cives, Dominus erga juſto bello fractos, in alios verò tyrannicè ſe gerat. Si autem in ſemel ſtatuta Tyrannide ſucceſſor bonis etiam Legibus Subditorum utilitati proſpiciat, paulatim Tyrannus eſſe deſinit, quamvìs eadem Inſtituta prout eidem poteſtati conſervandæ convenientia ſervare cogatur; quare licèt Cæſar Reipublicæ Romanæ formam invertiſſet, atque Auguſtus, poſtquàm militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, munia Senatûs, Magiſtratuum, Legumque in ſe traxiſſet, quapropter uſurpatorum notâ jure cenſeri poterant; non tamen Tiberius, qui jam Romam in ſervitium ruentem adinvenit, & Conſules, Senatus, Miles, & Populus in verba ejus juravêre, unde vocatus, electusque potiùs à Republica videbatur, quàm per uxorium ambitum, & ſenili adoptione irrepſiſſe; quanquam Inſtituta, quæ ad ipſius Dominationis ſalutem pertinerent, probè ſervaverit; nam & Romanorum animos effregit, & inter ſe diffidentes reddidit, & vires infirmavit, clariſſimo quoque delatorum arte ſublato. Erat igitur legitimus Princeps, ſed tyrannicè in aliquibus ſe gerere videbatur, quoniam ea temporum conditio ad exercenda Dominationis arcana quamplurima cogebat. Propriè igitur Tyranni denominatio competit illi, qui nec cooptatus à Principe, nec Populi ſuffragio, nec ſorte, nec hæreditario jure, nec teſtamento, nec juſto, legitimoque bello, nec ullo denique alio titulo præter omnium voluntatem Rempublicam invadit, cujus vita adeò eſt miſerrima, ut perpetuis terroribus agitetur, dirisque cruciatibus diu noctuque dilanietur. Quare Diogenes felicitatem Dionyſio invidit, dum ab Arce Corynthi deturbatus, Athenis ſecurus verſaretur; cùm enim illi gratiam haberet Dionyſius, quaſi vicem ſuam graviter ferret, *Ego*, inquit ille, *tantam felicitatem tibi invideo, qui cum ſervili animo & abjecto ſemper ſis, ac fueris, dignus eras, qui in tyrannidis arce miſerrimam vitam traheres, exitumque Patri ſimilem haberes, nunc tamen cum ſumma tranquillitate animi nobiſcum vivis, & vivis ſecurus!* atque de hoc Tyrannorum genere ea, quæ paſſim inculcantur, ut jure occidi queant, ſunt accipienda; nam ubi Reges jure Majeſtatis per ſe legitimè fruuntur, nìl Subditis

ditis niſi *obſequii gloria* relictum erit, nullumque ad eos judicium pertinet, etſi tyrannicè ſe gerant. Unde David Saul Regem nunquam violari paſſus eſt, licèt Sacerdotes omnes, qui eum hoſpitio exceperant, crudeliter mactâſſet, atque ille bis in poteſtatem incidiſſet, militemque, qui Regis caput in ipſius gratiam amputâſſe nunciaverat, ſtatim necari juſſit, ùt etiam Alexander Magnus fieri juſſit adversùs Darii parricidam, quem Carnifici acerrimè torquendum tradidit, licèt ejus vitam juſto bello petiviſſet. Sed plenæ ſunt tum Græcorum, tum Romanorum Hiſtoriæ eorum, qui conjuratos, ac parricidas ſui Principis, quamvis tyrannicè ſe geſſiſſet, ſupplicio affecerunt, quod illis ingentem attulit gloriam, atque imperandi ſecuritatem. Unde cùm Theophilus Græcorum Imperator gratificandi ſpecie eos, qui Patrem occiſo Leone Armenio, Imperatorem conſtituerant, vocari feciſſet, cunctos poſteà mactari juſſit, & Domitianus Neronis Libertum capite damnavit, quia Neroni ſe jugulanti, eumque enixè roganti, ut opem ferret, obſecutus fuerat. *Vitia enim erunt donec homines, ſed nec hæc continua & interventu meliorum ſapiſſimè penſantur, unde ferenda Regum ingenia, & boni Principes voto expetendi, qualeſcunque tolerandi.*

De Ariſtocratia.

Ariſtocratiæ verò idem eſt objectum ac Regni, *eodem namque modo & naturalis Subditorum libertas, & bonorum proprietas cuſtoditur.* Congruit autem Naturæ, quia meliores imperant; duo namque ſpecificè Ariſtocratiam conſtituunt, *mente ſcilicet inter cæteros præſtantium, ſeu qui habeantur inter alios optimi, ſumma Poteſtas, & Subditorum ſalus*; Quare Leges ferunt, quibus illa promoveri, ac conſervari queat. Latis autem Legibus, illas dominari faciunt, nec propterea ſuo arbitrio, ac voluntate populum regere videntur, licèt ſi juſta ſubſit cauſa, veteres abolere, aliaſque ſancire non prætermittant. Cùm ergo virtute duntaxat metiri debeant, ut jurè Optimates nuncupentur, ſimplex Ariſtocratiæ forma planè redditur difficillima, eâ namque tum Nobilis, tum dives, tum pauper poteſt excellere, & ſi pauper virtute præſtet, is Nobili, ac diviti deberet imperare; quod iis invitis contingere oportere rerum humanarum conditio ſuadet, adeoque motus excitari neceſſe eſt. Concilium enim in Populo univerſo duntaxat ex virtute metiri, illudque, ut perpetuò ſummâ Poteſtate fruatur, efficere, atque ut ab eo tum Senatus, tum ſanctius quoddam Conſilium conſtituatur, cæterique eligantur Magiſtratus ad Rempublicam neceſſarii;

ceſſarii; arduum ſanè, ac pænè impoſſibile videtur; rerum namque humanarum natura non patitur, adeoque non quod eſt optimum, ſed quod ex ſuppoſitione poteſt haberi, optimi locò cenſendum erit; unde Ariſtocratia ſimplex, ſeu optima eſt pænè impoſſibilis; quare Optimatium adhuc regimen erit, licèt non omnes, qui præſunt, ſint optimi, ad eam namque non requiritur neceſſariò virtus in homine, quatenus ipſe ſit talis, ſed quà Civis, adeoque non eadem prorsùs erit Viri boni, ac boni Civis conditio, poteſt namque ùt bonus Civis ſe gerere is, qui non integrè boni Viri nomen mereatur; in illa enim ſi dari poſſet omnium optima, idem eſſet, bonum Virum eſſe, ac bonum Civem, & è contrà. In aliis autem virtutem Civis neceſſariam ad Civitatis ſtatum ducimus; Vir enim bonus ex perfecta virtute dicitur, quæ paucis admodum, raròque contingit; unde inquit Euripides: *Nè mihi cuncta, ſed quorum Civitati ſit uſus.* Quapropter forma, quæ Ariſtocratiæ dat eſſe, *civilis virtus, ac ſalus eſt Subditorum*, adeoque ſemper erunt Optimates, ſi illam, non autem eorum potentiam ſibi proponant; virtus igitur Imperantium quà Civium, ſicut Ariſtocratiam ſpecificè conſtituit, ità eorum à civili virtute deflexio alias efficit ſpecies; parùm igitur refert, an Nobiles, an Divites, an utrique ſimul, an verò ex univerſo Populo ſuffragio meliores ad imperandum eligantur, ſi Reipublicæ utilitatem unicè ſpectaverint, Legesque dominari facient; tunc enim ſemper Optimates dicendi erunt, quoniam non numerus ipſe, ſed Imperantium virtus, aut malitia diverſas Reipublicæ formas conſtituunt, adeoque ſi Divites, aut Nobiles non Reipublicæ ſalutem, ſed ipſorum potentiam promovere ſtudeant, tunc *paucorum dicetur Potentia, & Dominatus*, quæ *Oligarchiam* efficit, vel *paucorum Tyrannidem*, ſi modum omninò excedant, *ac Subditorum libertate, & bonis ad libidinem abutantur*, ùt fuère Athenis triginta Tyranni, Romæ poſtremo tempore Decemviri, ac omnium peſſimè Triumviratus ille, quo præſtantium Virorum cædes, & proſcriptio in Commercium venire viſa eſt.

Unde ſi Lex nullimodè dominetur, ſed illorum arbitrium, ac voluntas abſque ulla ſalutis publicæ cura, ſemper *paucorum* erit *Tyrannis* Oligarchiâ pejor, quoniam illa etſi Leges ſtabiliendæ potentiæ aptas ferat, eamque præcipuè contempletur, ſalutem tamen Subditorum promovere ſimulat, adeoque licèt velit dominari, non tamen dominatione ad libidinem abutitur.

Qua-

Quare licèt non una ſit Ariſtocratiæ ſpecies, ex objecto tamen, ſi unum idemque ſit, in aberrantem, ac vitioſam non tranſit formam, cùm tantummodò magìs, minùsve perfecta dici queat; ac propterea ſi ſummam tantùm Poteſtatem habeant ii, quorum determinatus eſt cenſus, nullusque cenſum inæqualem poſſidenti aditus erit, ut proinde cunctos illi duntaxat eligant Magiſtratus, dummodò tamen non ex determinato perſonarum ordine, ſed ex Populo virtutem præcipuè ſpectando, eos eligant, utilitatemque publicam promoveant; *adhuc Optimatium regimen erit;* ſic etiam ſi ex Nobilibus tantummodò magnum Concilium conflari videatur; dum enim illi ad cæteros Magiſtratus non duntaxat Nobiles, ſed è Populo meliores admittunt, ſalutemque curant Univerſorum, *Optimates* jure nuncupantur.

Quòd ſi ſupremi Magiſtratus tantùm Nobilibus, vel æqualem cenſum habentibus ab ipſo magno Concilio demandentur, tunc licèt reverà regiminis forma paucorum potentiam ſpectare videatur, attamen ſi virtutis ratio habeatur, Lexque perpetuò ſervetur, quæ illos præferri jubeat, quos geſtarum rerum laus, vitæque anteactæ imago ſatis commendat, inferiores etiam Magiſtratus, atque officia cæteris, & quidem melioribus de Populo communicando, Ariſtocratia ſanè erit quoque celebranda, atque ad permanendum aptiſſima. Reipublicæ namque ordinem à Civibus deſumi neceſſe eſt; Civium autem meliores ii porrò ſunt, quos virtus innoteſcere fecit, hi autem ſunt Nobiles, quibus divitiæ ſunt profectò neceſſariæ, ut decus ſervent, nec illiberali quæſtui vacent; penès eos autem ſummam rerum eſſe debere ratio ſuadet, quia Reipublicæ ſalutem plus quàm cæteri promovere coguntur; quapropter meritò Titus Flaminius Proconſul, ùt Livius inquit, *eam partem Civitatis Theſſaliæ potiorem fecit, cui ſalva, tranquillaque omnia magìs eſſe expediebat*, cujus exemplum Andream Doriam in conſtituenda Genuenſium Republica ſecutum videmus.

De Democratia. Democratia verò ea eſt, *in qua ſumma rerum Poteſtas à Populo explicatur ad finem propoſitum, libertatis nempe ſub legum præſidio*; quare maximè ex æquitate duci debet. Legem enim in hac Reipublicæ ſpecie perpetuò dominari oportet, æquumq;, atque honeſtum normam eſſe Poteſtatis: nec igitur majori ſunt in pretio divites, quàm pauperes, quamvis longè divites numero antecellant. Unde quia quod pluribus placet, ratum eſſe neceſſe eſt, potentior ex accidenti fit Plebs: Magiſtra-

tus autem patent univerſis, ſive divites ſint, ſive pauperes, cùm hæc ſit propria Democratiæ Nota, *poſſe ſcilicet omnes viciſſim parere, & imperare*; quare *Concio* Magiſtratus erit omnium maximus, atque in ea Populus jura Majeſtatis explicat, Legesque condit, novas jubendo, vel veteres abrogando, Magiſtratus mandat, ùt Juriſdictionem, procurationem viarum, mœnium, ærarii, &c. deque bello, & pace deliberat. Concionis autem celebrandæ modus eſt multiplex, nam vel coëunt univerſi de Republica deliberaturi, vel viciſſim conveniunt, atque vel univerſi de rebus omnibus deliberant, vel de rebus, quæ ſummam Reipublicæ tantummodò reſpiciunt, vel pauca tantùm ſibi ſumunt deliberanda, ut nempe de repetundis, de fœderibus, & bello; Legislationem autem, ærarii curationem, præmiorum, & pœnarum diſtributionem, aliaque Jura Magiſtratibus concredunt, ab ipſo tamen Populo *vel ſuffragio, vel ſortito* deſignatis; verùm de Comitiorum celebrandi ratione, & quomodo per Tribus, unde Tributa, Curias, ex quo Curiata, Centuriasque, à quibus Centuriata nuncupârunt, inſtituta fuerint, Exercitatione prædictâ de Romanorum Republica differemus.

Meritò igitur inter rectas Reipublicæ formas adeò inſtituta Democratia recenſetur, cùm enim ità temperata eſt, ut æqualitatem ſpectet & libertatem, ſi tantummodò Magiſtratuum deſignatio per ſuffragia, & electionem ex Lege ſtatuatur, ut pejoribus è Plebe ad eos invadendos nullus pateat locus, Reipublicæ potiùs nomen aſſequetur, cùm aberrantis Democratiæ nota ſit *Pauperum poteſtas*, ſicut Oligarchiæ *Divitum*, qui ſunt in Civitate maximè ſibi adverſantes, unde cùm nullâ re dives à paupere diſcriminetur, nec e contrà, harmonia quædam efficitur atque concentus, in quo Reipublicæ hujus ordo conſiſtit; non enim ſicut alii, aut ex paucitate, aut ex multitudine, adeoque ex numero, Rerumpublicarum formas diſtinguimus, cùm *quale* non *quantum* attendamus, quod quidem in libertate, divitiis, diſciplina, ac Nobilitate conſiſtit, *quantum* verò in ipſo Civium numero, ac Urbis magnitudine. Unde ſi pauperum adeò prævaleat poteſtas, ut Rempublicam ſuo arbitrio moderentur, licèt numero divites excedant (quod pænè eſt impoſſibile, pauperes enim ubique ſunt plures, adeoque ex accidenti, dum hi præſunt, multitudo videtur dominari) non erit paucorum dicenda poteſtas, ſeu *Oligarchia*, cujus finis *Divitiæ*, nec *Ariſtocratia*, cujus finis eſt *virtus*, ſed *Democratiæ* ſpecies ab-

errans,

errans, *cujus terminus licèt libertas eſſe videatur, æquitas tamen, & æqualitas abſunt, adeoque nec libertas ipſa reperitur.* Unde in ea Leges cunctas atque Inſtituta popularia cernuntur, atque ad potentiam tantùm pauperum, ſeu multitudinis accomodata, ac propterea *Ochlocratia* nuncupabitur. Si autem impotenter adeò dominetur, ut nullus Legibus relinquatur locus, ſed cuncta Decretis propriis adminiſtret, tunc *Tyrannis* erit *Plebis* omnibus longè pejor; nedum enim in meliores Imperium exercet, & Decreta, ſed Magiſtratus ipſos diſſolvendo, cùm nullam iis relinquat authoritatem, nec eorum vitæ parcit, nec fortunis; id quod evenire advertit Ariſtoteles propter *Demagogos*, ipſi enim aſſentatores plebis ſunt, atque ut ad ejus poteſtatem omnia redigantur, authores, ut ipſi potentiores evadant; licèt enim Plebs dominari videatur, illi tamen ejus Sententiæ Domini fiunt, ſicut aſſentator Tyranni; ſed omnia hæc exemplis meliùs patebunt, quæ ex Romanorum, Lacedæmonum, ac Athenienſium Republica deſumemus.

Nunc autem de modis, quibus Rerumpublicarum formæ conſervantur, pauca univerſaliter diſſeremus. Cùm autem ea ſit Civitatum natura, ut maximè ex paribus, & æqualibus conſiſtat, quod in mediis præcipuè ineſt, hocque difficillimum, ſemper enim excellunt ſive opulenti, ſive Populus; qui propterea à medio plurimùm diſtant, trahere ad ſe Rempublicam ſtudent; nunquam enim æquitatem volunt; quapropter ſi opulenti exempli causâ poteſtatem arripuerint; nolunt pauperes victi Imperium pati, & è contrà; adeoque vel *extrema Democratia*, vel *graviſſima* oboritur *Oligarchia*, quæ ratio Ariſtotelem movit, medio proximam meliorem judicare, & propterea in Democratia penès Agricolas Imperium conſtituere, atque in *Oligarchia* minimi etiam Censûs rationem haberi; quare Agricolarum ſuperante multitudine *primam Democratiam* vocavit, Opificum verò, & Mercenariorum *extremam*, itemque & alias his interjectas, ac ſimiliter de *Oligarchia*; *primam* enim, ubi minimus eſt paucorum cenſus: *ultimam*, ubi maximus; hinc quocunque in ſtatu Leges ferantur, ad medios collineare oportebit, ſive enim Legumſcriptor Oligarchicas, ſive Democraticas Leges ferat, Legibus ipſis divites cum pauperibus, & è contrà, conciliare debebit, ut nempe neque ad multitudinis, neque ad paucorum Imperium, & opes prorsùs dirigatur, ſed nonnihil ad mediocrem ſtatum inducendum, & confirmandum inclinet, hâc enim

nim ratione Status ipſe diuturnior efficietur. Peccârunt igitur, qui in Ariſtocratia conſtituenda non tantùm, quòd plus tribuêre divitibus, ſed populum circumvenire docuerunt; nam *neceſſariò ex falſis bonis aliquando verum exoritur malum.* Divitum namque cupiditates coërcendæ ſunt Legibus, quoniam Rempublicam magìs perdunt, quàm populi. Quoniam autem diffidentiam ſuſtinent inter ſe, mediorum partem, qui nempe ſint mediocriter divites, vel ambabus potentiorem, vel alterutra efficere ſtudebit, ut utrosque ſimul conjungat, vel adversùs eam, quæ Rempublicam invàdit, reſiſtendi vim aſſequatur.

De converſione ordinis in Civitate. Omnis autem turbandi Civitatum ordinis origo erroneâ quâdam juſtitiæ perſuaſione nititur, ut nempe, qui pares ſint ex parte, in omnibus eſſe credant, qui verò impares, ſe quoque credant in omnibus præſtare; æqualitatem enim ſibi adſciſcit Populus in Oligarchia ex libertate: Divites verò, quia divitiis antecellunt, in omnibus præſtantiores eſſe opinantur; ùt quoque Nobiles, quam enim habent imparitatem propter Genus, ad omnia trahunt; cumque propterea ex parte tantùm ſint inæquales, in omnibus cupiunt eſſe, quia propter imparitatem ex parte ſe omninò impares judicando præeſſe abſolutè debere putant; unde motus exiſtunt in *Democratia* propter divites, in *Oligarchia* propter pauperes, ex libertate in cunctis æqualitatem ſibi tribuentes; qui enim virtute antecellunt, licèt omninò & abſolutè ſint impares, atque propterea jure præeſſe deberent, non tamen propter virtutem ſeditiones movent, nam *virtus ipſa res novas moliri prohibet.* Et hæc profectò eſt converſionum omnium fons & origo; ab ea namque mutationum cauſæ derivantur univerſæ, ùt ex Rerumpublicarum omnium exemplis liquet, nam Romæ ad æqualitatem firmandam Populus Leges expetivit, & iis ferendis Decemviri creati, qui cùm Potentiam retinuiſſent, Statum Reipublicæ prorsùs immutârunt; hucque referri poſſunt motus ex agrariis legibus orti, nam æqualitatem in agris dividundis Populus ſibi vindicare conabatur.

Sed mutationum genera antequam eorum cauſas prolixiùs percurramus, debemus intueri; eæ verò tunc omninò accidunt, *cùm Status ipſe, ſeu Reipublicæ ordo penitùs immutatur*, adeoque ſi ex *Democratia*, ſeu *Ariſtocratia* Monarchia inſtituatur, & è contrà, Reſpublica omninò evertetur, cùm ordo ipſe tranſeat in aliud genus; ſic Hebræorum Civitas, quæ Ariſtocraticè, ſeu meliùs Theo-

cratice

craticè regebatur, Imperio nempe ipſius Dei, in Monarchiam tranſiit, cùm Populus ipſe Regem à Deo petiit, & obtinuit; idem eſt, ſi Regnum in Tyrannidem convertatur, ùt Romæ accidit Tarquinio illo Rege, qui ſuperbus meruit nuncupari. Alterum verò mutationis genus eſt, cùm eodem Reipublicæ Ordine manente ſummæ tantùm Poteſtatis in alios fit translatio, ùt Galliæ contigit, dum Pipinus Hilderico Rege exauthorato Regnum ſibi vindicavit. Tertium autem, dum licèt nec Status, nec Princeps immutetur, ordo tamen ipſe intentior, aut remiſſior evadit, cùm ſcilicet magìs Oligarchicus, vel magìs Democraticus efficitur. Sed exigua intentio, ſive remiſſio ab initio vix advertitur; ſolet autem paulatim alterutra magìs intendi, quare primò deterior fiet Reſpublica, tandem nè Reſpublica quidem; qui enim ad nimium trahunt, Legesque, & Inſtituta modum excedentia condunt, Reſpublicas tandem perdunt, adeoque multa, quæ popularia videbantur, populares ipſas Reſpublicas evertêre, & è contra, ùt Naſi comparatione docuit Ariſtoteles, nam ſi à naturali rectitudine paulatim in aduncum, aut ſimum deflectat Naſus, non tamen ad ſpeciem pulcher eſſe deſinet: ſed ſi ampliùs juſto productus fuerit, planè deformis, ac tandem nec Naſus quidem videbitur; Expedit ergo Oligarchiæ, ùt & Democratiæ, quæ modum exceſſerit, potiùs remitti; ſic enim meliores fiunt, dum ad rectum inclinentur, adeoque magìs ſtabiles evadunt. Moderatâ enim Athenis Democratiâ Solonis tempore, intensâque Demoſthenis, & Ariſtotelis ætate peſſumivit; & Roma, dum Plebs cuncta ad ſe traxiſſet, primò à Demagogis oppreſſa, nullum aliud poſteà remedium adinvenit, nisì ut ab uno regeretur; Heracleæ verò Oligarchia à paucis ad ſexcentos Imperio translato moderatior evaſit. Solet autem Tyrannis remiſſior in dies, ac moderatior evadere; nam vult Tyrannus populum allicere, atque ſuorum criminum oblivionem inducere novâ virtutum ſpecie, quas propterea ſimulat, ac explicare ſtudet.

Quædam autem potiùs alteratio contingere videtur, novâ Magiſtratûs inſtitutione, aut veteris abrogatione; dum enim Dictatoria Poteſtas Romæ primùm creata, mutationem aliquam eveniſſe fatendum eſt, ut quoque dum Tribunitia Poteſtas fuit primùm Legibus firmata, nam Decemviri formam ipſam Civitatis immutârunt; unde Livius (*a*) *anno*, inquit, *ter centeſimo altero*, *quàm condi-*

(*a*) *lib.* 3.

condita Roma erat, iterum mutatur forma à Conſulibus ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus antè ad Conſules venerat translato Imperio; licèt dum Tribuni Poteſtatem omnem arripuêre, formam etiam Civitatis immutâſſe videantur.

Cùm igitur ità ſint affecti qui ſeditiones movent, ad eas præcipuè incitat ambitio, & avaritia, unde quæſtum, & honorem immodicè cupiunt, damnumque, & ignominiam fugere ſatagunt, quare optimè Salluſtius: *primò igitur*, inquit, *pecunia, dum Imperii cupido crevit, ea quaſi materies omnium malorum fuêre; namque avaritia fidem, probitatem, cæterasque bonas artes ſubvertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere docuit. Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit.* Contumelia autem maximos ſemper motus ciere viſa eſt, præcipuè in Oligarchiis, nam in Ariſtocratia, quæ virtutem habet pro termino, nemo afficitur contumeliâ; quoniam ſi, ùt dictum eſt, æqualitatem appetunt Cives in Oligarchia (nec enim putant divitias, aut Nobilitatem ejus præſtantiæ eſſe, ut jure Imperium mereantur) quî animi motus excitari non debebunt, ſi addatur contumelia? Sic Romæ, dum Decemvir ille Appius Claudius Virginii filiam deperibat, Legeque abutebatur, Vindicias dando contra libertatem, ſibi, & ſociis ruinam accerſivit; quare multis etiam Principibus exitio fuit; Philippus namque Macedo, medius incedens inter Alexandrum filium, Generumque alterum Epyrotarum Regem non alia de cauſa fuit à Pauſania interemptus, quàm quia illatam ab altero injuriam ulciſci neglexerat, & Cajum Caligulam miles ab eo irrideri ſolitus occidit. Quæſtus verò, ſeu lucrum mortalium animos adeò afficit, ut iniquiſſimè ferant, Vectigalia, & bona publica depeculari, magìs autem, ſi eorum privatas opes, ac fortunas nec in tuto vident. Quot enim Regnorum, & Rerumpublicarum everſiones ob nimia, aut nova Vectigalia? Ob id enim decem Tribus ab Roboamo Salomonis filio abalienatæ, duoque inde Regna conſtituta, quod ambobus tandem exitio fuit, bellis enim inter ſe attrita facillimè in Poteſtatem hoſtium venêre. Sed exempla eſſent innumera, & quælibet Hiſtoria fermè ſuppeditat.

Sed & in qualibet Republica honores, & Imperia, ſeditiones, ingenteſque motus excitârunt, præcipuè dum indignis mandari viſa ſunt; Unde Lucretius:

Illum adſpectari, claroque incedere honore.

(b) *de conjurat. Catilinæ in princip.*

Hinc

Hinc Romæ, perpetuæ Patricios inter & Plebem, acerrimæque contentiones; Oligarchiæ verò præcipuè hac de cauſa diſſolvuntur, cùm enim eam paucorum Dominationem ægrè ferat Populus, quid non audebit, ſi indignos etiam præeſſe videat; Solent enim quandoque ditiores, nobilioresque (*Civili ſcilicet Nobilitate, non autem natura, quæ unicè in virtute conſiſtit,*) cæteros ignaviâ ſuperare, *felicitate namque corrumpuntur mortalium animi*: Populus autem quamvìs virtute careat, ei tamen obſequitur, ac propterea dignos admiratur, eorumque acquieſcit Imperio, unde Virgilius: *Veluti*

- - magno in populo cùm ſæpè coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile Vulgus.
Jamque faces, & arma volant, furor arma miniſtrat,
Tum pietate gravem, ac meritis ſi fortè virum quem
Conſpexêre, ſilent, arrectiſque auribus adſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Nec dum de ſingulis judicat, facilè decipitur. Quare memoratu ſanè dignum, quod Livius refert de Romano Populo; cùm enim Patricios tantummodò Conſules fieri ægrè tuliſſet, non aliter quievit, quàm latâ Lege, ut quatuor militares Tribuni promiſcuè crearentur conſulari Poteſtate, poſt quam Tribunos etiam omnes Patricios creavit Populus, contentus eo, quòd ratio habita plebejorum eſſet. Cùm enim de ſingulis judicium feciſſet, Patricios digniores exiſtimavit. Quapropter *eventus* (inquit Livius) *eorum Comitiorum docuit, alios animos in contentione dignitatis, libertatiſque, alios ſecundùm depoſita certamina, incorrupto judicio eſſe*; ſtatimque ſubdit: *hanc modeſtiam, æquitatem, & altitudinem animi, ubi nunc in uno inveneris, quæ tum Populi univerſi fuit?* Quod & mirabili Campani Populi exemplo comprobatur, cùm enim Senatus univerſus à Populo tolli timeret, Pacullo cuidem Calavio ſe permiſit; ille verò claudit in Curia, præſidiumque in veſtibulo relinquit. Tunc vocato ad Concionem Populo, duas res ſimul agendas proponit, veterem nempe Senatum tollere, & novum cooptare, nè Civitas abſque publico Conſilio eſſet, unde *citari*, inquit, *ſingulos Senatores jubebo, de quorum Capite vos conſulam: quod de quoquo cenſueritis, fiet. Sed priùs in ejus locum virum fortem, ac ſtrenuum novum Senatorem cooptabitis, quàm de noxio ſupplicium ſumatur.* Tunc nominibus in urnam conjectis, licèt quòd primum ſorte nomen excidit,

cidit, pro malo atque ſic uſque ad tertium judicâſſent; quoniam meliores, qui ſubſtituerentur, deerant, Senatum ipſum ex cuſtodia dimitti juſſit.

Excitari quoque motus ob metum ſolent, ùt etiam ex contemptu; quare ſeditionum præcipuè Authores ſubdolè Populum ad atrocia quæque impellunt, cùm enim ex iis veniam deſperet, magìs metuit, ac propterea in ſeditione perſiſtit, Remque publicam potiùs, quàm ſe perdere cupit; hic autem metus pænæ dicitur ob maleficia, & perpetrata ſcelera, ex quo motus concitantur, ſed eosdem parit effectus oppreſſionis timor; hic enim Cæſarem diu cunctantem impulit ad civile bellum; metuit enim, nè dimiſſo Exercitu Romam redeuntem inimici opprimerent. Pericles etiam eodem metu Peloponneſiacum bellum movit, timebat enim judicium capitis propter malè impenſam pecuniam.

Ex contemptu verò cùm Democratiæ, tum Oligarchiæ ſolent everti; dum enim diviſus eſt populus, judiciorumque vis, ac poteſtas elangueſcit, à Divitibus, & Nobilibus contemnitur, unde occaſionem arripiunt immutandæ Reipublicæ. Et è contra, dum Plebs numeroſior, ac potentior facta, Imperantium ordinem tanquam debiliorem aſpernatur; tunc enim motus concitat, & æquari poſtulat: æquata verò nec quieſcit; vult enim ſuo arbitrio cuncta moderari, ùt Romæ, & Athenis contigiſſe legimus, ex quo primùm Reipublicæ mutatio, ac tandem everſio. Fit quoque hàc de cauſa translatio Poteſtatis in Regno, nam Pipinus ob Hilderici Franciæ Regis contemptum Regnum occupavit, & Alphonſus Portugalliæ Rex Poteſtatem amiſit, eâ ad fratrem Petrum delatâ. Nec alia de cauſa Ludovicus Sfortia Mediolani Ducatûs Dominationem retinuit, nisì quia Nepos Galeacius pro ignavo habebatur.

Sed & ordinis unius in Republica nimiùm aucta Potentia, ſive diminuta ſolet etiam Rempublicam invertere. Viri quoque unius immodica authoritas, & præſtantia Rebuspublicis perniciem attulit; quare Oſtraciſmo Athenienſes, & Argivi utebantur; debet enim inter Civitatis ordines proportio quædam eſſe, quâ inter ſe conjungantur, & concordes efficiantur, quemadmodum enim phyſici corporis membra analogiâ quâdam inter ſe debent correſpondere, ut compoſitio ad Naturam eſſe videatur, ità etiam in Republica, cujus membra ſunt ordines; unde eam Plato muſico concentui comparavit. Mutatio autem tum ſenſim, tum repentè

pentè contingit, vel enim paulatim Plebs augetur, vel caſu quodam, ùt ſi Nobiles in prælio fuerint interfecti, ùt Tarenti contigiſſe advertit Ariſtoteles, cùm Principes ab Japigibus deleti eſſent, & Athenis, ubi Themiſtocles fractâ priùs Optimatium Authoritate, Rempublicam in peſſimam Democratiam commutavit.

Eveniunt autem aliquando ſinè ulla ſeditione mutationes, ſi enim indigniſſimo cuique Magiſtratus demandentur, ſolent honeſtiores rationem creandorum Magiſtratuum immutare, ut nempe ſi fiant ſortitò, per ſuffragia demandari curent, & è contra.

Morum quoque diſſimilitudo, Religionis, Nationisque diverſitas motus pariunt. Unde Siculi Gallos moribus ſuis adverſantes eâdem die, atque horâ interemerunt. Quos autem motus, ac Civilia bella excitârit Religionis diverſitas, exempla ſuppeditant funeſtiſſima Germania præcipuè & Gallia.

Innumeræ autem aliæ ſunt cauſæ, quoniam ùt optimè Ariſtoteles, *non de parvis, ſed ex parvis rebus magni motus excitantur;* nam propter diſſenſiones inter Principes Viros etiam quandoque leviſſimis de cauſis maxima exorta ſunt mala, & Rerum publicarum interitus; ex contentione enim inter Cepionem, & Metellum de annulo in auctione emendo belli ſocialis originem deducit Plinius, & Ariſtoteles exempla refert quàm plurima. Sed plenæ ſunt his rebus Hiſtoriæ ferè omnes.

Democratia quidem maximè Demagogorum artibus in Tyrannidem degenerat; aut cùm plures Demagogi æqualem habent poteſtatem, in deterrimam Oligarchiam, vel cùm ipſimet Principibus Viris, quos injuriis laceſſivêre (ſolent enim calumniis, & judiciis ditiores vexare, Plebemque adversùs eos concitare) cauſam præbent, Oligarchiam ex Democratia conſtituendi.

Oligarchiæ verò propter injurias in Plebem, diſſenſionesque paucorum inter ſe commutantur, quod enim diſſidet, infirmum eſt, adeoque facilè evertitur. Rebus quoque novis ſtudent Oligarchæ dum ſua intemperanter vivendo conſumpſerunt; tunc enim facillimè Tyrannis efficitur paucorum: Unde vel ſeditio adversùs eos excitatur; vel dum unus plùs altero publica compilat, qui compilantibus ſe opponunt, motibus cauſam præbent; Ex quibus vel unus tandem cæteros opprimit, ac dominatione potitur, vel rerum ſumma in Plebis incidit Poteſtatem: Sic Auguſtus fractâ etiam ope Antonii Lepidi Potentiâ, oppreſſoque tan-

dem ipſo Antonio ſolus Rempublicam invaſit. Sæpiſſimè autem ex Democratiis, atque Oligarchiis, quæ Legibus eorum Statibus convenientibus moderantur, in eas fit tranſitus, quibus paucorum duntaxat, aut Plebis arbitratu cuncta reguntur; in eas enim præcipuè mutantur, ad quas inclinant; unde pars ea Civitatis, quæ plus habet virium, ac roboris, Rempublicam tandem ad ſe trahit, & ſola dominatur, ùt in Florentina Civitate ſæpius accidiſſe comperimus. Quare cùm jam nimìs intenſa fuerit, nec propterea diù poſſit in eodem ſtatu permanere, vel in oppoſitam tranſit formam, violenter quidem, & maximis cum motibus; vel adeò temperatur, ſi præſtantium Virorum authoritas prævaleat, ut in rectam aliquam, legitimamque formam evadat. Quoniam verò Reſpublica præſertim Romanorum cuncta mutationum exempla ſuppeditat, de ea infrà ſedulò differemus, ut res omnis pleniùs intelligatur, ac velut imaginem in ſpeculo cernimus, ità Reipublicæ doctrinam in Republica, rerumque ipſarum eventis contemplemur, qua de cauſa peculiares priùs cujuslibet formæ affectiones brevi tractatione percurrimus. Cauſæ autem, quas innuimus, quibusque motus, ac ſeditiones excitantur, unde præfatæ Rerumpublicarum formæ intereunt, ac convertuntur, (*interitus enim eſt prioris formæ abolitio, atque in aliam converſio*) & Ariſtocratiam optimam (fit enim aberratio à virtute) & Regnum, fortiùs verò Tyrannidem, ac unius Dominationem, ſicut ſuprà expoſuimus, invertunt; Quare forma quælibet nedum eas removere debet, ſed ſalutares quasdam Cautiones adhibere. Cautionibus autem præcipuè indigent irregulares formæ, nam ùt optimè inquit Ariſtoteles, *Corpora bene conſtituta, & ad bonam valetudinem probè conformata, & ritè inſtructa navigia, plura incommoda ſinè læſione ſuſtinent, morboſa verò Corpora, & fatiſcentes naves, nè parva quidem ferre poſſunt, ità & peſſima quæque Reſpublica plurimam Cautionem deſiderat.*

De Cautionibus ſingularũ formarum Civitatis.

In Democratia ergo nullimodè temperata, quam propterea Ochlocratiam nuncupavimus, licèt ſpecietenus libertas, & æqualitas ſpectetur, quia tamen ſemper numero, nunquam dignitate, Arithmecicà ſcilicet proportione, non verò Geometricà cuncta metiuntur, Plebsque ſemper numero antecellit, ejus propterea in poteſtate ſunt omnia; illa namque libertatem, æquitatemque ſtatuit, cùm id, quod multitudo comprobavit, ratum ſit, ac jus omninò. Ex hoc autem alter Plebis ſcopus derivatur, vivere nempe

nempe ùt quiſque velit, unde illud, *non parere* natum eſt. Quapropter Inſtituta, quibus utitur, ad hunc ſemper duplicem ſcopum referri neceſſe eſt : cunćti ergo Magiſtratus ex omnibus indiſtinćtè creantur, ut omnes quidem ſingulis imperent, ſinguli verò viciſſim omnibus ; iique ſortito demandantur, aut ſi non omnes, ſummi tamen, nullâ nec censûs, nec Nobilitatis, aut virtutis habitâ ratione ; unde generis obſcuritas, paupertas, ſordes magis in pretio. Magiſtratus verò nec diuturnos faciunt, & uni aut nunquam, aut raró bis demandant. Judicant univerſi, & ex omnibus, & de omnibus, aut de maximis, ubi nempe ſumma Poteſtas explicatur ; Concionem omnium dominam conſtituunt ; Magiſtratui verò pauca, & exigua ſolummodò permittunt, eaque ad Concionem revocantur, ſi aliqua ſubſit cauſa. Concio, Judicia, Magiſtratus mercede potiuntur. Epulas celebrant inter ſe ; eximios, & virtute præſtantes Viros odio proſequuntur, ac propterea è Civitate arcere faciunt, hinc Oſtraciſmus ; Civem capitali pœnâ nunquam, aut quidem raró afficiunt; mulćtant verò exilio, pecuniâ, aliaque ſervant, quæ in Athenienſium Republica, præcipuè Demoſthenis tempore obſervabimus, adeoque de ea Xenophon, (*a*) *quòd*, inquit, *eam Reipublicæ formam ſequuti ſint*, *propterea non laudo*; *quia dum illam prætulerunt aliis*, *improbos homines bonis eſſe meliori conditione maluerunt*; *atque hæc cauſa eſt*, *quam ob rem eos non laudem. Verùm quandoquidem ità viſum fuit ipſis*, *oſtendam eos Rempublicam ſuam ſartam tećtam conſervare*, *aliaque conſequi*, *in quibus tamen Græcis reliquis peccare videantur.*

Tyrannidis verò triplex eſt Scopus, Cives nempe inter ſe diffidentes reddere, magni animi, ac præſtantes tollere, & impotentes, ac pauperes efficere univerſos, unde Trhaſibuli Conſilium eminentium Spicarum, ac Tarquinii Superbi filio papaverum mutilatione ſignificatum. Quare Cives inter ſe Patritios nempe & è contra committunt, diſſidiaque inter eosdem promiſcuè ſerunt, foventque ; Collegia, & Sodalitates tollunt, nec convivia inter Cives amant, iis namque amicitia conciliatur; unde Græciæ, ac Siciliæ Tyranni Syſſitia, utì vocabant, & Sodalitates ſuſtulerunt : Diſciplinas evertunt, ſcientia namque homines magni animi reddit : Peregrinis potiùs utuntur, quàm Civibus, nec amicis fidunt, & ſervorum miniſterio utuntur; Aſſentatores habent in pretio, cùm ſint abjećti animi (generoſi enim amant, non adulantur) im-

(*a*) *de Athen. Repub.*

probis

probis dignitates mandant, ac Magiſtratus; ſpeculatorum operam ſemper adhibent, ut quæ Civium quilibet dicat, aut faciat, eos non lateant, qui Potagogides, & Otacuſtæ Syracuſis vocabantur.

Cæteras autem artes tum Hyero apud Xenophontem explicat, tum graviter Plato, (*a*) aliique, quare has recenſuiſſe ſatis fuerit.

Salus autem Tyrannidis erit, Regias præſeferre virtutes, adeoque remiſſione ſervatur, ità ut Tyrannis ipſa procedentibus temporibus deleta exiſtimetur. Quare Divus Thomas, poſtquam Lectione undecimâ ad Quintum Politicorum Ariſtotelis Tyranni artes enumeravit, lectione 12. hæc habet: *Expedit Tyranno ad ſalvandam Tyrannidem, quòd non appareat Subditis ſævus, ſeu crudelis, nam ſi appareat ſævus, reddit ſe odioſum. Ex hoc autem faciliùs inſurgunt in eum, ſed debet ſe reddere reverendum propter excellentiam alicujus boni excellentis. Reverentia enim debetur bono excellenti, & ſi non habeat iſtud bonum excellens, debet ſimulare ſe habere illud. Tyrannus debet ſe reddere talem, ut videatur Subditis ipſum excellere in aliquo bono excellenti, in quo ipſi deficiunt, ex quo eum revereantur. Si non habeat virtutes ſecundùm veritatem, faciat, ut opinentur, ipſum habere eas. Tyrannus debet aut moderatus eſſe circa voluptates, aut delectationes corporales; aut ſi non ſit, tamen ſe debet talem exhibere, ut videatur fugere eas, &c.*

In Oligarchia verò, cùm periculum omne præcipuè à Plebe immineat, præter cætera, quibus Divites utuntur, inſtituta quædam ſunt ad decipiendam Plebem duntaxat accommodata: ea verò libertatis ſpeciem quandam potiſſimùm præſeferunt, licèt Oligarchiam re ipsâ intendant, quæ Ariſtoteles circa Comitia, Magiſtratus, Judicia, arma, & armorum uſum verſari docuit. Licèt enim in Concionem veniendi Lege Populum prohibere non videantur, pœnam tamen Divitibus tantummodò conſtituunt; Magiſtratus autem ejurandi, Divitibus nullam relinquunt facultatem; tenuioribus verò permittunt; ſic etiam in Judiciis aliam quoque ineunt rationem, jubent enim in his nomina profiteri, ac profeſſis Magiſtratus capiendi, ac judicandi poteſtatem faciunt; Divitibus autem niſi profiteantur, gravem mulctam ſtatuunt. Armorum uſum, exercitationeſque Divitibus quoque non ſinè pœna præſcribunt, non autem aliis; Cæteraſque adhibent artes, quæ magis Rerumpublicarum exemplis, de quibus erit ſermo, patefient.

Contrà verò Plebs, dum poteſtatem habet, his adverſantia machi-

(*a*) *Lib. 8. de Rep.*

Digitized by Google

machinatur, mercedem enim Pauperibus Lex conſtituit, Locupletibus verò immunitatem. Quòd ſi Divitibus mulcta conſtitueretur, tenuioribus autem lucrum, Lex eſſet temperata, quam Reipublicæ propterea convenire docuit Ariſtoteles; illam namque ex Cinno quodam Oligarchiæ, ac Democratiæ reſultare pluribus in locis advertit.

Oligarchiæ autem præcipuè eſt ſalutare, ſi videantur Oligarchæ Populi curam gerere, ac propter ejus utilitatem Potentiam exercere, unde Divus Thomas, (a) *Si debeat*, inquit, *ſalvari paucorum Potentia, oportet eam videri facere pro Populo, & facere oportet juramenta contraria iis, quæ faciunt. Conſueverunt enim Oligarchæ, cùm in Principatu inſtituuntur, jurando dicere: juro, quòd Populum odio habebo, & conſilio annitar, ut malè habeat. Hoc autem non eſt faciendum, ſed oportet opinari, contrarium eſſe faciendum, & inſinuare in juramento oportet, quod Oligarchæ non facient injuriam Populo.*

Ariſtocratiæ verò cùm ſcopus unicè ſit *ſalus Civium*; virtus enim eam ſpecie differre facit ab Oligarchia, convenit præcipuè Inſtituta ſervare, & Leges; nec vel minimùm ab iis deflectere, ut nullus intenſioni, aut remiſſioni locus præbeatur, ſic enim ſtabilis erit, quoniam Populus naturâ paret optimis. Unde Ariſtocratia, quæ omnium erit optima, nedum à bonis Civibus, ſed etiam à bonis Viris debet adminiſtrari, quare eadem debet eſſe virtus boni Viri; ac boni Civis, illa enim (virtus nempe boni Viri) eum *optimo jure* Civem conſtituit. Erunt autem Leges Inſtitutis tum Democraticis, tum Oligarchicis contrariæ.

Ex univerſo namque Populo ſuffragio Optimates deliguntur ſolâ virtutis habitâ ratione, ùt in Republica Hebræorum, quam Seniores adminiſtrabant. Poteſt autem major numerus ſuffragio deſignari, atque ex eo ſortito fieri Magiſtratus, regulariter enim Ariſtocraticum Regimen Concilium habet Optimatium, Senatum, ac ſanctius quoddam Conſilium è pauciſſimis conflatum, Præfectumque aliquem, qui ſpecietenùs Principis vices, ſeu ejus imaginem, ac figuram ſuſcipit ſinè Poteſtate, quem vel Ducis, aut Principis, vel altiori etiam titulo decorant, nam Spartæ Reges duo erant, quorum nulla ferè nisì in bello Poteſtas erat, ùt exemplis palàm fiet.

Quare cùm longè abſint, quæ interitum afferunt, & cùm

(a) *Ad Quintum Politicor. Ariſtotelis cap. 3. lect. 7.*

Optimates vigilare perpetuò ſoleant, nè Reſpublica aliquid detrimenti capiat, diutiùs conſervantur. Maximè autem metuere oportet, nè quid contra Leges admittatur quamvis exiguum; latendo namque obripit detrimentum, & poſtquàm eorum, quæ ad Rempublicam pertinent, exiguum neglectum eſt, aliud quoque majus faciliùs mutari contingit; unde ordo ipſe tandem invertitur; ac propterea hunc diſſolvendæ Reipublicæ modum cæteris perniciosiorem docuit Ariſtoteles, ex quo detrimentum latet, mensque eo capitur tanquam Sophiſmate, ùt in Thuriorum Republica accidiſſe refert, quæ ex unius Legis neglectu interiit, & Romana Plebs Tribunitiâ Poteſtate ad ejus tantummodo defenſionem obtentâ, nunquam ampliùs quievit, donec Poteſtatem omnem Optimatibus eriperet; ùt dum de ea diſſeremus, demonſtrabitur.

Quoniam autem ex Oligarchiæ, ac Democratiæ Cinno ordinem illum reſultare innuit Ariſtoteles, quem Politiam, ſive Rempublicam nuncupavit, videndum, an ritè procedat nexus iſte, ſeu Rerumpublicarum miſtio? quod negârunt quamplurimi; alii verò Reſpublicas quasdam miſtas optimè temperatas habuerunt, Polybius namque Romanorum Rempublicam ex triplici regimine temperatam eſſe voluit, ùt & Contarenus Rempublicam Venetorum; cùm verò ea ſit in civili Facultate celeberrima diſquiſitio, de ea largiùs dum ipſam Romanorum Rempublicam deſcribemus, ſermo erit.

Sed mutantur Reſpublicæ univerſæ bellorum caſibus, apertâque vi, nec enim aliter longè latèque dilatari, ac augeri poſſunt Imperia, nisì Populorum ſubjugatione; licèt enim repentè, aut ſenſim dolus ſæpiſſimè quoque Reſpublicas invertat, manere tamen quodammodo viſæ ſunt, at bella vel ſolo æquârunt, vel funditùs Civitatis ordinem ſuſtulerunt. Quò enim Athenienſium, Lacedæmoniorumque Reſpublica; Quò Ætolorum, Acheorumque, innumeræque aliæ belli, & pacis artibus florentiſſimæ? Sed & à magnis Imperiis ſubacta Regna rediguntur in Provinciæ formam, quæ omnia, cùm Hiſtoria abundè ſuppeditet, non hìc oportet recenſere.

Regni autem prima erit cautio, *initia eſſe auſpicata*; ſolemnibus nempe ritè peractis, Populoque juxta receptos Regni mores annuente, nec ratio, aut titulus deficiat à Populo, aut Proceribus confirmatus, approbatusque; quare more majorum debet inaugu-

auguratio peragi, ut nec juſtus deſit titulus, nec modus. Adeptam autem Majeſtatem cunctis viribus tueri altera quidem eſt & præcipua cautio; quòd non tantùm externâ Magnificentiâ apud Subditos, ſed virtute potiſſimùm aſſequitur; præcipuè autem Prudentiâ, & Probitate: *omnia* namque *facta*, *dictaque Principis rumor excipit*; nam ùt optimè Theodoricus apud Caſſiodorum: (*a*) *faciliùs eſt errare naturam, quàm diſſimilem ſui Princeps Rempublicam formare*; Juſtitia verò nunquam abeſſe debet, nam ùt Heſiodus ait:

Hoc uno Reges olim ſunt ſine creati,
Dicere jus Populis, injuſtaque tollere facta.

Clementiâ quoque & fide, quæ juſtitiæ origo eſt, & fundamentum. Clementia tamen cum temperie, & ùt Tacitus monuit: *Clementis nempe Principis erit omnia ſcire, non omnia exequi; parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare, nec pœnâ ſemper, ſed ſæpiùs pœnitentiâ contentus eſſe.* Fides verò eò charior eſſe Principi debet, quoniam ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt; *qua ſinè non tellus pacem, nec æquora nôrunt*; unde meritò Scytharum Legati ad Alexandrum: *Jurando pacem Scythas ſancire nè credideris; colendo fidem jurant . . . Græcorum iſta cautio* eſt, *qui acta conſignant, & Deos invocant: Nos Religionem in ipſa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos.* Sed & Modeſtia Principe Viro præcipuè digna, non minùs enim hominem ſe ac mortalem, quàm hominibus præeſſe cogitare debet; unde Saladinus morti proximus ſolam interiorem tunicam in haſta ſublimem ferri juſſit, eâque viſâ exclamavit: *hoc unum ex Domitore Orientis reſtare.* Cæteræ etiam Majeſtatis comites debent eſſe virtutes, ut beneficentia, cùm *Principibus*, ùt Saluſtius inquit, *armis, quàm munificentiâ vinci minùs flagitioſum ſit.*

Caſtitas, quæ nedum ad famam comparandam multùm confert, quam Princeps nunquam contemnere debebit; veriſſimum enim, quod Tiberius apud Tacitum monuit, *cæteris* nempe *mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent: Principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda*; ſed ſecuritatem præſtat, multi namque propter incontinentiam periêre, nam ut vetera ſileamus exempla, Dux Mediolani Galeacius Sfortia non aliam ob cauſam, niſì quia Hieronymi Olciati Sorori ſtuprum intulerat, ſublatus fuit; & Alexandrum Medicæum Florentiæ Principem

(*a*) 3. *variar. Epiſt.* 12.

cipem in alieno cubili jacentem, ubi fœminam expectabat, Laurentius Medices cum Sicario altero ſecure interfecerunt. Hac quoque de cauſa conjuratio in Principem Petrum Aloyſium Farneſium inita, ejusque ſecuta mors. Sed Ladislai Neapolitanorum Regis mirabilis caſus, quoniam cùm Medici cujusdam filiam adamaret, Pater injuriam ægrè ferens, filiæ pudenda veneno infecit; unde cùm amorem quæreret, mortem adinvenit; Et

Mors vetuit ſextam claudere Olympiadem.

Fortiùs verò dum fœmina regnat, ſuſpicione omni vacare debet, nulla enim potentior cauſa contemptum apud Subditos, cæterosque excitare apta eſt.

Incumbet autem, ut Statûs vires ſint validiſſimæ, *nihil* enim *rerum mortalium tam inſtabile, ac fluxum eſt, quàm Fama Potentiæ non ſuâ vi nixa.* Vires autem ſummoperè parantur, ſi quæ ſunt Statûs fundamenta, ac veluti fulcra ritè ſint diſpoſita, militia nempe, ærarium, & politia; bene autem nunquam erunt, ſi cunctorum ratio ipſi tantùm Principi non reddatur, *ea* enim *eſt imperandi conditio, ut non aliter ratio conſtet.* Religionis autem omninò cuſtos eſſe debebit. Atque licèt apud Gentiles ea pars Politices fuerit, nec propterea poſterior Civitate, eam namque ipſimet Civitati accommodare nitebantur, Chriſtianum tamen Principem nôſſe decet, in Religionem nullum jus eſſe nisi cuſtodiam, defenſionemque; Poteſtates namque duas ordinavit Deus, Religionemque omni Civitate priorem nos docuit, cunctisque potiùs Deo, quàm hominibus obedire præcepit. Poteſtas ergo ſpiritualis Vicaria eſt Dei, atque Miniſtra, nec propterea viciſſim licet alterius Poteſtatis fines invadere, ſed mutuam fovere concordiam, nexuque quodam ſtabili conjungi, ut uterque finis probè aſſequatur, *ſalus nempe æterna, vitaque in Civitate beata.*

Propter fidem autem fœdera, pactiones, ſponſionesque ſervabit, licèt in rebus, quæ ſummam Statui perniciem poſſent adferre, Naturæ Legem promiſſo eum ſolvere non ſit ambigendum; ſemper enim conditio ineſt, nè ſalus Civitatis ex iis periclitetur; nemo enim alienam cum propriæ ſalutis jactura promovere, ac fulcire tenetur; quamvis eò deventum eſt, ùt non ſalus, ſed utilitas duntaxat fœdera firmet, eò enim uſque durare videntur, donec occaſio deeſt, atque plus detrimenti ruptor, quàm utilitatis capiat. Utilitas tamen Naturæ Legem, quâ Principes tenentur, nun-

nunquam vincit. Salus enim tantummodò Reipublicæ rationem illam Statûs parere apta eſt. Quo ex principio unicè fluunt arcana quædam aulica, quæ ſilentio præterire fas erit; *Principi enim ſummum rerum judicium, Subditis obſequii gloria relicta eſt.*

Sui autem reverentiam, amorem; imò Majeſtatem ipſam, non quatenus ſummam denotat Poteſtatem, ſed venerandam illam amplitudinem, atque auguſtiſſimam Dignitatem, & Eminentiam nedum excitant jam dictæ virtutes, ſed præcipuè rerum geſtarum magnitudo, quæ Cimbricum illum hominem ad Marium interimendum miſſum, licèt inermem, & ſquallore obſitum, adeò perſtrinxit, ut attonitus inde & tremens re infectâ diſceſſerit.

Suam quoque Princeps tuetur Majeſtatem, dum ultor ejus, ſi lædatur, etiam in hoſtibus exiſtat; *erit* enim *munimentum ad præſens, atque impoſterum ultionis exemplum;* unde Darius Alexandro ultionem commendabat, quia jam non ſua, ſed communis ad exemplum Regum omnium cauſa erat, quam propterea negligere periculoſum, atque indecorum. Sed & in alterius Principis acta, geſtave nîl ſtatuere, quod ſuis non pateretur, ſi jus, ac Principis authoritas per ea ſervetur illæſa, nec per ignaviam emerſerint; quod Tiberio maximè curæ fuit; acta enim Auguſti perpetuò religiosè cuſtodivit, ſervavitque. Facilè autem Imperii ſedem nunquam deſeret, unde Amurhates jactabatur, ſe majores ex Bizantio res geſſiſſe, quàm in acie alios, nec enim decorum Principi levibus de cauſis ad bellum, ac Provincias proficiſci relictâ urbe, unde in omnia regimen, quod pluribus exitii cauſa fuit, unde de Tiberio Tacitus, *immotum*, inquit, *fixumque adversùs eos ſermones Tiberio fuit non omittere caput rerum, neque ſe, Remque publicam in caſum dare.* Licèt quandoque Subditorum obſequia, ac Magiſtratuum ingenia noſcere, turbas componere, cæteraque, utì oportet, diſponere expediat, nam Carolus Quintus præſentiâ tantùm ſuâ Gandavenſium ſeditionem repreſſit; idemque Philippo Secundo Hiſpaniarum Regi contigiſſet, ſi Belgium adire dignatus eſſet. Nimia quoque familiaritas, & aſſiduus aſpectus nec Majeſtatem decent.

Sed & oportet eorum, qui Civitati nocere poſſunt, explorata habere conſilia; qua de cauſa Speculatores juſtè poſſunt adhiberi. Militibus autem, ac pecuniâ omni tempore inſtructum eſſe neceſſe eſt, *parùm* enim *tuta ſinè viribus eſt Majeſtas;* unde tributorum, ac ſtipendii militaris ratio præcipuè habenda erit, nec enim

 tutum

tutum ultrà vetera, & recepta nova indicere, nec milites injuriâ, aut vi ad obedientiam comparandi. Diſciplinæ tamen militaris expedit eſſe tenaciſſimum: ea quidem Romanis antiquior fuit quàm charitas liberorum; nec enim aliud milites in officio continet, quàm virtus, ac ſeveritas, quibus ſanè Hannibal exercitum diverſis è Nationibus, diſſitisque ingeniis conflatum obedire, maximaque ſuſcipere pericula adegit, unde toties triumphare potuit, otio potiùs Campaniæ victus, quàm Romanorum virtute, unde meritò Hanno: *Scis*, inquit, *Hannibal vincere, uti victoriâ neſcis.*

Denique nec per nimiam liberalitatem Ærarium debet exhaurire, & Confœderatis ferro potiùs ſubvenire quàm auro, quod Alcibiades Tiſaphernem Darii Præfectum monuit: *ne* ſcilicet *tanta ſtipendia Claſſi Laoedamoniorum præberet: ſed nec auxiliis nimis enixè juvaret, quippe memorem eſſe debere, alienam ſe victoriam non ſuam inſtruere, & eatenùs bellum ſuſtinendum, nè inopiâ deſeratur.*

Cuncta etiam, quæ gratiæ ſunt, ſibi debet vindicare, ipſeque ſtipendia, & præmia militibus decernere. Sed plura ſunt, quæ nedum è politicis Scriptoribus, ſed ex hiſtoria, velut è ſuo fonte haurire licet.

De Legum origine.

Quoniam autem Legiſlationem jus præcipuum Majeſtatis eſſe diximus, cùm Legibus præcipuè utatur & armis; nobis propterea univerſaliter quidem Legum eſſentia erit inveſtiganda, nè Juris-Conſultorum fines invadamus. Eas autem explicationem rationis, quatenùs ſcilicet peræquè ab hominibus debeat cuſtodiri, pro objecto habere fatendum eſt, cùm autem natura hominis ſit juxta rationem vivere, eadem propterea Naturæ facultas homini tributa, quâ convenientem naturæ ſuæ vitam inſtituere potis eſt, jus ipſum naturæ conſtituit; quoniam ejus vi nedum noxia ab innoxiis, utilia à contrariis, ſed & honeſta ab inhoneſtis, & juſta ab injuſtis diſcernit, unde principia ipſa, quæ ſunt veluti Societatis univerſæ fundamenta, lumine ipſo Naturæ dignoſcuntur, ùt illud: *quod tibi non vis, alteri nè feceris*, quod cætera complectitur fuſiùs à Juris-Conſultis explicata. Erit ergo *jus Naturæ vis, atque facultas homini peculiaris, quâ cum convenientia naturæ ſuæ tum repugnantia clarè percipit ac diſtinctè.* Explicatio autem hujus vis, ac facultatis inter Gentes jus conſtituit, quod Gentium appellamus. Si verò in Civitate, quæ nempe in Rempublicam fuerit ordinata, jus illud Civile, ejusque Civitatis proprium nuncupatur, ùt Romano-

manorum, Athenienſium, &c., unde *civilia jura juſſa ſunt ſupremæ poteſtatis Subditis pro bene vivendi norma propoſita*; quare eadem eſt Legum, ac ipſius ordinis origo, poſito enim ordine ſtatim jubenda erant, quæ poſcebat ratio, eiſque contraria vetanda. Atqui naturâ dices cuncta fuiſſe communia, jus omnium in omnia, Gentium verò, ac civili jure diſtincta rerum Dominia, unde naturam videntur immutâſſe, adeoque utilitate tantùm introductâ. Verùm quidem, ſed eorum uſum Natura ipſa præſcribebat, prout nempe dictabat ratio, ut ſcilicet tantum potuerit homo de re communi ſibi uſurpare, quantùm ſibi ſufficeret, citrà alterius noxam, damnumve. Sed facile non fuit, vivere homines convenienter naturæ ſuæ, quoniam impetu potiùs, quàm naturæ lumine ducebantur; nec propterea aliter poterat finis aſſequi (*vitâ ſcilicet ad præſcriptum rationis*) quàm in ordinata Societate, ùt anteà dictum eſt. Ordo autem rerum diviſionem poſtulabat, quæ igitur neceſſitas ordinis, eadem & Juris, & Dominii, ſed de his fuſiùs alibi.

Summa verò poteſtas cùm per ſe regit Civitatem, verſaturque tam circa univerſalia, jura nempe condendo, aut abrogando, quàm ſingularia, quæ duplicis ſunt generis, directè nempe publica, ùt pacis, ac belli, Dominii eminentis exercitium, Vectigalia, &c. Et privata, ſed quæ ad Publicum ordinantur; tum etiam per alios, Magiſtratus nempe, Curatores, Legatos &c. Quare cùm jura Majeſtatis præcipua, variæque rerum publicarum formæ fuerint explicatæ, videndum reſtat, quomodo per alios negotia expediat, eorumque conſilio utatur.

Hi autem præcipui ſunt Magiſtratus, & quidem vel ordinariè ſunt conſtituti, vel extra ordinem aſſumuntur: primi diverſi ſunt generis; nam in populari Republica *Concio* ſummus eſt Magiſtratus, adeoque ſinguli quodammodo ſunt Magiſtratus pars, cùm penès univerſos ſit ſumma Poteſtas, ſinguli enim in Concione judicant, deliberant, ac tandem imperant univerſi; alii verò ſunt in ipſa Republica determinati Magiſtratus, quibus Poteſtas aliqua à Populo concreditur, ii tamen cuicunque Reipublicæ communes ſunt, ab ipſa enim ſumma Poteſtate fluunt, atque nunc de his loquimur. Hunc verò Magiſtratum definimus, *quòd ſit publica, atque ordinaria Poteſtas in Civitate munus exercens cum Jurisdictione, vel imperio Lege definitum.* Extra ordinem verò Magiſtratus Curator dicitur, & ille eſt, *qui munus publicum exercet ſummæ Poteſtatis arbitrio, adeoque nullâ Lege de-* *De Magiſtratibus.*

finitum. Cæteri ſunt Magiſtratuum Adminiſtri, ùt Scribæ, Viatores, lictores, accenſi, cornicularii, & hîc genus alii. Quoniam autem de univerſo Magiſtratuum genere, deque Jurisdictione, atque imperio peculiari Exercitatione differemus, de Senatu pauca hîc innuere ſufficiat. Senatus autem *Cœtus eſt perſonarum ad Conſilium de Republica præſtandum legitimè conſtitutus.* Hic autem Conſeſſus ille eſt ſapientium Virorum in omni fermè Republica perpetuò adhibitus, cujusque ſumma eſt, ac eſſe debet authoritas, licèt ſinè poteſtate. Romæ Reges Senatum conſulebant de iis, quæ ad Populum ferri deberent, unde nil jubebatur in Comitiis, quin priùs in Senatu conſultum fuerit, ejusque authoritas intercesſerit. Exactis autem Regibus, dum Ariſtocratiæ forma viguit, Conſules eundem fermè ordinem ſervârunt. Populum enim convocandi penès ipſos erat Poteſtas, atque eorum, quæ Populo proponebantur, à Senatu Conſilium capiebant, Senatûsque intercedebat authoritas, unde in iis, quæ ſanciebantur, formula illa ſervata eſt: *Senatus cenſuit, Populus juſſit.* At poſtquàm in Oligarchiam evaſit, Plebsque propterea injuriis laceſſita ſeceſſionem fecit, ſuosque accepit Magiſtratus, Tribunos nempe, procedentibus temporibus omnia in pejus verſa ſunt; Tribuni enim Populum convocabant, importunisque rogationibus, nunc pro agrariis legibus, nunc ut promiſcua eſſent Patrum, ac Plebis Connubia, nunc ut alter Conſulum fieret è Plebe, adeò Rempublicam turbârunt, ut in peſſimam tandem ceſſerit Ochlocratiam; quare non ampliùs Senatus Plebis ſcita, ſed Plebs ſuo aſſenſu Senatus-Conſulta comprobabat, illisque, Plebis, nempe ſcitis univerſus Populus tenebatur. Hinc factiones, & civilia bella, quæ Rempublicam tandem peſſumdederunt.

Rectè igitur temperatæ Reſpublicæ adeò reguntur, ut Senatus Conſilium, atque Authoritatem in gravioribus rebus gerendis adhibeant; eas autem in populari Republica, antequam ad Populum ferantur, in Senatu cognoſci oportet; illum quidem convocari à Magiſtratu, qui tunc imperat, fas eſt; adeoque ſanctius quoddam pauciſſimorum conſilium creari ſolet, cum quo nedum deliberatio ritè fiat de his, quæ Conſilium Senatûs exigunt, & quæ ferri ad Populum debent; ſed ut ea, quæ juſſa ſunt ritè perficiantur; exequutio namque imperanti Magiſtratui, ſanctiorique illi conſilio relinquitur.

Par

Par quoque in Ariſtocratia ratio; Concilium enim illud Optimatium inſtar Populi erit, adeoque ſuper iis, quæ ad eum ferri debent, Senatus conſulitur à Magiſtratu, qui tunc præeſt, cui etiam ſanctius inhærere ſolet Conſilium, cum quo priùs deliberatio capitur de his quæ in Senatu conſulenda ſunt, ut cum ejus authoritate ad magnum Optimatium Concilium deferantur. In utraque tamen Republica Poteſtas tum Senatores, tum univerſos Magiſtratus creandi, aliosque in mortuorum locum ſubrogandi, Populo, vel magno Optimatium Concilio perpetuò adhæret.

In Regno verò ſolet quoque Senatus à Rege cooptari, ejusque Conſilio Rempublicam moderatur, licèt quandoque privatorum negotia tantummodò demandet, quæ verò ad ſummam Reipublicæ pertinere videntur, ſanctiori pauciſſimorum, quod ſibi adſciſcit, Conſilio communicat, cumque iis, quid è re eſſe videatur, deliberat. Sed hæc exemplis magìs illuſtrantur, variant enim pro Statûs, ac Reipublicæ conditione.

Expedit etiam ſumma Poteſtas cùm exteris negotia per Legatos; qui propterea *Miniſtri ſummæ Poteſtatis nuncupantur ad ea, quæ Reipublicæ interſunt, peragenda, cum exteris, aut ſociis facultatem habentes*; unde quia Principis Perſonam repræſentant, ſunt omni jure inviolabiles, ùt & immunes comites, miniſtri, familiares, res quoque. Sicut autem varia ſunt negotiorum genera, ità multis de cauſis mitti poſſunt, nec ejusdem ſunt ordinis; ſunt enim honoris, & gratulationis cauſæ, Connubia inter Principes contrahenda, pax, induciæ, fœdera ineunda, bellum indicendum; quæ quidem præcipua ſunt Legatorum munera; unde apud Romanos, quòd pacem, & fœdera facerent, ſeu potiùs à fide *fæciales* dictos volunt, qui à Numa inſtituti fæciale jus conſtituebant; erat autem Collegium Sacerdotum viginti, qui eodem modo ac Pontifices creabantur, nè Romani bellum gererent injuſtum. Cùm autem fœdus percutiebant, Patres Patrati dicebantur, quoniam jusjurandum pro toto Populo patrabant. Judicabant etiam de injuriis Sociis illatis, ac nè aliorum Legati violarentur, curabant, pacemque illegitimè factam reſcindebant. Jus ergo fæciale in fœderibus, & pacis actionibus, quæ inter Populos ſanciuntur, potiſſimùm verſatur; fœdus verò *eſt publica Populorum, ac Principum inter ipſos conventio in perpetuum verbis ritè conceptis firmata*; unde nunquam fœdus inire dicuntur Legati ipſi, ſi ratihabitio pendeat à Prin-

De Fœderibus

Principibus ; tunc enim fœdus erit, quando jam ratum fuit ; antè autem *Sponſio* vocari debet, quæ propterea *pactio eſt inter Duces* (Exercituum nempe) *vel Legatos, ſinè Principis, populive juſſu, ratihabitione indigens, ut firma reddatur, ac partes obliget.* Quare nec fœdus erit, ſi conventiones omnes temporarias inter Principes, & Populos, eorumque Duces, ac Magiſtratus complectatur ; unde cùm Induciæ ſoleant Ducum, aut Magiſtratuum arbitrio permitti, pactiones quoque erunt temporariæ ; Bellum enim ad breve illud tempus conventum ceſſare faciunt, atque hoſtes mutuò communicant. Quare cùm injuſſu Populi Romani Conſules Titus Veturius, & Spurius Poſthumius apud Caudinas furcas fœdus cum Samnitibus percuſſiſſent, meritò diſſeruit Poſthumius in Senatu, eo Populum Romanum non teneri, ſponſionemque nuncupavit, ità enim inquit : *Neque ego inficias eo Patres conſcripti, tam ſponſiones, quàm fœdera ſancta eſſe apud eos homines, apud quos juxta Divinas Religiones fides humana colitur, ſed injuſſu Populi nego ſanciri quidquam poſſe, quod Populum teneat. An ſi eâdem ſuperbiâ, quâ ſponſionem iſtam expreſſerant nobis Samnites, coëgiſſent nos verba legitima Dedentium Urbes nuncupare, Deditum Populum Romanum vos Tribuni diceretis, & hanc urbem, templa, delubra, fines, aquas Samnitium eſſe? &c.* & inferiùs : *quid enim vobiſcum Patres conſcripti, quid cum Populo Romano actum eſt? quis vos appellare poteſt? quis ſe à vobis dicere deceptum? hoſtis? an Civis? hoſti nihil ſpopondiſtis, Civem neminem ſpondere pro vobis juſſiſtis. Nihil ergo vobis, nec nobiſcum eſt, quibus nihil mandâſtis ; nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egiſtis. Samnitibus ſponſores nos ſumus, rei ſatis locupletes in id, quod noſtrum eſt ; in id, quod præſtare poſſumus, corpora noſtra, & animos ; in hæc ſæviant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant.* Sed an jure Samnites, reſtitui res debere, utì ante Sponſionem erant, aſſererent, an eorum deditione, qui ſpoponderant liber ab his erat Populus? Quæſtio eſt haud levis momenti, eamque alibi Grotio Duce, aliiſque ſummæ notæ Viris definiemus. Nunc fœderum genera diſtinguimus, vel enim cum amicis, vel cum hoſtibus, aut cum neutris paciſcuntur. Cum hoſtibus diuturnæ fiunt induciæ, aut pax perpetua initur, & amicitia. Cum amicis aut pactiones tempore definitæ renovantur, aut aliæ prioribus adduntur. Cum neutris verò æquo, vel iniquo fœdere agitur. Æquum fœdus erit, ſi *Majeſtatis jura utraque ex parte imminuta conſervantur*, adeò ut nec alter alterum unquam utì ſuperio-

rem

rem agnoſcere, nec in honoribus, ac dignitate cedere fateatur; nil autem refert, ſi in mutuis auxiliis alter plus altero conferat. Romani cum Sociis hanc fœderis æquitatem parùm ſervabant, ſemper enim erat aliqua conditio, quâ paulò minùs, quàm cum Subditis agebant. Unde Setinus Latinorum Imperator *ſub umbra fœderis æqui ſervitutem patimur*, inquit; & Achæorum Lycortas, *fœdus*, ajebat, *Romanorum cum Achæis ſpecie quidem æquum eſſe, re precariam libertatem, apud Romanos etiam imperium eſſe*; qua de cauſa ſociale bellum ortum habuit; eo enim arcano crevit Romanorum Potentia, quòd Sociorum armis, ac ſanguine bella geſſerunt, ex quibus utilitatem ſoli capiebant.

Cautum tamen ritè inter eos erit, qui neque dicunt, neque accipiunt Leges, ſi æquum ſemper fœdus ſanciatur; ſic enim diuturnum erit, fidesque Regi à Rege, Populoque à Populo viciſſim præſtetur, nam aliàs captionibus datur locus, quod Eduardo quarto Regi Anglorum, cùm Regno exutus eſſet, accidit; cùm enim Francorum auxilia, utì fœdere cautum erat, per Legatos popoſciſſet, reſponſum accepit, *eos non poſſe ſalvo fœdere cum Angliæ Rege, Regnóve bellum gerere.* Tertia erit, ſi fœdera affinitate, ac propinquitate firmentur; interdum obſidibus cavetur, aut Arces, Oppidáve redduntur. Sed ùt fœdera diverſi ſunt generis, ità cautiones; ùt enim bello victi Leges accipiunt, ità bello pares æquis conditiónibus mutuò ſibi cavere debent, ùt etiam illi, qui cùm nunquam hoſtes fuerint, ad amicitiam fœdere coëunt, cùm neque Leges dicant, neque accipiant; veriſſimum namque, quod Plancius Conſul Romano Senatui inquit: *neminem Populum diutiùs eâ conditione eſſe poſſe, cujus eum pœniteat;* Et Privernatum Legatus Romanis: *Si bonam* (pacem nempe) *dederitis*, meritò inquit, *& fidam, & perpetuam, ſi malam, haud diuturnam*; tutiùs ergo libertatem adimere, quàm ex parte minuere, *qui mos*, ùt Livius inquit, *Romanis vetuſtus erat, cum quo enim Populo nec fœdere, nec æquis Legibus jungebatur amicitia, non priùs imperio in eo tanquam pacatum utebatur, quàm omnia divina, humanaque dedidiſſet, obſides accepti, arma adempta, præſidia Urbibus impoſita forent.* Difficilis autem ea eſt cautio, quam cliens à Patrono debet exigere, cùm enim nulla fermè Patrocinia gratìs ſuſcipiantur, ſæpiſſimè fit, ut ex Patronis Domini evadant; cùm ambitio, & imperandi cupiditas nullis coërceri terminis videatur, quare Tribunus plebis ille meritò in Populi Romani Concione

cione inquit: *unam eſſe tenuium adversùs potentiores ſecuritatis cautionem, ut ſcilicet Potentes, ſi nocere velint, non poſſint*; cùm nocendi voluntas ambitioſis hominibus, & imperandi cupidis nunquam ſit defutura. Quare maxima omnium cautio erit, nunquam in Arcibus, vel Oppidis præſidia Patronorum admittere. Alia verò: Patrocinii Tabulas ritè conceptis verbis effici curare, ac ſibi tradi, in eisque Jura præcipua Majeſtatis ſalva, & integra ſemper futura diſertè caveri, easque à novis Principibus ratas haberi facere. Nulla enim melior quæri ſolet occaſio; cùm dicant Succeſſores: *Nil ſibi cum paternis fœderibus commune eſſe, iterumque de pactis conventis agi oportere*; quare Clientes, & Patroni promiſcuè pro ſe, ac Succeſſoribus ſtipulari oportet, licèt cautius erit, Patrocinia brevi temporum intervallo definiri, nec ea, nisì neceſſitate cogente ſuſcipi.

Qui autem neutrarum ſunt partium, tunc tuti eſſe videntur, cùm finitimi Principes pacem fovent; aliàs enim *media conſilia neque amicos pariunt, neque inimicos tollunt.* Quare Ariſthenus Imperator in Conſilio Ætolorum: *Romanos*, inquit, *aut ſocios habere, aut hoſtes oportere.*

Sed cuncta hæc à rerum, & caſuum varietate pendere videntur; id enim præcipuè ſpectatur, ut æquabilis reddatur Potentia, quem ad finem Societates, ac fœdera percutiuntur, nè videlicet potentior debiliorem opprimat, eo enim victo nec ſocius, ſeu finitimus alter ſecurus erit; nec enim aliter Philippus totam Græciam ſubjugavit, quàm diſſolutâ Civitatum ſocietate Athenienſium dolo, qui ſociale fœdus in Patrocinium mutârunt, ac tandem cunctis dominari cupiebant. Eandem ob cauſam Mythridates Rex Ponti contra Romanos Parthorum, & Armeniorum Reges, totamque Aſiam conſociare nitebatur; ſera tamen fuit Providentia, nec cæteri pari conſtantià, & fortitudine, quàm Mythridates bellum ſuſcepêre, nam: *Qui pote plus urget: ſic piſces ſæpè minutos magnus comeſt, ùt aves enecat Accipiter.*

Cùm autem ad hunc finem fœdera percutiantur, expedit Arbitros, ac Judices fœderum, ac pactionum adſciri, ac ſi diffideant, etiam de tertio paciſci, vel Arbitris ipſis diffidentibus facultatem alios cooptandi dare, qui diſſidia componant. Illud autem in fœderibus præcipuè advertendum, nihil cum Legatis firmare ſuper iis, quæ ſuis in Tabulis non ſunt expreſſa, aut ſi fuerint, ampliſſima tamen non ſit communicata Poteſtas; ſolent enim ii, quorum nomi-

nomine, ac fide Legati ſpopondêre, non aliàs id ratum habere, quàm ſi rebus ſuis expedire judicaverint, dum intereà alii detrimentum capiunt; ſic enim Ferdinandus Hiſpaniarum Rex Ludovicum XII. Francorum Regem eluſit, cùm enim Philippus Gener pro eo ſpopondiſſet, ideò ratum habere noluit, quia Hiſpanos victores eſſe in Neapolitano bello audivit, ſiniſtro enim eventu pactionem ratam fuiſſet habiturus, nec aliam allegabat cauſam, quàm Philippum mandati fines exceſſiſſe; de fœderibus tamen, deque ſervanda fide alibi fuſiùs.

Sed ultrà eos, quorum ope in moderanda Republica ſumma Poteſtas utitur, Cives etiam adeò diſtribuere debet, ut & mutuam queant fovere concordiam, & cuncta præſtent univerſi, queis Civitas ad bene vivendum poterit indigere, mutua enim auxilia, quibus indigemus, Societatis beneficio in Civitate nanciſcimur; ad concordiam autem nihil magìs proficere videtur, quàm Cives in quoſdam Ordines redigere. Civis autem appellatione non tantummodò eum intelligimus, qui particeps ſit judiciorum, Concionum, & Magiſtratûs, nam nec de Republica populari loquimur, in qua Civis optimo jure dici meretur, cui ad hæc tria patet aditus; ſed eos etiam, qui nedum ſub eadem poteſtate vivunt, ſed iiſdem Civitatis Legibus tenentur, adeò, ùt & Civitatis onera ſubire debeant, & ejuſdem commodis, ac muneribus frui liceat, aliàs ſimpliciter Subditi, aut etiam Inquilini nomine Civis cenſerentur, cùm plures ſæpiſſimè uni Principi pareant Civitates, inter quas licèt Communio ſit juris, nec tamen erit indiſtinctè; ſua enim cuilibet Civitati peculiaris eſt Lex, nec æqualis munerum, aut commodorum participatio, licèt enim Inquilini onera etiam perferre videantur, non tamen munera, aut alia Civitatis commoda æquè participant. Civem ergo *quamvis non jure optimo*, horum communione definimus. Ordines autem adeò ſunt vetuſtiſſimi, ut etiam ante Civitatem extitiſſe ratio ſuadeat; perfectiſſimus namque ordo Civitas eſt, adeoque tempore poſtremus, licèt naturâ, quoniam optimus, ac proinde finis, primus dici mereatur; propagatæ enim Familiæ, è quibus Vicinitates ortas diximus, in quaſdam imperfectas coibant Societates, ut ſe mutuò juvarent, aliorumque injuriis reſiſtere valerent, cùm enim nullius imperio, ac legibus tenerentur, utì quiſque vi, ac robore cæteris præſtabat, ità finitimos deturbare, ac puteos, vel paſcua eripere nitebatur, unde

De ordinibus Civium.

unde loca primum munire coacti, amicitias, Societatesque firmare, ac tandem perfectè in Civitatem coaleſcere, de cujus origine, cùm de Romanorum Republica ſermo erit, fuſiùs pertractabimus.

Principio igitur Societas fuit inter eos, qui ex eodem fonte aquas hauriebant, quique communi convictu fruebantur, unde fratres ſunt appellati, Græci enim Phratrias nuncupabant, quæ cùm ſimul arctiùs jungerentur, & pagos conſtituerent, qui veluti perfugia quædam eſſent, quò ſe reciperent, Phylæ vocabantur, quas primi Rerumpublicarum fundatores tanquam firmiſſimum amicitiæ vinculum in Civitatibus tueri, ac inſtituere judicârunt; unde in Græcis Urbibus Phylæ, ac Phratriæ exſtare ſemper viſæ ſunt, eorumque Præfecti Phylarchæ, & Trithyarchæ, alii verò Fratriarchæ, quos Locagos etiam nuncupabant. Quem ordinem imitatus Romulus, Romanam Rempublicam fundaturus, univerſum Populum diviſit in Tribus, & Curias, quæ Græcorum Phylis, atque Phratriis ex integro reſpondent, quarum etiam quælibet Sacra pecularia habebat, quæ plerumque cum epulis celebrari conſueverant; unde Lacedæmones perpetuò Convivia celebrabant, quæ Phiditia dicebantur, ùt Cretenſes etiam, qui nullo ætatis, ordinis, ac ſeſsûs diſcrimine publicis in locis ſimul epulabantur; quod & Romulus inſtituit, epulum namque præbebatur Curialibus in aula cuique Curiæ propria, præter quas ſacratum erat commune quoddam omnibus Curiis cænaculum, ùt Græcorum Prytanea; ſic autem una reddebatur Civium omnium fides, ac voluntas, atque in militia periculum etiam omne pro Socio ſubeundi ardor; pudor enim erat Manipularem ſuum deſerere, eorundem Sacrorum, ac libaminum participem. Atque hæc porrò eſt Collegiorum origo, quæ in ordinata Civitate certis Legibus, ac Inſtitutis ritè oportet eſſe temperata. Unde Collegium ipſum *plurium ejusdem conditionis conſociationem legitimam appellamus.* Differt autem à corpore, *quia corpus ex pluribus Collegiis, Perſoniſque conditione diſparibus coaleſcit.* Corpus autem ab Univerſitate, *quoniam illa tum Familias, tum Collegia, Corporaque ejuſdem Oppidi Societate, & Juris communione complectitur,* cujus ordo Rempublicam conſtituit, nam ſi ſummâ Poteſtate regantur, jam Reſpublica erit, adeoque Reſpublica Univerſitatem ipſam regit, ac imperii Majeſtate tuetur.

De Collegiis.

Collegia porrò tum divinarum, tum humanarum rerum causâ conſtituuntur, & hæc quoque Jurisdictionem ſolent habere, ùt Magi-

Magiſtratuum ſunt Collegia, quorum alii Jurisdictionem habent, alii Poteſtatem cum mero, miſtoque imperio. Quæ autem ad formandam juventutem ſunt inſtituta, licèt jurisdictione vacent & imperio, etiam aliquibus in locis coërcendi vim habent, & jurisdictionem ſunt aſſecuta, Rectores nempe, ut Scholares in officio contineant; ſunt etiam Opificum, Mercatorum, Agricolarumque Collegia, quorum ùt aliorum omnium Poteſtas Legibus, ac præſcriptis ſummæ Poteſtatis terminatur. Ad conſtituendum autem Collegium non minor trium numerus requiritur, licèt unus jus Collegii tueri poſſit; formam verò Collegii tum unio inter ſe, mutuaque obligatio, tum leges ipſæ, pactaque conventa conſtituunt; licèt enim Collegio, aut Univerſitati, dum nihil contra leges admittatur, Decreta facere, quæ Collegas ipſos ſeorſim, collectim verò minorem Collegarum partem obligent, dum tamen major pars decreto conſentiat, quæ propterea nunquam obligari poteſt, quoniam decretum ipſum diſſolvendi habet poteſtatem. Mulctam etiam contra inobſervantes Collegas poterit lege indicere, ſi tamen gravior fuerit, Judex ordinarius cognoſcere debebit, maximè verò ſi Collegii Albo eradi jubeatur, licèt veteri jure permiſſum fuerit, ùt Cicero de Mercurialibus, & Capitolinis inquit, *qui Marcum Furium hominem nequam Equitem Romanum de Collegio ejecerunt.*

Quæ autem aſſenſione, ac voluntate omnium firmantur, ſi jus reſpiciunt ſingulorum, aliter non poſſe infirmari palàm eſt, niſì ſingulorum etiam accedat aſſenſus; ſi verò jus ſit Univerſorum, Collegii maxima pars, aut etiam duæ partes antiquare poterunt, unde ſi tres Civium ordines coëunt univerſi, nihil à duobus poterit definiri, quo alteri præjudicium inferatur, ſi res ad ſingulos ſeorſim pertineat.

Licèt autem non omnes adeſſe oporteat, ut de rebus ad Collegium pertinentibus decernere queant; in iis verò, quæ majoris ſunt momenti, nedum omnes vocari, ſed duas ſaltèm partes adeſſe ſat eſt, niſì Lex ſuffragiorum numerum definiat; nam interdum ſuffragia nulliter diſcrepare debent, ùt in Tribunorumplebis Collegio, quorum nemo debebat intercedere. Collegæ autem aut miniſterio ſervorum, aut campanæ ſonitu, vel ſigno quodam alio advocantur, ut veterum more tubâ; quòd ſi non veniant, is, cujus intereſt, Magiſtratum adire debet, ejusque opem implorare,

 aut

aut fructuum, & commodorum parte mulctare. Si autem, qui vocat, imperium habet, eo utitur ad Collegium cogendum; Conſules enim, dum Senatum cogere volebant, captis interdum pignoribus, ac graviori etiam indictâ pœnâ Senatores adeſſe cogebant, unde Marcus Antonius Conſul Ciceronis domum everſurum indixerat, ſi vocatus Senatui adeſſe non curaret.

Cùm autem ad amicitiam, concordiamque retinendam Collegia non parvi eſſe momenti pateat; hinc in populari Republica meliùs quàm in cæteris expedire ſequitur; ibi enim Civium diſſenſiones ſunt exſtirpandæ radicitùs, ut Reſpublica incolumis conſervetur. In Regno verò, & Ariſtocratia nec omnia probari, nec penitùs deleri oportet, ſed quæ Reipublicæ ſunt neceſſaria optimis adeò Legibus informare, ac in officio continere, ut tam *Monopolia*, *quàm Polypolia* vitentur; hinc quoad Opificum Collegia nulla nova permittantur, nisì Principis accedat Authoritas, & confirmatio, nec coire permittatur, nisì ſciente, præſenteve Magiſtratu, ſeu alio ab eodem delegato. Eorum verò Statuta nec aliis præjudicium afferant, nec, nisì publica acceſſerit authoritas, & confirmatio, valere queant. Conventus in publicis fieri ædibus, non verò in privatis mandari è Republica erit. Compotationes prohiberi, ſumptus circumſcribi, & diminui oportet, ut & tempora ſervitio præfinita; nec facilè peregrini in arte, aut opificio eximii excludantur, incremento enim Urbis obeſſet. Omnes denique obſtringi oportet, ut, ſi quid in Conventibus utilitati publicæ noxium agitetur, ſtatim velint indicare.

Tyranni verò Civium Collegia, ac Sodalitates ſemper ſuſtulerunt, quoniam ex eorum diffidentia ſecuritatem quærunt; unde Tarquinius Superbus, quæ à Numa, cæterisque Regibus erant inſtituta Collegia, ſuſtulit, & Populi comitia prohibuit, Senatumque ipſum abolere conſtituerat, nec propterea in mortui Senatoris locum alium ſubrogabat; Cæſar quoque dictatoriâ Poteſtate perpetuò uſurpata Collegia ſuſtulit, quæ ab Auguſto Republicâ compoſitâ reſtituta fuêre; quare victis etiam Populis ad eorum vires, amicitiasque infirmandas Collegia vetari ſolent, unde Livius de Mumio Conſule: *Concilia omnia Achaiæ Nationum, & Focenſium, & Bæotorum, aut in alia parte Græciæ delevit, quæ poſtquàm Romanis æquo animo parere cœperunt, reſtituta ſunt.*

Sed

Sed in Senatûs Collegium nemo quidem Romæ admittebatur, niſì Cenſorum judicio dignus eſſet, quorum duo munera præcipua fuêre, æſtimatio nempe facultatum, & morum. Mores igitur uniuscujusque notabant, eiq́ue ignominiæ notam inurebant, unde & Senatu movebant, & Equiti equum publicum adimebant; Tribu quoque movere ſolebant, ex honeſta in minûs honeſtam Civem transferendo, ac denique in Cæritum Tabulas referebant, ultimam nempe claſſem, quæ ignominia omnium erat maxima, non enim aliter Cives poterant animadvertere; unde Cenſores quaſi morum Magiſtri erant, nec inter Magiſtratus ordinarios referri poſſunt, nam nec ſemper fuerunt, & nunc munus quaſi obliteratum videtur, licèt aliquæ Italiæ Civitates retineant, & Veneti Cenſores tres Viros conformandis Civium moribus appellant. Sunt etiam apud Genuenſes, & Lucenſes, ùt & apud Genevates, qui Decemviros, quatuor quidem ex Senatu 60. Virorum, reliquos verò ex Senatu ducentorum aſſumunt, eosq́ue Antiquos appellant. *De Cenſoribus.*

Præcipua autem Cenſorum inſtitutio non propter mores, ſed propter bonorum æſtimationem ſecuta eſt; ut nempe non modò publicæ opes, ſed etiam omnes ſingulorum Civium facultates in Republica perſpectæ eſſet. Servius autem Rex primus cenſum inſtituit, Civesq́ue in claſſes ex cenſu diſtribuit, unde Livius: *Servius*, inquit, *cenſum inſtituit, rem ſaluberrimam tanto futuro imperio*, & alibi: *hic annus* ait *cenſuræ initium fuit, rei à parva origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta eſt, ut mores, diſciplinæq́ue Romanæ penès eam regimen, Senatûs, Equitumq́ue centuriæ, decoris, dedecorisq́ue diſcrimen ſub ditione ejus Magiſtratûs, publicorum jus, privatorumq́ue locorum, Vectigalia Populi Romani ſub nutu, atque arbitrio eſſent.* Athenis *Legum Cuſtodes*, ac *Nomophylaces* dicebantur. Eorum autem judicium, ùt Marcus Tullius inquit, nil ferè damnato afferebat, niſì ruborem; itaq́ue ùt omnis illa judicatio verſabatur tantummodo in nomine, ſic ignominiam duntaxat irrogabat, quæ plurimùm diſtat ab infamia; ea enim Magiſtratuum ſententiis, ac judiciis contrahitur; quare qui acceptam ignominiam, ac dedecus purgare cupiebant, munus aliquod extra ordinem à Populo impetrare nitebantur, quo ignominia omnis ſublata cenſebatur: ſin autem coràm populo judicium ſubire voluiſſent, ac Populus cenſoriam notam comprobâſſet; non tantùm ignominioſi,

Digitized by Google

minioſi, ſed infames etiam dicebantur. Exactis autem Regibus cenſorium munus adeò neceſſarium Conſules exiſtimàrunt, ut ipſi primum exercuerint; poſteà verò Cenſores creati Lucius Papyrius, & Lucius Sempronius in annos quinque anno Urbis 310.; primò quidem tantùm ex Patritiis, anno autem Urbis 402. Cajus Martius Rutilus primus è Plebe Cenſor exſtitit; latâ etiam poſteà lege, ut perpetuò Cenſor alter de Plebe eſſet, nullum enim fuit munus in Republica, quod Plebs non arripuiſſet; everſâ verò Republicâ Cenſuram exercuêre Cæſares ipſi, nam & Cæſar Dictator cenſum accuratiſſimè inſtituit, & ſe Magiſtrum morum appellavit; Auguſtus autem morum Præfecturam à Senatu delatam retinuit, terque non modò Civium, ſed omnium Romano Imperio parentium cenſum egit: Tiberii autem & Caligulæ Principatu nullus cenſus actus fuit: Claudio autem Cæſare luſtrum 74. factum eſt, quòd à Veſpaſiano etiam conditum: Cenſurâ deinceps omiſsâ uſque ad Decii Imperatoris tempora, qui Valerianum Cenſorem magnâ cum poteſtate creavit, illis enim corruptiſſimis Reipublicæ temporibus non *Cenſores* ampliùs, ſed *Tribuni voluptatum* creari cœpêre. Græci tamen Imperatores Magiſtrum censûs creabant, penès quem Tabulæ publicæ cuſtodiebantur, quibus tum ætatis, ordinumque Civium deſcriptiones, tum quo die, & Conſule Teſtamenta, Contractus, actaque cætera celebrata eſſent, notabantur.

Nunc morum Cenſura penitùs antiquata, bonorum autem æſtimatio viget; nam pleriſque in locis per æs, & libram onerum diſtributio fieri ſolet. Neceſſariam autem in populari præſertim Republica ducimus; poſſunt enim Leges delicta punire, conſcientiam munire non poſſunt; Legum enim metus non ſcelera, ſed licentiam comprimit; expedit autem Reipublicæ non tantùm ſceleſtos homines à muneribus arceri, ſed probos duntaxat ea capeſſere, qui nedum Cenſorum judicio dignoſcuntur; ſed eorum metus virtutem, honeſtatemque ſectari adigit; Cenſores enim quo quiſque modo domi etiam, & in ipſis latebris cum uxore, liberis, aliisque ſe gerat, diligentiſſimè conquirunt, unde quæ cujusque ſit vita, qui mores, ſciunt; ac propterea quamplurima coërcent vitia, quibus Lex mederi nequit. At quanta erit Cenſorii muneris utilitas in recta juventutis educatione, quæ nunc privatorum duntaxat arbitrio relinquitur, licèt ab ea felicitas univerſa

unicè

Digitized by Google

unicè procedat ? quare Lycurgus pro inſtituenda duntaxat juventute Magiſtratum creavit, qui magnus Pedonomus dicebatur. Et apud Perſas præerant pueris, ùt Xenophon refert, quidam ex Senioribus, qui eos efficere quàm optimos curabant. Adoleſcentibus autem de Virorum cætu quidam etiam præeſſe debebant, qui eos quâ ratione, ſtudioque Cives optimi evadere potuiſſent, docere tenebantur. Qualis enim eſt Civitatis ſcopus, ac finis, eadem & oportet eſſe Civium educatio, ùt optimè advertit Ariſtoteles. Atque hæc pro univerſali tantummodò Civilis facultatis notitia dicta ſufficiant; Exemplis enim, quàm Præceptis faciliùs aſſequi palàm eſt.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

De Ortu, & Progreſſu præcipuarum aliquot Europæ Civitatum.

EXERCITATIO I.

De Civitate Romanorum.

CIvitatem tunc naturaliter ſua initia, progreſſusque ſortitam dicimus, cùm nempe palantes homines, atque in Vicos, & Oppida diſperſi, Ducem aliquem nacti, ut commodiùs vitam inſtituerent, atque Potentiorum injurias faciliùs arcerent, ſe mutuò conjunxerunt, aptiſſimumque locum occupârunt ad ædificandam Urbem, eaque propter ità Societatem invêre, ut rebus ad bene vivendum neceſſariis inſtructi eſſent, ſeque mutuò defendere valerent; Rempublicam autem, dum ritè imperandi, parendique ordinem inſtituerunt, ùt dictum eſt; licèt autem tunc Civitas propter eam, quam accepit ordinis formam in Rempublicam tranſiverit, atque ab illa nuncupari mereatur; rectè tamen ſi de ordine ipſo haud ſermo erit, ſub Civitatis nomine contineri palàm eſt; unde Cæſar Helvetiorum Rempublicam Civitatem apellavit, & Cenſorinus apud Appianum in Lybico Cartaginienſis Reipublicæ Legatis reſpondit ſe, Urbem quidem deleturum, Civitatem verò, Cives nempe eo quo regebantur ordine, relicturum; quare cùm Societas Civitatem oriri faciat, ordo verò Rempublicam, nîl aliud Urbis nomine præter Ædificia, atque ipſa mænia, quæ Cives amplectuntur, denotari ſequitur; hinc egregiè Otho Milites alloquens apud Tacitum: *Quid vos*, inquit, *pulcherri-*

mam hanc urbem domibus, & tectis, & congeſtu lapidum ſtare creditis? muta hæc & inanima intercidere, ac reparari promiſcua ſunt: æternitas rerum, & pax Gentium, & mea cum veſtra ſalus incolumitate Senatûs firmatur, &c.

Sic autem Athenienſium Civitas Theſeo Duce orta eſt; ſic quoque Venetorum; cùm enim anno 452. Italia diris undique bellorum facibus conflagraret, Adriatici Maris lacunas multi quærere coacti ſunt, ut inter illos aquarum receſſus bellorum vitarent incendia, ubi cùm frequentior in dies numerus conveniſſet, paulatim in Civitatis formam coaleſcere potuerunt, quæ adeò potentià, atque opibus crevit, ut Reſpublica evaſerit quotquot in orbe fuêre celeberrima; licèt enim Romanorum Republica plurimùm viribus, ac imperio diſpar, eam tamen diuturnitate temporum, inſtitutisque longè ſalutaribus antecellit.

Orta quoque nova Civitas eſt, dum Populus aliquis novam ſibi ſedem quærere ſeu bello, ſeu inopià, aliâve causâ coactus, Urbem condit, eamque ordine inſtituit; ſic autem Chartago, aliæque. Seu etiam dum veteres invaſit, atque ſui juris effecit, earumque formam invertit, ùt Hebræi ex Ægypto profecti Duce Moyſe, licèt eorum Civitas ordinem ipſum, juraque omnia à Deo accipere meruiſſet; Francones etiam devictâ Galliâ, & Longobardi dum Italiâ potiti ſunt, ac denique, ut alios omittam, Turcæ in Aſia. Cuncti enim aliis Legibus, ac Magiſtratibus Civitates ordinârunt, veteresque formas immutârunt. Alia etiam initia Civitas habere viſa eſt, dum nempe pars aliqua è Populo migrare juſſa, novam Urbem ſibi condere, aut victam, deditamque habitare debuit, quales fuêre Græcorum, Romanorumque Coloniæ, nuperque Hiſpanorum. Hæ autem cùm ad minuendum Populi numerum, tum ad faciliùs retinendas devictas Urbes deducebantur, adeoque ſub imperio conditoris Populi, ſeu ſui Principis mansêre; converſionem tamen, prioris nempe formæ interitum cauſabantur; unde ſi ſuis Legibus, Magiſtratibusque vivere cæpiſſent, diverſam efficiebant Civitatem, aliàs pars quædam erant Civitatis, cujus jure, atque imperio contineri videbantur. Sed de his latiùs alibi.

Dum autem Princeps aliquis Urbem ad gloriam comparandam, ſive alia de cauſa condit, ùt Alexander, qui Urbem ſuo è nomine Alexandriam nuncupavit, cùm ſuis ab initiis ſub alterius

imperio

imperio exiſtat, nec ritè Civitas, quatenùs nempe Rempublicam complectitur, poterit appellari.

De Urbis Romæ initiis. Urbs autem Roma, licèt ex Albano Populo potiſſimùm orta, ſui tamen juris ab initio fuit, quoniam Romulus undique collectâ multitudine, multâque perditiſſimorum hominum manu ad eum recurrente, ut aſylo, quem ad eum finem aperuerat, potiretur, ubi ſufficiens ordinandæ Civitati Populus videbatur, pro Concione priùs diſſeruit, ut Ducem ſibi conſtitueret, qui tum Legibus informaret, tum adversùs finitimos defenderet; Populus autem ille, cùm Ductorem ipſum haberet Romulum, ejuſque duntaxat ſuſpiceret virtutem, eum ſibi Regem cooptavit; tum Romulus eo ſe Populi judicio delectari faſſus, non aliter tamen Regem ſe eſſe velle aſſeruit, nisì Deus ipſe Populi judicium comprobaret; quare capta ſunt auſpicia Hetruſcorum more, cumque fulgur à dextris ad ſiniſtra emicuiſſet, hoc lætum, fauſtumque omen eſſet, tunc demum Romulus Regiam aſſumere poteſtatem affirmavit.

Sed ut auguſtiora eſſent Civitatis initia, ſuam conſecrare originem, & ad Deum referre Authorem voluit; quare opinio, quòd eſſet Marte genitus, invaluit, quæ ut altiùs repetatur, atque ædificandæ Urbis occaſio magìs perſpecta reddatur, de Romuli ortu, qui Reipublicæ omnium maximæ jecit fundamenta, pauca commemorare haud inutile cenſemus.

Poſt Trojanorum in Italiam adventum, indeque ſecuta bella, quorum Hiſtoria commixta fabulis legitur, Albanorum Civitas ab Julio Æneæ filio (incertum an ille fuerit Creusâ Matre genitus comes paternæ fugæ, an è Lavinia Latini Regis filia procreatus) condita refertur; in ea verò quamplurimi ejus orti ſanguine Reges dominati fuêre, quorum poſtremus Amulius fuit. Is autem fratrem habuit Numitorem natu maximum, cui propterea Civitatis regimen jure delatum, ſed Amulii dolus, & vis plus potuêre; nec fratrem duntaxat pellit, ſed virilem ejus ſtirpem interemit, unâ duntaxat relictâ filiâ, quæ Rhea Silvia dicebatur, quam ſpecie honoris Veſtæ Sacris addixit, ut Religione Deæ hominis admiſſio ſcelus fieret, ſicque perpetuò celebs eſſet, fratris univerſa ſoboles deficeret. Illa verò Militis, ſeu alterius hominis conſortio vitiata, geminam edidit prolem maſculam, Marsque Deus, ut honeſtati conſuleretur, author fit culpæ. Amulius tamen re cognitâ, Matrem ſacerdotem vinciri jubet, pueros in profluentem mitti.

Cùm autem præ continuis imbribus Tyberis exundâſſet in campos, & uſque ad juſtum ſui curſum adiri prohiberet, exponuntur in proxima alluvie; fabulâ inde compoſitâ, quòd Lupa ad eorum vagitus præſtò fuerit, quòdque diſtenta à recenti partu ubera præbuerit, linguâ ſimul abſtergens lutum, quo ſe inquinaverant. Sicque à paſtoribus reperti, atque ab iis enutriti, donec adolevêre. Sed eos potiùs cuſtos regii pecoris nomine Fauſtulus adinvenit, uxorque mammas præbuit, quæ meretriciam egerat vitam, unde Lupa dicebatur. Adulti tandem dum Lycæum Pana ludis Lupercalibus venerantur, à Latronibus, in quos impetum ſæpiùs fecerant, & prædâ ſpoliaverant, inter paſtores rapta dividendo, adorti, Remus capitur, atque Amulio traditus accuſatur, ſe cum fratre Romulo collectâ juvenum manu hoſtilem in modum prædas agere; quoniam verò Numitoris agros ſæpiùs vaſtâſſe criminabantur, eidem ad ſupplicium deditur, cui jam Fauſtulus eâ neceſſitate coactus rem omnem patefecerat, quod cùm eorum ætati, atque indoli ex integro reſponderet, fidem adhibet, unde Romulo confeſtim res detecta, conſiliumque de obtruncando Amulio ſimul captum; quod cùm proſperè eveniſſet, advocatâ Numitor Concione, fratris ſcelera, nepotum originem, ùtque educati, & cogniti fuerant, oſtendit, meritòque propterea occiſum Amulium ſuadet; cùmque Rex à juvenibus per mediam Concionem ingreſſis ſalutaretur, ab univerſo Concilio proclamatur. Dum autem Nepotum ſpectat ingenia, atque indolem contemplatur, conſultum ſibi fore judicat, nedum eos ad novam condendam Urbem allicere, ſed auxilia præbere. Illos verò gloriæ ſtimulis incitatos cupido invaſit, in iis locis, ubi expoſiti, ubique educati erant, Urbem condere. Quare Albanorum, Latinorumque multitudine eos ſequi à Rege juſsâ, ingens quoque paſtorum numerus acceſſit. Sed confeſtim diſſidium inter Fratres exoritur, quisque enim ſuo è nomine, quam ſtatuebant Urbem, nuncupare cupiebat; ventum inde ad auguria, & Palatinum Romulus, Aventinum Remus, ad inaugurandum templa capiunt, ſexque Vultures Remo priùs viſi, duodecim poſteà Romulo; hinc augetur concertatio, nam utrique à ſua multitudine Reges proclamantur, ex quo tandem pugna exoritur, in qua Remus interficitur. Licèt alii eum quidem Principatum Romulo ceſſiſſe fateantur, ſed poſteà ejus operi illudentem tranſiluiſſe muros, eaque propter ab irato Romulo, voce incre-

increpitans (*ſic deinde, quicunque tranſiliet mœnia mea*) interfectum. Indictà poſteà die, quâ placato Numine Urbis initium auſpicaretur, ubi ea illuxit, Sacris primùm operatus, per flammas *piaculi causâ* Populum *ſalire* juſſit, ritèque captis auſpiciis Palatinum Collem circumſcripſit figurâ quadrangulâ, ducentoſque boves, mares, atque fœminas ſub idem jugum poſuit, ac aratro locum, ubi fundanda erant mœnia, deſignavit. Operi deinde Populus adhibitus, atque illo recurrente die quolibet anno feſtum apud Romanos celebratum; incertum tamen, an propter Urbis initia conſecraverint, an jam ante feſtum auſpicatum condendæ Urbi delegiſſent, vocâruntque *Parilia*.

De prima Civitatis forma.

Ut autem poſt digreſſionem hanc ad Regiminis formam à Romulo præſcriptam redeamus, ille jam Populi ſuffragio, auſpicatoque Rex declaratus, Populum primò tres in partes diſtribuit, quas Tribus nuncupavit, Tribum autem in decem Curias, unde Curiæ 30., Curiaſque in denas diviſit Decurias, Tribus autem ſuos præfecit Tribunos, Curiiſque Curiones, ùt & Decuriis, quibus ſingulis ſuus Decurio præerat. Quem ordinem è Græcis ſumpſit, ùt alibi diximus. Agrum quoque in 30. æquales ſortes diviſit, ſingulaſque Curias ſortiri juſſit, partem tamen Sacrorum ac Templorum Miniſterio addixit, aliamque publici Juris fecit: ità diviſo Populo, agroque cunctis æqualiter diſtributo, aliam etiam diviſionem inſtituit; eos enim, qui Patrem ciere poterant, aut qui cæteris quocunque modo præſtarent, Patritios nuncupavit, cæteros Plebem eſſe juſſit, tumque latis Legibus præſcripſit, quid utriſque faciendum; Patritiis Sacrorum curam, utque Magiſtratus gererent, ſecumque Rempublicam adminiſtrarent, demandavit; Plebi verò, ut agros coleret, pecora paſceret, exerceret quæſtuoſa opificia, juſſit; unde Plebs ruſtica, quæ rure habitabat: urbana, quæ in urbe, dicta eſt, & Tribunos, Ærarios, Scribas, Apparitores Magiſtratuum, Mercatores, Argentarios, ſeu Fœneratores, Opifices Turbam forenſem, & Libertinos complectebatur; atque præter Libertinos in varia Collegia fuit procedentibus temporibus diſtributa; ùt & Plebs ruſtica, quæ ſua habuit Collegia à Servio Rege inſtituta.

Ut autem Patritiorum, ac Plebejorum animos perpetuo quodam concordiæ nexu vinciret, optionem plebeis fecit, quoſcunque vellent è Patritiis ſibi Patronos adſciſcere, diſtinctâ inter utroſque officiorum ratione; Patronos enim nedum Clientibus oportebat

 reſpon-

reſpondere de jure, cujus illi erant ignari, ſed abſentium æquè ac præſentium curam gerere, pro iisque defenſionem, tum in litibus, tum in accuſationibus ſuſcipere, quietem denique in publicis, privatisque negotiis eis parare. Clientum verò officia erant Patronis egentibus, dum filias elocarent, ac Magiſtratus gererent, impendiorum causâ pecuniâ ſubvenire, eosque adire ſæpiùs, cætera, quæ opus eſſent officia, præſtituri. Viciſſim autem alteris alteros accuſare, aut adverſum dicere teſtimonium nefas erat, unde lege de Proditoribus tenebatur, qui Patrono, aut Clienti fraudem feciſſet, ſacerque erat, ut cuique impunè occidere liceret, quod & poſteà XII. Tabularum Legibus cautum fuit, quare mutua eorum officia velut cognatas neceſſitudines poſteris per manus traditas fuiſſe Dionyſius ait; adeoque mos invaluit, ut procedentibus t mporibus Coloniæ etiam, ac Municipia, fœderatæ quoque Urbes aut bello ſubactæ ſibi è Romanis Civibus Patronos adſciſcerent, ità ut iis etiam ſæpè numero à Senatu dirimendæ Controverſiæ remitterentur, quod inſtitutum è Græcis quoque hauſit Romulus, nam Athenienſes, Theſſalique Patronos, Clientesque habebant, quos illi Thetas propter miniſteria nuncupabant, hi verò Peneſtas; nam iisdem corrupto more tanquam emptitiis abutebantur.

E' Patritiis igitur 100. Virorum Senatum conſtituit Romulus, ut eorum conſilio Rempublicam adminiſtraret, hancque legendi rationem tenuit; Tribus enim ſingulis juſſit 3. Viros legere maximè Virtute probatos, idemque ſingulis Curiis mandavit. Ex omnibus verò unum præcipuè ipſe declaravit, quem Senatûs Præfectum conſtituit, cuique Urbis regimen committebat, quoties ipſe Exercitum ducere cogeretur. Ipſe autem Inſignibus Imperii acceptis, ut Majeſtatem tueretur, nedum 12. ſumpſit lictores, ſed 300. è Patritiis delectos robuſtiſſimos juvenes pro cuſtodia Regii Corporis habuit, Curiarum ſuffragiis commendatos, denos enim elegerunt ſingulæ Curiæ, eosque ſive à celeritate Miniſterii, ſeu ab eorum Præfecti nomine, cui tres Centuriones ſuberant, Celeres nuncupavit.

De Officio Regis, Senatûs, & Populi.

Diſtinctis ad hunc modum Civium ordinibus, firmatâque Majeſtate, Reipublicæ totius ordinem ità voluit conſtituere, ut ipſe Sacra curaret, atque Sacrificia, per eumque gereretur quidquid ad placandos Deos prodeſſe putabatur: juris univerſi, patriorum-

triorumque morum cuſtos eſſet, gravioresque cauſas decerneret, cæteras permittendo Senatoribus, ità tamen, ut ſi quid in judiciis peccaretur, ipſe cognoſceret: Senatum cogendi, Populum in Concionem vocandi ſolus haberet poteſtatem: primus Sententiam diceret, quodque pluribus placuerit, ratum haberet, ſummam prætereà in bello Poteſtatem, atque imperium exerceret. Senatui verò de iis, quæ ad eum referrentur, decernendi eſſet authoritas; Populo autem Magiſtratus creare, Leges ſancire, deque bello, & pace referente Rege deliberare permiſit, quibus tamen Senatûs authoritas accedere debebat, nam quidquid pluribus Curiis videbatur, ad Senatum referri oportebat, ejusque accedente Conſilio à Populo jubebatur.

De Sacerdotibus à Romulo inſtitutis.

Sacerdotes prætereà inſtituit, qui publicè pro Civitate Sacra tributim, & curiatim facerent ſexaginta Curiarum ſuffragiis commendatos, legeque ſanxit, ut bini à ſingulis Curiis legerentur annum egreſſi quinquageſimum, qui virtute, ac genere cæteros præcellerent, cenſuque ſufficienter inſtructi eſſent, integroque corpore; electio autem tunc demum rata habebatur, ſi eam Augures comprobarent.

Sed & ſua cuique Curiæ Sacra partitus eſt, Diis in ſingulas aſſignatis, quos perpetuò colerent, pecuniâque ad ſumptus ex ære publico tributa; quoties autem Sacra fierent, Curiæ adeſſe tenebantur ſuis vicibus, epulumque feſtis diebus in aula cuique Curiæ propria celebrabatur, præter illam Curiis omnibus communem aulam. Hi Sacerdotes autem ità lecti, *Curiones* vocabantur, & apud Plautum *Curiæ Magiſtri*, omnibus verò præerat, qui *Curio maximus* dicebatur, curiatis comitiis deſignatus.

Religionis ergo, quâ Romana Civitas uſquequo lux Evangelii errorum tenebras diſſipavit, potiſſimum uſa eſt, Romulus fuit Author, atque Inſtitutor; Præter enim Curionum Collegia Augures, & Aruſpices inſtituit; eos autem tres tantummodò pro numero Tribuum eſſe voluit. Augures futura ex volatu, & cantu avium prædicere credebantur, ea verò capiebant augurali togâ, ſive trabeâ amicti ſedentes, atque Orientem versùs proſpicientes, lituoque, ſeu baculo quodam incurvo certam cœli partem deſignantes, quæ templum dicebatur; tum avium fiebat obſervatio, quo nempe geſtu, cantuve, quâque templi parte ſe oſtenderent, & quidem è ſiniſtris pro fauſto habebatur omine,

con-

contrà verò, ſi dextrâ apparuiſſent; quæ autem aves cantu auſpicia dabant, *Oſcines* vocabantur, quæ volatu, *Præpetes*, atque ſi felix erat auſpicium *addicere*, & *admittere*, ſin minus, *refragari* ajebant.

Sed & de Cœlo ſervabant, nempe ex tonitru, & fulmine augurabantur, locumque fulmine tactum *Bidental* appellabant, & pro Religioſo habebant; Auguria quoque ex pullis capiebant, quibus pultem, vel offam apponebant, ſique veſcebantur avidè, aut ſi aliquid decidens *paviret* terram, ſive pulſaret, optimum erat augurium, *tripudiumque ſoliſtimum* nunciabatur, quòd ſi vel veſci nollent, vel evolarent, pro infelici omine habebatur. Erant proptereà qui pullos ſervabant, nuncupati *Pullarii*, cavea verò ubi aſſervabantur, *auguraculum* dicebatur.

Sed ex rebus aliis fortè accidentibus, & ex quadrupedibus, auguria captabant.

Aruſpices autem, quia Victimas in ara inſpicere debebant, ità dicti, futura etiam prædicebant, portentaque exſplicabant, ac *procurare* dicebantur, ex Victima ante mactationem, atque poſt eam ex Extis, flammâ, fumo, rebusque aliis, quæ Sacrificii causâ eveniebant.

Fratrum quoque arvalium Collegium Romulus inſtituit, qui Sacra quædam publica *Ambravalia* nuncupata faciebant, ut arva fruges ferrent, unde eorum Inſignia fuêre *ſpicea Corona*, & *alba Infula*.

De Aſylo. Aſylum etiam, quod ad augendam multitudinem aperuiſſe innuimus, Religione conſecravit, locum enim Capitolium juxta & arcem ſitum duos inter lucos ab utroque Clivo denſis ſeptum arboribus elegit, in eoque Fanum Deo cuidam, quis enim fuerit, incertum, ſacrum fecit, edictoque cavit, impunitatem in honorem Numinis cunctis, qui ad eum confugerent, eſſe; Jus etiam offerendo Civitatis, atque agri hoſtibus adempti partem.

De Nuptiarum Ritu. Sed non minor fuit in Legibus cæteris condendis ſolertia, eâ enim de nuptiis Legumlatores alios longè ſuperavit, nedum enim Virum unicæ mulieri copulari juſſit, ſed mulierem, quæ juxta ſacratas nuptiarum Leges cum Viro conveniſſet, participem ſacrorum, & bonorum omnium fecit; Sacras autem nuptias priſci Romani Farracea nominabant, quoniam eô primô velut antiquiſſimo utebantur cibo, illaque Communio primi & ſacri tunc temporis habiti cibi ſacrorum, atque fortunæ vinculum efficiebat priſcis illis temporibus inſolubile, nullum enim fuit divortium apud Romanos

antè

ante annos fermè 520., quo tempore primum divortii exemplum dedit Spurius Carvilius ob ſterilitatem ; unde Cenſores eum jurare coëgerunt, ſe cauſâ liberorum Conjugem dimittere ; ſi verò mulier adulterium admiſiſſet, vel partum, vel claves ſuppoſuiſſet, aut ſi deprehenſa eſſet vinum bibere, pœnam luebat ex mariti læſi arbitrio, in cujus erat poteſtate ; is autem ſimul cum cognatis de hujuſcemodi criminibus cognoſcebat.

Parentibus verò omnem dedit in filios poteſtatem, idque toto vitæ tempore ; quare necis habebant & vitæ arbitrium, etiamſi Rempublicam filii adminiſtrarent, Magiſtratusque gererent quàm maximos, unde multos à Patribus necatos legimus, atque etiam è ſuggeſto concionantes abductos, ut pœnas darent ex ipſorum ſententia ; permiſit etiam ternâ filiorum venditione Parentibus pecunias quærere, quam Legem in quartam poſteà ex duodecim Tabulis retulêre Decemviri ; Sed Numa Pompilius Lege ſanxit, ſeu potiùs Romuleam Legem explicavit, nè ſcilicet liceret Patri, qui filio uxorem ducere bonorum, ac ſacrorum juxta Leges participem futuram permiſerat, illum ampliùs vendere.

Hæc porrò prima fuit Romanæ Civitatis forma, quam nec Monarchiam, nec Ariſtocratiam, aut Democratiam abſolutè dixeris, nec enim jura omnia Majeſtatis Rex ſibi reſervavit, nec Populo tribuit, & per ſuffragia Magiſtratus deſignari conſtituit ; unde Cinnus quidam ex triplici forma regiminis efficiebatur, quo quidem conſtitit Populo ſua libertas, ſed Regi Majeſtas etiam, nec externâ tantùm ſpecie, ſed cum maxima illa, quam explicavimus, poteſtate. *De forma mixta Civitatis.*

Sed fortaſſe dices, mixtionem, quâ plures inter ſumma Poteſtas dividatur, nec dari, imò nec poſſe cencipi, ùt nonnulli affirmârunt, quorum Bodinus videtur Anteſignanus, qui nedum in Libris de Republica, ſed in ſua Methodo ad facilem Hiſtoriarum cognitionem, poſtquàm abſurdam judicâſſet Polybii, Dionyſii, Ciceronis, Contareni, aliorumque Sententiam, ſummum Romanæ Reipublicæ Imperium partim in Senatu, partim in Conſulibus, partim in Populo fuiſſe, ac propterea ex Optimatibus, Regno, ac Populo temperatum, hæc inquit: (a) *Priùs igitur in omni Republica intuendum eſt, quis imperium Magiſtratibus dare, & adimere, quis Leges jubere, aut abrogare poſſit, utrum unus, an minor pars Civium, an major ; hoc percepto facilè intelligitur, qualis ſit Reipublicæ Status ; Nihil*

M

(a) *in Method. c. 6.*

hil enim quartum eſſe, ac nè cogitari quidem poteſt; neque enim virtus aut vitium efficit Reipublicæ varietatem; ſive enim Princeps injuſtus ſit, ſive probus, Monarchia tamen eſt. Idem de Optimatibus, & Populo judicandum; qui, ut nihil aliud habeant, quàm Magiſtratuum creationem, ſummum imperium habent, & ab iis Status Reipublicæ pendeat, neceſſe eſt. Hunc igitur Statum Optimatium dicemus, aut popularem (his verbis utamur, ne ſpecie virtutis, ac vitiorum Ariſtocratiæ, Oligarchiæ, Democratiæ, Ochlocratiæ appellationibus ſæpiùs uti cogamur) multò magìs, ſi præter Magiſtratûs creationem, belli quoque ac pacis, vitæ ac necis Poteſtas adſit.

Sed præterquàm quod abſurdum eſſe videtur, virtutem, aut vitium nullam inducere Reipublicæ varietatem, cùm unicè ex his formarum diverſitas procedat; an enim ſi divites imperent, eorumque potentiam ſpectent, efficient divitiæ Ariſtocratiam? Aut cur ille vitioſas etiam docuit formas, ſi nulla oriatur ex virtute aut vitio Reipublicæ diverſitas? Nec vera eſt ejus quoad mixtionem formarum Doctrina, licèt plauſibili quâdam rationum ſerie meliùs uti potuiſſet; tota enim ejus Doctrinæ vis iis principiis potiſſimùm inniti videtur, ſupremam nempe poteſtatem in Republica inſtar formæ, ſeu ſpiritûs ſe habere; unde ſicut in naturalibus formæ diviſio dari nequit abſque interitu, ſic in morali corpore, ſi forma dividatur, deſtrui illud neceſſe erit; cùm igitur forma det eſſe rei, eaque profectò ſit indiviſibilis, ſequitur formarum mixtionem in Republica nec quidem concipi poſſe; prætereà, ſi formarum miſtio eſſet in Republica, deberet æqualiter ſumma Poteſtas eſſe diſtributa; ſic autem plures eſſe Poteſtates ſequeretur, quæ mutuò ſe oppponerent, nec propterea unquam poteſt inter unum & plures, aut Populum diſtribui.

Sed Bodinus contradicendi ſtudio, atque doctrinæ novitate allectus in errores incidit ſuo judicio, ſolidaque eruditione prorsùs indignos, confuſiſſimam enim ſibique adverſantem rerum congeriem miſcuit, cùm nunc duntaxat ex numero Rerumpublicarum formas definiat, nunc Statum ipſum à gubernandi ratione ſejungat, nunc varias, aberrantesque Rerumpublicarum formas ex ipſa gubernandi ratione deſumat, longè ſemper à principiis aberrans, resque per effectus potiùs, quàm per eſſentiam cognoſcat ac definiat, Cives confundat cum Subditis, univerſamque Civilem facultatem

adeò

Digitized by Google

adeò involvat, ut quid ſibimet ipſi propoſuerit, vix dignoſci queat.

Nos autem ſolidis, certiſque principiis tantummodò inhærentes, ſicut Reſpublicas agnoſcimus virtute aut vitio, non autem numerô metiendas, ac propterà ùt virtus Ariſtocratiam efficit, ùtque ſimpliciter Nobilitas, divitiæque Oligarchiam, & æqualitas nullâ cenſûs, aut Nobilitatis habitâ ratione Democratiam; ità, ſi ritè temperentur, ut in gubernandi ordine cunctorum habeatur ratio, omneſque junctim ſummam efficiant Poteſtatem, Reſpublica ex temperatione illa formarum reſultabit, quam miſtam nuncupamus; licèt enim vera ſint Principia, formas eſſe indiviſibiles; ex hoc tamen illud ſequitur, non uno eodemque modo ſummam Poteſtatem, quæ inſtar eſt formæ, omnibus communicari poſſe; eſſent enim in una Civitate plures, quod abſolutè repugnat: non autem illud; poſſe ſcilicet eum in modum ſimplices illas formas aptari, ùt ſimul junctæ, non autem diviſæ, ſummam illam Poteſtatem veluti totum reſultare faciant, atque in hoc nulla quidem erit repugnantia; nam ſicut ex Elementorum miſtione in naturalibus corpora gignuntur, in quibus nulla unius Elementi forma ſeparata poteſt conſiſtere; & in artificialibus etiam Navim videmus ex pluribus rerum formis inter ſe aptatis reſultare, domoſque tum lignis, tum lapidibus inſtrui; ſic in moralibus ex ſimplicium formarum miſtione totum morale Corpus producitur, in quo nulla ſimplex forma ſeparatim cernitur, ſed omnes illæ adeò conjunguntur, ut harmoniam quandam efficiant atque concentum, ex quo ſumma illa Poteſtas veluti corpus ritè compoſitum, unum profectò atque indiviſibile, conſpicitur; nec propterea illud etiam erit admittendum, quòd ſumma Poteſtas æqualiter deberet eſſe diſtributa, unde mutuò ſe impediret; quoniam ſi illud eſſet, tot eſſent formæ, quot ſummæ Poteſtates. Quare ejus duntaxat participatio, ordine tamen, partes veluti efficit, quarum connexione reſultat integrum, in quo una quidem pars alterâ licèt major, aut minor concurrere videtur, ut proportio ſervetur ad Naturam compoſiti, ejuſque exigentiam; ratio propterea gubernandi eadem debet eſſe, ac ordo Reipublicæ, à quo derivatur; unde diversâ ratione poſitâ ordo ipſe invertitur, adeoque deſtruit Bodinus ipſamet principia, dum ſibi blanditur novam excogitâſſe doctrinam nemini priùs perſpectam, formam Reipublicæ diverſam à ratione gu-

 bernan-

bernandi conſtituens, ut illam aliam, *numerum*, nempe, *Rebuſpublicis formam dare ſtabiliret*, ſic enim loquitur: (*a*) *Sive igitur optimi, ſive flagitioſiſſimi, ſive ditiſſimi, ſive nobiliſſimi, ſive egentiſſimi, ſive bellicoſiſſimi ſummum imperium teneant, modò Civium pars minor extiterit, Ariſtocratiam appellamus.* Quod ſi advertiſſet, diversâ poſitâ ratione gubernandi formam ipſam remitti, ac tandem deſtrui, adeoque non propter ſe, ſed per accidens ſequi poſſe, uti hi, qui ordinem conſtituunt, ab eo aberrent, nempe ſi volunt præter Leges dominari, & ſuam augere Potentiam, vel jam conversâ priori formâ ejuſdem veſtigia retinent, veluti arcana, quibus cæteris imponant, ut vel mutationem parùm advertant, vel nihili curent, non adeò abſolutè Reipublicæ formam à gubernandi ratione ſejunxiſſet; Intendi ergo, ſeu remitti ex ipſa regiminis ratione formam dicimus; quòd ſi diverſa omnino exerceatur, ſuæque formæ adverſans; tunc tandem deſtrui illam neceſſe erit, aliamque conſtitui, prout nempe ſummum imperium habentium virtus, aut vitium effecerit, ùt Naſi comparatione demonſtravit Ariſtoteles, noſque Exercitatione de Civili Diſciplina fuſiùs diſſeruimus. Exemplum autem de Monarchia nullo affertur fundamento, Rex enim nec Ariſtocraticè, nec Democraticè debet dominari, nè à ſua forma diſcedat, nam regia gubernandi ratio regalem ipſam conſtituit Monarchiam, quare juxta cujusque merita, & virtutem officia debet diſtribuere, iisque dare Magiſtratus, qui ſunt meliores, nec propterea erit Ariſtocratica gubernandi ratio, ſed Regia; atque in hoc profectò harmonica illa proportio, quam ſummoRerumpublicarum bono excogitâſſe fatetur, conſiſtere debet; munera namque dignioribus, ac bene merentibus ſemper concredi oportet, nè videantur homines duntaxat contemplari, ac propterea non alia de cauſa Magiſtratus conſequi, quàm ut ſublimentur; quod profectò in cunctis Rerumpublicarum formis, quæ rectæ ſunt, ſervari oportet; Democraticam enim formam, quæ in cunctis ſpectat æqualitatem, adeoque proportione tantùm Arithmeticâ univerſa in illa metiuntur, haud rectam agnoſcimus; cùm nullâ re Nobilis à plebejo, pauper à divite, probus ab improbo, doctus ab indocto diſcriminetur; quòd ſi juxta patrias Leges Nobilium ordo Magiſtratus quosdam ſibi peculiares fecerit, regium erit ex illo adſciſcere meliores, nec cæteros, qui virtute merentur, negligere, ſed iisdem alia munera impertiri. Pœnas etiam infligere pro-

(*a*) *Lib. 2. cap. 6. de Ariſtocratia.*

Digitized by Google

proportione geometricâ regium eſt. Ille autem ſuâ proportione harmonicâ bonos cum improbis, ignaros etiam cum ſapientibus, in quacunque Reipublicæ forma conjungi oportere, ex eaque ſolummodò concentum effici admirabilem, affirmavit, quod quàm ſit abſurdum, re ipsâ dignoſcitur; Concentus enim, atque harmonica proportio unicè à Legibus derivatur, quibus Civium ordines inter ſe cum Principe conjunguntur; nec enim aliud harmonica Bodini miſtio producere apta eſſet, quàm Reipublicæ detrimentum, atque ruinam; nunquam enim bonus cum improbo ritè conveniet. Sed hîc doctrinam ejus diſquirere non ſuppetit, cùm ſolummodò miſtum dari ſtatum, mixtamque fuiſſe ab ejus initiis Romanorum Rempublicam indicare debuiſſemus.

De ingenuorum ac ſervorum officiis.

Redeuntes igitur ad Inſtituta Romulea, illud quoque proficuum Reipublicæ ſummoperè fuiſſe palàm eſt; nîl aliud ingenuis præter rem militarem, ac ruſticam commendâſſe; ſellularias enim artes ac ſordidas ſervis tantùm, ac exteris permiſit, unde idem Romanus Civis miles erat, & agricola, ſicuti Reipublicæ expediebat. Quare nullo ingruente bello rure manebant, atque ad Urbem nonâ quâque die ventitabant nundinarum causâ.

De raptu Sabinarum.

Ità conſtitutâ Republicâ, conjuges deerant, ætatem propterea hominis duratura, & è finitimis nulla habendi ſpes erat; Legatos enim dimiſerant cum reſponſo, aliud oportere fœminarum Aſylum aperiri, illudque haud impar connubium fore; quapopter ludorum equeſtrium ſpectacula ex induſtria parandi conſilium capitur, ut mulieres ſibi ipſis aſtu raperent, eaque in honorem *Conſi Dei*, quem Neptunum interpretantur, unde *Conſualia* vocitabant, celebrare ſimulant, diemque finitimis indicunt, ut adeſſe queant; illi autem cùm novitate urbis tum ſpectaculorum curioſitate incitati, magnis virorum mulierumque agminibus urbem petunt; cumque nihil timerent, ac ſpectaculis deditæ mentes eſſent, è compoſito vis orta, Romanâ pube ad mulieres undique rapiendas diſcurrente; ſic primùm de conjugio ſibi providiſſe Romanos neceſſitas coëgit; unde bellorum origo cum Sabino populo, cæteriſque finitimis, quorum tamen ruinis urbs aucta mirum in modum; Romuli enim inter cætera præſtantiſſimum illud fuit inſtitutum, puberes in bello captis urbibus nec interficere, nec ſub corona vendere, ſed in jus potiùs Civitatis admittere, agri etiam adempti parte aliquâ conceſsâ, cæteris æqualiter inter Romanos diſtributis; quod & Reges alii

 ſervâ-

ſervârunt, & Reſpublica exactis Regibus haud neglexit. Exitus autem Sabini belli fuit, ut Sabinorum Civitas Romam migraret univerſa, percuſſo cum Rege Tatio fœdere, quòd utrique pari poteſtate regnarent, Civitatemque unam ex duabus facerent, ac propterea, communicatis utrinque ſacris, recepti Sabini in Tribus, & Curias, Quiritium nomine. Auctâ igitur multitudine, viſum quoque fuit augere Patritiorum ordines è novorum incolarum nobilibus Familiis, è quibus centum poſteà curiatis Comitiis creati Senatores, ut ſua quoque Regi Tatio factio in Senatu eſſet; tunc autem duo Colles Urbi additi, Quirinalis & Cœlius, in quibus ſeorſim Reges habitârunt, Romulus in Palatio propè Cœlium montem, Tatius autem in Capitolio juxta Quirinalem, & concorditer adminiſtrârunt Rempublicam integro Quinquennio. Sexto tamen anno Tatius à Lavinienſibus interficitur, quoniam jus Gentium neglexerat, cùm enim Lavinienſem agrum Tatii amici vaſtâſſent, pecorumque greges abegiſſent, partim occiſis cuſtodibus, partim ſauciatis, Legati Romam miſſi fuêre, ut jure agerent. Romulus autem dedendos Authores cenſuit ad ſupplicium, Tatius prohibuit; hinc Legati nedum re infectâ diſcedere coacti ſunt, ſed in via Sabinorum quidam eos adorti, alios interfecerunt, alios præcipiti fugâ ſibi conſulere coëgerunt. Quare undique Romani tanquam juris Gentium violatores criminantur, unde Legationes ab aliis etiam Populis expiandi ſceleris causâ miſſas Dionyſius refert, bellum denunciantes ſin facerent; quibus commotus Romulus noxios dedi juſſit, & Legati accepêre, ægreferente Tatio; erat enim inter eos & aliquis è ſuis cognatis; quapropter indignatus Romulo, ſtipatusque milite, vi ſontes illos Legatis eripuit. Nec ità multò poſt, cùm Lavinium profectus eſſet Sacrorum causâ ſimul cum Romulo, vel ùt alii ſcripsêre, ſolus, ſuaſurus Civibus, ut iras remitterent, concurſu facto interfectus eſt, ſeu lapidibus obrutus, ſeu alio mortis genere. Quod facinus minùs ægrè, quàm dignum erat, Romulus tulit; licèt enim dominandi ratio ſocium non admittat, cùm *non aliter conſtet, niſi uni reddatur*, debebat tamen poſteris exemplum in ſui munimentum tradere, nec propterea cædem Regis deſerere inultam; atque ex eo ſuſpicio exorta, quòd ipſe Lavinienſes ſubornâſſet; ille autem Tatium jure cæſum pronunciando ad expiandas Legatorum injurias, Regisque cædem, fœdus cum Lavinienſibus pepigit. Eo igitur tempore, quo

De Fœdere cũ Sabinis.

De cæde Tatii Regis.

quo Tatius pari poteſtate Romæ regnabat, *Reſpublica* erat *irregularis*; una enim poteſtas alteram impediebat, ùt eveniſſe viſum eſt, quod in Statu miſto accidere non poteſt, partes enim conjunguntur, ut unam efficiant Poteſtatem, quæ ſit maxima, ùt ſuprà diximus; licèt ſua non minima patiatur incommoda, quare brevi temporum intervallo in cunctis fermè Rebuspublicis, quæ temperatâ illâ miſtione fuerant ordinatæ, diſſolutionem propter ſeditionum motus ſecutam eſſe legimus.

De Romuli obitu.

Romulus poſteà cùm ſolus regnâſſet, Rempublicam uti conſtituerat, adminiſtravit, licèt Senatui ob ſævitiam fuiſſet inviſus; unde Senatorum dolo tandem interemptus, cùm ad exercitum recenſendum Concionem haberet, in Campo ad Capræ paludem; occaſionem enim nacti Patres ſubitò coortæ tempeſtatis cum magno fragore, tonitribusque, ità ut ejus conſpectus Concioni eriperetur, Regem manibus diſcerpsêre poſt exactum Regni annum 37., ætatis verò 55. Cùmque ſollicita eſſet Civitas Regis deſiderio, & infenſa Patribus, illi Proculum Julium in Concionem ſubmisêre, qui: *Romulus*, inquit, *Quirites, Parens Urbis hujus primâ hodiernà luce cœlo repentè delapſus ſe mihi obviam dedit; cùm perfuſus horrore, venerabundusque aſtitiſſem, petens precibus, ut contrà intueri fas eſſet: vade, nuntia, inquit, Romanis, Cœleſtes ità velle, ut mea Roma Caput Orbis Terrarum ſit. Proinde rem militarem colant, ſciantque, & ità Poſteris tradant, nullas opes armis Romanis reſiſtere poſſe: hac locutus ſublimis abiit.* Quare in Deum conſecrârunt, & nuncupavêre Quirinum.

Videbimus ergo præcipua Romuli Inſtituta uſque ad Tarquinii Superbi tempora viguiſſe, ille enim primus Rempublicam invertit, exercendo tyrannidem. Sed, ùt advertit Florus, dabantur Reges, ùt tempora requirebant ad Reipublicæ incrementum, licèt nunquam à principio illo ſit aberratum, ad bellum nempe fuiſſe Rempublicam ordinatam, adeoque ut cotinuò creſceret potentia, cæterisque dominaretur; unde Proculus Julius eâ ſuperſtitione imbuit Romanorum animos, quæ ad Poſteros arcano conſilio tranſmiſſa adeò eos incendebat, ut cuncta ad virtutem, & militarem gloriam relata conſilia tantâ animi altitudine perfecta viſa fuerint, ut victrix tandem Gentium omnium Roma evaſerit; pervaſerat enim Romanorum mentes opinio, cuncta, quæ aggrederentur, quantumvis ardua, efficere poſſe; quæ ſi ritè perſpiciantur, & cùm domi, tum foris Romanorum geſta ſedulò inveſtigentur, vincere

Digitized by Google

cere Romanos debuiſſe, cùm cæteros virtute, & conſilio præcellerent, agnoſcetur.

De Interregno. Sublato Romulo, Patrum, atque ordinum certamina propter novum Regem orta ſunt, nec enim ſingulorum timeri poterant, cùm nemo eſſet, qui magnoperè emineret in novo Populo; quare nè intereà ſinè ſumma Poteſtate Civitas eſſet, conveniunt, ut ea in orbem omnibus è Senatu communicaretur, quapropter in Decurias diſtributo Patrum numero, ſingulisque in ſingulas Decurias creatis, qui ſummæ rerum præeſſent, Decemviri 5. dierum ſpatio exercebant imperium, unus tamen Inſignibus, ac lictoribus utebatur, itaque per annum Romana Civitas fuit moderata.

Sed Popularis ordo infenſus Patribus Decemviralem illam Poteſtatem ampliùs pati noluit; quare ut Patres largiri viderentur, quod retinere nequibant, Populum, *Regem jubere* decernunt, eos tamen Authores eſſe debere, ut mos à Romulo inſtitutus ſervaretur, quem procedentibus temporibus inverſum Senatus retinuit in ſpeciem, cùm in incertum Comitiorum eventum Author fieret. Tum Inter-Rex advocatâ Concione, *quod bonum, fauſtum, felixque ſit*, inquit, *Quirites, Regem create*: *ità Patribus viſum eſt. Patres deinde, ſi dignum qui ſecundus ab Romulo numeretur, creâritis, Authores fient. Sed Populus eum Regem fore juſſit, qui Senatui videretur.* Quare poſt longam animorum concertationem, ad Electionem tandem ventum eſt, externus omnium ſuffragiis Rex deſignatur; is erat Numa Pompilius, qui Curibus Sabinis habitabat, ſapientiâ celebris. Nuntius confeſtim mittitur, qui rem deferret; ille verò, fortè ut magis deſiderium ſui excitaret, majoremque inde capeſſeret authoritatem, renunciat, morasque nectit, ità ut Romani Populi, & ſuorum precibus commotus videretur. Sic Romam petit, Rexque captis ritè auſpiciis confirmatur; deductus enim ab Augure in arcem, poſtquàm Templum Lytuo deſignâſſet, cæterosque ſervâſſet ritus, qui ejus Sacerdotii proprii erant, ùt jam diximus, dextram Capiti Numæ impoſuit, itaque precatus eſt: *Jupiter Pater, ſi eſt fas hunc Numam Pompilium, cujus ego Caput teneo, Regem Romæ eſſe, utì tua ſigna nobis certa & clara ſint inter eos fines, quos feci.*

De Numæ Pompilii electione.

Nulla hìc geſſit bella, ſed neque ex Romuleis Legibus, atque Inſtitutis immutavit quidquam; imò ut opinionem, quòd Deus euaſerat, augeret, templum, atque aram ei dicavit, ſolemnique

que ritu coli juſſit *Quirini* nomine. Præcipuum ejus Inſtitutum fuit, nimis ferocem Populum ad manſuetudinem revocare, cæteraſque Virtutes: quibus ſinè nulla diù ſtare Societas poteſt; quod ut facili negotio aſſequeretur, è Virtutibus ipſis tot fecit *Numina*, quibus Templa, atque Aras ſtruxit, præſcriptis ad eorum cultum ritibus, Sacerdotibuſque inſtitutis, *Deûm* monita ſimulans, congreſſumque cum Ægeria Nympha. Hinc ad lucum quendam ſinè arbitris ventitabat, quem medium ex opaco Specu fons perenni rigabat aquâ, illumque Camænis ſacravit, & ſoli Fidei ſolemne inſtituit; ſed ad Religionis cuſtodiam opportunum, atque unicè neceſſarium judicavit Pontificem maximum conſtituere, eumque ex Patribus legere, in hoc à Romulo diverſus, qui Sacrorum curam ſibi reſervaverat, cui, ut Livii verbis utar, *Sacra omnia exſcripta, exſignataque attribuit, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad qua templa Sacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica, privataque Sacra Pontificis ſcitis ſubjecit, ut eſſet, quo conſultum Plebs veniret, nè quid Divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinoſque adſciſcendo, turbaretur. Nec cæleſtes modò ceremonias, ſed juſta quoque funebria, placandoſque manes ut idem Pontifex edoceret, quæque prodigia fulminibus, aliove quo viſo miſſa ſuſciperentur, atque curentur.*

De Numæ Religione.

Præerat etiam Pontificum Collegio, de quibus infrà, ex eoque Tributis Comitiis eligebatur, & quidem uſque ad annum Urbis 500. ex ſolis Patriciis; poſteà verò Plebeji etiam arripuêre, creatuſque primùm eo ex ordine *T. Coruncanius*; procedentibus verò temporibus Cæſares etiam *Dominationis arcano* ad Gratianum uſque tenuêre, Auguſti exemplo, qui primus defuncto Lepido eam Sacrorum poteſtatem ſuſcipere curavit, ut faciliùs, tutiùſque cuncta diſcordiis Civilibus feſſa nomine Principis ſub imperium acciperet. Licèt autem maxima in Sacris eſſet auctoritas, Collegio tamen diſſentiente nimis coarctabatur, atque ad idem provocatio erat, à quo tandem ad Populum ferri poterat. Inſignia ejus præcipuè fuêre *Toga prætexta*, & *Apex in Capite.*

Numa igitur nedum Religione Romanorum animos ad pietatem, juſtitiam, fidem cæteraſque virtutes colendas induxit, ſed ſuo exemplo compoſuit. Quare nullâ ſeditione Civitas, nulloque bello externo laboravit, nefas enim finitimi ducebant, Civitatem bello laceſſere Religionibus deditam, ſortitamque Regem *Diis* acceptiſſimum.

Quoniam verò Religionem illam, ſuoſque ritus agnoſcere nedum

De Religione

Romanorum universa.

nedum ad hiſtoriæ intelligentiam, ſed ad ipſius Reipublicæ arcana penetranda neceſſe ducimus, hinc breviſſimo excurſu ſaltèm indicare viſum eſt.

Numina, quæ Romani coluerunt, aut *majorum*, aut *minorum Gentium* Dii nuncupabantur; *majorum* autem duodecim *Conſentes*, fortè à verbo *Conſulo* dicebantur, octo autem *ſelecti*. Minorum Gentium tum *Semones*, tum *Indigetes* & *Semideos* appellabant, & *Sylveſtres*, *Marinos*, *ac Fluviorum Deos* complectebantur. *Conſentes* his verſibus Ennius enumeravit.

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

De Diis Romanorum.

Jovem autem celebrârunt Romani multiplici cognomine; nam *Feretrium* appellabant, dum opima ei ſpolia hoſtibus detracta conſecrabant; Romulus enim victis Cæninenſibus cum factis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor, cæſi ducis ſpolia gerens purpuram indutus & coronatus laureâ in Capitolinum verticem aſcendit, ibique ea ad quercum paſtoribus ſacram ſuſpendit, deſignatoque templo, Jovi conſecravit, cognomenque dedit, dum, *Jupiter Feretri*, inquit, *hæc tibi Victor Romulus Rex regia arma fero; templumque in iis regionibus, quas modo animo metatus ſum, dedico; ſedem opimis ſpoliis, quæ Regibus Ducibusque hoſtium cæſis, me authorem poſteri ferent*; atque illud primum Romæ templum ſacratum fuit. *Statorem* autem idem Romulus appellavit, eique templum vovit, ut fugientes Romanos, Sabinosque Victores ſiſteret, hæc inquiens, ùt Livius refert: *Jupiter tuis juſſus avibus hîc in Palatino prima Urbi fundamenta jeci. Arcem jam ſcelere emptam Sabini habent: inde huc armati ſuperatâ mediâ valle tendunt: ac tu Pater Deûm, hominumque hinc ſaltèm arce hoſtes: deme terrorem Romanis, fœdamque fugam ſiſte. Hîc ego tibi Templum Statori Jovi, quod Monumentum ſit Poſteris, tuâ præſenti ope ſervatam Urbem eſſe voveo*; ac veluti ſenſiſſet auditas preces: *hic Romani*, inquit, *Jupiter optimus maximus reſiſtere, atque iterare pugnam jubet. Elicium* etiam ab *eliciendo* dixêre, quia compoſito carmine eum elicere è cœlo rebantur ad expianda prodigia: huic Numa aram in Aventino dicavit, eumque conſulebat auguriis, quæ ſuſcipienda eſſent, ut ea ex mente Divina elicere videretur. *Capitolinus* antem à *Capitolio* dicebatur; erat hoc templum in Tarpejo monte, quod Priſcus Tarquinius inchoaverat, jam præſagiente animo futuram olim amplitudinem

loci

loci; quare à Cicerone *Arx omnium Nationum* dictum: Servius Tullius altiùs exſtruxerat: Superbus alter Tarquinius abſolverat, & Conſul denique Horatius Pulvillus anno Urbis 244. ſolemni ritu dedicaverat; nec ſinè Religione ſua jecit fundamenta Tarquinius; accerſitis enim Auguribus Deos conſuli juſſerat, ut locus iis gratiſſimus indicaretur: Augures autem tumulum illum demonſtrârunt, cùmque iterum quæſiviſſet, quâ tumuli parte condi deberet, plura enim erant Deorum, Geniorumque Sacella, quæ aliò tranſmovere oportebat; Augures de ſingulis auſpicia ſumpsêre, omniumque Sacellorum exaugurationes Aves *admittere* pronunciàrunt, præter *Termini*, & *Juventutis* aras, quæ propterea in ipſo Templi ambitu concluſa, ſervataque; Unde augures *nec movendos Urbis terminos, nec juvenile robur ei deeſſe portendi* affirmàrunt.

Atque in eo Templo Conſules primo die, quo inibant Magiſtratum, & Imperatores ad bellum profecturi ſacra facere, votaque nuncupare tenebantur, ut etiam redeuntes, ſi viciſſent, & ultrà 5000. hoſtium juſto bello unâ acie, ſuiſque auſpiciis occidiſſent, adeò ut triumphare mererentur, eò deducebantur triumphali veſte induti, laureâque coronati, & ſacra faciebant, Taurum immolantes, laureamque in Jovis gremio deponebant: quod ſi minor victoria eſſet, aut alia ad triumphandum conditio deeſſet, *Ovationemque* propterea celebrarent, tunc diverſo quidem ritu incedentes & myrtho coronati templum ſimiliter adibant, ovemque immolabant.

Latialis quoque Jupiter dictus, quoniam univerſi Latii populus, cùm latinas ferias in monte Albano celebraret, eum colere debebat, quod Tarquinius ſuperbus fieri juſſit. Dictus quoque Diesbyter & Lucetius, quaſi lucis pater: *Lapis* etiam à quodam peculiari juramenti præſtandi ritu, lapidem ſilicem manu tenendo, dictus, ùt *Dijovis* à die & *Vejovis* à nocendo.

Juno autem *Divûm regina, Jovisque, & ſoror, & conjunx*, ſolio inſidens, Sceptroque ac Diademate inſignis Pavonem ei ſacrum juxta ſe habens pingebatur, atque in Aventino culta fuit, Regnis propterea ac divitiis præſidebat. Vocârunt quoque *Pronubam*, quòd nubentibus præeſſet; *Cinxiam* à zona, ſeu cingulo, quo ſponſa cingebatur; *Lucinam*, quaſi lucem ab ea naſcentes acciperent, *Monetamque* à monendo; Terræ motum enim *ſue plenâ* procurandum eſſe, ejus monitu credebant.

Veſta autem quaſi vi ſuâ ſtans, altera *Cœli* uxor, *Saturni mater*; *Opis* filia altera credebatur, *Ignemque* ſignificabat, ùt illa *Terram*; huic templum ſacravit Numa, & cultrices virgines, quæ *Veſtales* dictæ ſunt, easque ſacri ignis cuſtodes eſſe voluit, qui *focus* erat communis Civium, nam Romulus *focos* dicaverat per ſingulas Curias, ubi Curiales rem divinam facerent, nullumque publicum reliquerat. Erat autem ignis omnibus conſpicuus medio Capitolium inter & Palatium ſpatio, ubi Templi ſedes; neque unquam extingui patiebatur tanquam certiſſimum imperii pignus, adeoque pernicies Civitati portendi credebatur, ſi quâcunque causâ exſtingui contigiſſet, quo caſu poſt multam procurationem alius ignis in templum inferebatur. *Sacris* autem *Deæ Veſtales* ipſæ operabantur, quæ ab initio quatuor, poſteà verò ad ſenarium numerum à Tarquinio Priſco auctæ, easque optandi jus penès Reges eſſe Numa voluit, degebantque in Deæ fano, ubi præter *ſacri foci* cuſtodiam alia etiam ſacra adſervâſſe traditum eſt, iisdem duntaxat, ac Ædituis cognita, quæ aliqui *Palladium* fuiſſe volunt. A' templi autem aditu nemo arcebatur interdiù, ſed pernoctare nefas erat. Exactis Regibus capiebantur à Pontefice maximo, atque per 30. annos miniſtrabant ei Numini. Primis quidem decem annis Sacra addiſcere tenebantur, aliis verò ea exercere, tertio autem decennio juniores Virgines ea docebant, poſt quod tempus nubendi poteſtas erat; ingentes autem tributi Virginibus honores fuêre, nam Teſtamentum condendi jus erat, licèt minores eſſent: jus habebant trium liberorum: lictore utebantur: Reum ſi fortè obviam habuiſſent, ſupplicio liberandi facultas erat: Carpento vehebantur: Vittis & prætextâ veſte utebantur: agri etiam aſſignati, publicaque ſtipendia: honeſtior quoque locus in ſpectaculis præbitus, aliique multi. Quod ſi deliquiſſent, pro leviori Crimine flagris à Pontificibus cædebantur; at ſi admiſiſſent inceſtum, Vivæ funebri pompâ efferebantur; delatæque ad Collinam portam, defodiebantur in Campo, quem propтereà *Sceleſtum* nuncupârunt, nec monumento, nec parentatione dignatæ.

Minervam verò quaſi Sapientiæ, & omnium bonarum artium Præſidem habebant, atque de *Jovis Cerebro* natam fingebant; Feſtum ejus celebrabant Romani Menſe Martio per quinque dies, unde *Quinquatria* dicebantur. *Palladem* quoque nuncupabant, & bellis atque armis præeſſe credebant, unde armata, torvoque vultu, & glau-

& glaucis oculis cernebatur, Scutum, ſeu *Ægidem* manu tenens, in quo *Gorgones*, ſive *Meduſæ Caput* effictum erat.

Cererem Saturni, *&* *Jovis* filiam credebant, primamque frumenti uſum homines docuiſſe, Legesque tuliſſe; ejus Sacra Menſe Aprili per dies octo à Matronis peragebantur, quo tempore Viros admittere, & Vinum potare nefas erat, unde in *Caſto* Cereris eſſe dicebantur; ea verò ſummo cum ſilentio celebrabant, facibusque utebantur, quoniam facibus accenſis *Proſerpinam* quæſiverat. *Porcam* ei *fœtam* immolabant, eamque *ſpiceam Coronam*, & *facem* manu geſtantem effingebant.

Mercurius Jovis, & *Majæ* filius, Deus ſermonis habebatur, Muſices, & Lyræ inventor, cunctis artibus præſidebat. Hinc Romani Statuas ejus in honorem è quadrato lapide in Triviis., & Quadriviis collocabant, atque ùt *Juvenis formâ inſignis* effingebatur, *Petaſo & aureis talaribus* ornatus *Caduceum* manu tenens, *Virgam* nempe, quam duo Serpentes circumplectebantur, quia Pacis etiam author habebatur.

Apollo idem, qui *Phœbus*, *Jovis*, *&* *Latonæ* filius in Inſula Delo natus, licèt Epheſii apud Senatum memorabant: *non ùt Vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: eſſe apud ſe Cenchrium amnem Lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam & oleæ, quæ tum etiam maneat, adniſam edidiſſe ea Numina: Deorum monitu ſacratum nemus. Atque ipſum illic Apollinem poſt interfectos Cyclopes Jovis iram vitaviſſe.* Medicinæ, Muſicæ, & Peëticæ, ùt & Sagittariæ arti præſidere credebatur, ſed & Divinatoriam exercuiſſe putabant; hinc Oracula edere creditus: *Juvenis* conſpiciebatur *Lauro* coronatus; arbor ei ſacra, quoniam *Daphnes*, quam adamaverat, in Laurum converſa, ſpecie *imberbis*, *flavis capillis* & *promiſſis*, dextrâ *arcum* & *ſagittas*, læva *lyram* tenens.

Neptunus Saturni & *Opis* filius, *Jovisque* frater habebatur: ei ſorte datum maris Imperium credebant; à Romanis ſub nomine *Conſi* colebatur, arâ ei ſubterraneâ conſecratâ, unde ludis equeſtribus idcirco *Conſualia* celebrabant, eadem quæ apud Arcades *Hypocratia*; *Neptuno* enim Equus *ſacer* erat, eumque primus è terra produxiſſe dicebatur, fortè quia primus equitandi artem adinvenerit. *Ennoſigæus* quoque nuncupatus, quaſi terram quatiens. Pingebant *ſenili vultu* in curru ſedentem à *Tritonibus* equis marinis, vel *Delphinibus* tracto, *cum Tridente*, quem manu gerebat.

(*a*) *Tacit.* 3. *Annal.*

Mars etiam præcipuo à Romano Populo honore colebatur, ad eum namque conſecraverat origines ſuas, cùm ipſum Authorem faceret, adeoque ùt ſuum, Conditoriſque ſui Parentem venerabatur. Quare templa ei dicabat quamplurima; ſed quod in foro *Marti ultori* conſecravit, omnium erat magnificentiſſimum, peculiareſque habuit Sacerdotes *Salios*, & *Martialem Flaminem*. *Salios* autem à Numa inſtitutos tradunt propter *ſcutum aneum Cœlo delapſum*, quod graſſantem eo tempore Peſtem repente ceſſare fecerit; ille autem *Conjugem Ægeriam* monuiſſe ſimulavit, *Urbem, in qua ſcutum ſervaretur, evaſuram omnium potentiſſimam*. Itaque nè clam ſurripi potuiſſet, undecim alia per Mamurrium quendam fieri curavit, ejuſque propterea Nomen *Saliaribus Carminibus* inſertum fuit, quibus perfectis, duodecim legit *Patrimos*, & *Matrimos* juvenes è Patriciorum ordine, qui *ea ſcuta* ſervarent, feſtumque Kalendis Martiis celebrarent, ſcutaque illa, quæ *Ancilia*, quòd undique anciſa, ſeu rotunda eſſent, dicebantur, per Urbem ſaltando ferrent, canentes ſaliaria Carmina, quare à ſaliendo, ſive ſaltando *Salii* nuncupati, eorumque Præſul *Saliorum Magiſter* dictus. Erant autem *Palatini* alii, qui ſacra in Palatio faciebant. & *Collini*, qui in Quirinali Colle à Tullo Hoſtilio inſtituti. Saltabant *pileati, pictâque tunicâ, & trabeâ induti, accincti gladiis, & baltheis æreis*, dextrâ *haſtam*, læva *ancile* tenentes.

Flamen Martialis etiam à Numa in *Martis* honorem inſtitutus, ùt & *Dialis*, qui *Jovis* erat Sacerdos, & *Quirinalis*, qui Sacra Romuli in Deos relati *Quirini* nomine curabat; ſed variis temporibus aucti ad duodenum numerum, aliiſque Diis addicti. Et *Dialis* cæteris dignior habebatur, quem dignitate ſequebatur *Martialis*, poſteà verò *Flamen Quirinalis*, adeoque è Patriciorum ordine prodibant, cùm cæteri ex Plebejorum creari potuiſſent; iique duntaxat in Pontificum Collegio ſedebant, Comitiis tributis creabantur, & à Pontifice maximo inaugurari debebant. Omnibus commune fuit, Urbe non diſcedere, ne Sàcra deſererentur, nec divortium permittebatur: Quòd ſi Sacra neglexiſſent, ritèque non curâſſent, Sacerdotio licèt perpetuo privari poterant. *Flamen autem Dialis* plurimis obſtrictus Ceremoniis erat, licèt enim lictore, ſellâ curuli, & prætextâ potiretur, nefas erat equo vehi, nec nocte unâ licebat Urbe abeſſe: jurare prohibebatur; imò nec annulo uti, niſi pervio, caſſoque; neque poterat à *Flaminis* domo ignis efferri, niſi ſacer.

Sed

Sed & eo potiebatur honore, ut ſi *nexi*, *vinctique* ædes ejus fuiſſent ingreſſi, vel ſupplices ſe ad ejus pedes projeciſſent, verberari eo die nefas erat: Capillum ejus libero tantùm homini detondere permittebatur: Capram, carnem incoctam, hæderam, fabam tangere, imò & nominare prohibebatur: nemini ſuo in lecto cubare licebat: pedes lecti tenui luto circumlitos eſſe neceſſe erat, nec ab eo *trinoctium* continuum decubabat: Galero albo utebatur: locum in quo buſtum eſſet, nunquam ingredi, nec mortuum attingere, funus tamen exequi poterat: ſub dio non ungebatur, priſcisque temporibus nec Magiſtratum capere, nec petere debebat. In Convivio, nisi Rex ſacrificulus, nemo ſuprà eum accumbebat: unguium & capilli ſegmina ſubtùs arborem felicem terrâ obruebantur; quotidie feſtatus erat, nec propterea Pontificum judicio, quod de aliquo exercebatur, adeſſe poterat; ſub dio ſinè apice eſſe prohibebatur: ſub tecto licitum erat; farinam quoque fermento imbutam attingere vetitum: ſub dio interiorem tunicam exuere fas non erat, nè ſub *Jove* nudus videretur. Quibus Ceremoniis *Flaminica*, ſive *Flaminis* Uxor tenebatur, nec matrimonium nisi morte dirimi poterat; hoc autem Sacerdotium cum plerisque Theodoſius Magnus aboleri juſſit.

Venerem quoque præcipuo cultu Romani afficiebant, cùm Genus ab Ænea deducerent, qui *Deâ* natus credebatur; ei templum extruxit Julius Cæſar, & quoniam generationi præeſſe putabant, *Genitricis* nomine in eo colebatur, aliud verò *Libitinæ Veneri* vetuſtius, & in eo Servius Tullius inſtituit numum perſolvendum eſſe pro defunctis; ille enim nedum naſcentium, & morientium, ſed eorum, qui virilem togam ſumerent, numerum ſcire cupiens, numum pro ſingulis, qui naſcerentur, in Ærarium *Junonis Lucinæ* inferri, in *Juventutis* pro togam virilem ſumentibus, inque *Libitinæ* pro mortuis juſſit. Orta fingebatur *Venus* è ſpuma Maris, ſeu ùt alii, è *Jove*, & *Dione*; eam autem curru inſidentem à *Cignis*, vel *Columbis*, vel *Paſſeribus* tractam pingebant, licèt aliàs in Concha ſtans, vel eam manu tenens, & nuda effingeretur. Dicta quoque *Erycina ab Eryce*, qui mons eſt Siciliæ, & *Cloacina*, quia templum eo loci poſitum, ubi Romani, cum Sabinis fœdus pepigerant, ſeque à bello purgaverant. Sed cum ea Comites pingebantur gemini *Cupidines Heros*, *& Antheros*, pueri alati, nudi, ſagittisque inſtructi, & cum Lampadibus; Gratiæ quoque nudæ,

dæ junctiſque manibus cernebantur, quæ quid ſignificent, è Poëtis audire licet.

Vulcanum quoque colebant *ignis*, *& Fabrorum Deum*, uxorque ſua *Venus* credebatur, *Jovis & Junonis filius*, vel ùt alii, ſolâ matre genitus *Junone*, atque ob deformitatem cœlo à Jove ejectus, & in Lemnum Inſulam delapſus, unde claudus evaſit. Officinam habuiſſe fingitur in Inſulis Æoliis propè Siciliam, ubi montes ſunt, qui & hodie Vulcani nuncupantur, ibique ei miniſtrâſſe *Cyclopes*, quos Poëtæ finxerunt *monoculos fuiſſe Gigantes*. Sed pro eo, *terreſtrem Ignem* denotari, ùt pro *Veſta cœleſtem* Veteres putàrunt; Ac propterea in ejus feſto facibus, lampadibusque currebant, curſuque victus lampadem alteri tradebat, unde Dicterium, *Lampadem alteri tradere*, nempe munus ſuum cedere.

Selectos autem Deos nuncupabant *Saturnum*, *Janum*, *Bacchum*, *Plutonem*, *Solem*, *Lunam*, *Genium*, *Rheamque*.

Saturnum temporis Deum colebant Romani Feſtis Saturnalibus, quæ Menſe Decembri celebrabant per 5. vel 7. dies, quibus continuò convivari ſolebant, muneraque mittere, ac ferias agere; eo quidem tempore ſervis libertas erat, Dominos etiam taxare dictis; unde Horatius ad ſervum inquit, *Utere libertate Decembri*; cumque iis agebant familiariſſimè, imò ad menſam accumbentibus Domini miniſtrabant, ut ætas aurea ſignificaretur, quâ cuncti æquales fuerant. Gladiatoria quoque ſpectacula celebrabant, quoniam *Saturnus* humano ſanguine placari credebatur, Sacraque duntaxat huic Deo fiebant aperto capite. Gladiatorio autem ſpectaculo mortuis officium præſtari putabatur, unde Editor munerator & munerarius dictus eſt, & cunctis ſpectaculi diebus, licèt privatus Inſignibus Magiſtratuum utebatur; cujus exemplum ab Hetruſcis ſumpsêre, qui olim captivos mactabant ad ſepulchrum, eorumque ſanguine cæſorum *manes* placari credebant; quare in funeribus illuſtrium Virorum celebrabatur; ſed procedentibus temporibus ad Populi captandam gratiam dari cæpit.

Sed Deus ille *Cœli* & *Terræ*, ſeu *Majoris Veſtæ* filius credebatur, fœdusque cum fratre majore Titano iniviſſe, quo liberos ſuos devoraturum ſe adſtrinxerat, & quidem fide ſe liberâſſe putabant, nam nec ipſe Jupiter evaſiſſet incolumis, ſi lapis pro eo, ùt pro reliquis, qui fuêre ſuperſtites, non fuiſſet obtruſus; poſteà Regno à Jove pulſus, in ea Italiæ Regione latuit, quæ *Latium* dicta eſt, cuique

Janus

Digitized by Google

Janus imperabat, à quo in Regni Societatem adſcitus, agreſtes homines ad humaniorem cultum reducere ſtuduit; quare *ætas aurea* à Poëtis nuncupata. Pingebant ùt ſenem, cum *falce* ad manum, & aliquando cum *angue* caudam ſibi mordente cernebatur, aliquando infantem devorans; *tempus* enim *edax rerum ſe ipſum quaſi conſumit, atque omnia metit.* In ejus templo Romani Ærarium habebant, in quo cùm pecunia, tum monumenta, & militaria ſigna cuſtodiebantur.

Janus anni Deus habebatur, dictus quaſi Eanus, quoniam horis, quæ ſemper labuntur, præeſſe putabant. Templum ei primum dicavit Romulus percuſſo cum Sabinis fœdere, Statuamque bifrontem erexit, vel ut duorum Populorum conjunctio ſignificaretur, vel ut 4. anni partes denotaret, *Clavem* autem & *Virgam* manu tenebat, quia Cœli Janitor, primusque omnium mortales ſacros ritus docuiſſe fingebatur. *Cluſium* & *Patulcium* Romani quoque nuncupabant, quia templum ejus patens erat indicto bello, pace autem factâ claudebatur.

Rhea verò eadem, quæ *Idæa Mater* à Peſſinunte Phrygiâ Urbe Romam bello Punico ſecundo advecta eſt, invento Carmine in Libris Sybillinis: (*a*) *Quandocunque hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet, eum pelli Italiâ, vincique poſſe, ſi Mater Idæa Peſſinunte Romam advecta eſſet;* quare Legati in Aſiam miſſi Oraculum adierunt, conſulentes, *ad quod negotium domo miſſi, eſſent* (nullas tum in Aſia Civitates ſocias habebat Populus Romanus) *perficiendi ejus, quam ſibi ſpem, Populoque Romano portenderet.* Reſponſumque accepêre: *Per Attalum Regem compotes ejus fore, quod peterent; cùm Romam Deam devexiſſent, tum curarent, ut eam, qui Vir Optimus Romæ eſſet, hoſpitio acciperet.* Ubi ad Regem venerunt, *ſacrum* iis *Lapidem* tradidit, ac deportare Romam juſſit, ſub ea namque forma in Aſia colebatur. Ea Cœli filia Saturni Conjunx, & ſoror credebatur, *Ops* etiam dicta, quoniam Tellus omnibus fert opem, *Cybele* quoque, & *Berecynthia* nuncupata, *Materque Deorum, & Magna Parens.* Feſtum ejus *Megaleſia* vocabatur, & Menſe Aprili potiſſimùm ludis ſcenicis celebrabatur, perque eos dies Nobiles *mutitare* dicebantur, quoniam munera ſibi invicem mittebant, ùt Plebei ludis Cerealibus, quibus Matronæ luctum Cereris exprimebant; ejus Sacra curabant Sacerdotes, qui Galli à quodam Phrygiæ flu-

(*a*) *Livius Decad.* 3. *lib.* 9. *cap.* 8.

vio dicebantur, cujus aquæ potæ in furorem vertere credebantur. Illi autem genitalia, & Teſta quidem Samia ſibi præcidere debebant, cujus Inſtituti fabula origo fuit; ferebant enim Deorum Matrem *Attydem* quendam apud fluvium illum commorantem intuitam ejus cupidine exarſiſſe, illique ſtellato pileo impoſito impoſterùm unà ſecum habuiſſe; *Attys* autem Nympham quandam *Sangaritidem* deperibat, cumque ea conſueſcebat; quare in furorem à Dea verſus, abſcidit ſibi Genitalia, eaque apud Nympham dereliquit, reverſusque eſt ad Deam; quâ fabulâ, *Attydem* eorum, quæ gignuntur, & corrumpuntur Opificem ſignificabant; *Deam* autem amore correptam *primam* eſſe *Naturam*, quæ ſtellatum pileum largiebatur, *Cœleſtes* nempe *facultates*; Nympham verò, *rerum ipſarum Generationem*, quæ quoniam ſiſtenda erat, nè extrema ſemper deteriùs parerent, genitalia fingebantur abſciſſa, facultas nempe ad generandum exhauſta; Quapropter Sacerdotes ipſi in furorem acti videbantur, atque ſic Vaticinia edebant, & genitalia exſecabant, iis autem præerat qui *Archigallus* dicebatur. Tympana autem, & Cymbala in ejus Sacris adhibita, quoniam Dea eorum ſtrepitu *Saturnum* prohibuerat, nè *Jovem vagientem* audiret. Immolabant ei *porcam fœtam*, ut telluris fœcunditatem denotaret. Pingebatur autem in *Matronæ* ſpeciem, cum *turrita corona currui* inſidens à Leonibus tracto, pictà veſte, *Clavem* manu tenens, ùt Terram omnia ſuſtinentem Hyeme clauſam Vere recludi, ejusque benignitate omnia miteſcere, cumque floribus, tum animalibus ornari denotarent.

Pluto Saturni & *Opis* filius, *Jupiterque* infernus ac ſtygius, quoniam apud inferos imperare credebatur, *Proſerpinam Jovis*, & *Cereris* filiam ex Sicilia rapuit; fabula autem, quòd Mater obtinuerit 6. Menſibus apud inferos cum *Plutone*, ſexque alios apud eam degere, *hyemale* denotabat, atque *æſtivum tempus*, quoniam æſtate, quæ priùs latebant, cuncta producuntur. Quapropter *ipſa vis terræ ſeminalis per Deam ſignificabatur*; quoniam autem vim ſuam exſerit cùm in cœlo, tum in terra, atque apud inferos, triplici capite fingebatur, humano nempe, equino, & canino, atque *Hecate* appellata, cumque *Diana* & *Luna* confundebatur. Beneficiis præerat, vim enim magicam herbis diſtribuere putabant, ac in *Triviis* colebatur, unde *Trivia* dicta. Romani *Vaccam* ei *ſterilem*, vel etiam *Canem* immolabant, quoniam Spectra per eam im-

miſſa

miſſa Canum ululatu fugari putabantur. Plutoni autem *Taurum* immolare ſolebant, eumque pingebant Solio inſidentem, torvoque vultu, *Sceptro* ornatum & *Coronâ* ex Ebeno, *clavem* etiam habentem tanquam Cuſtos inferorum.

Bacchus, cujus comites Nymphæ, Satyri, & Sylenus Jovis & Semeles filius, *Liber* etiam vocabatur, Vini Deus, *Dionyſius* quoque dictus, quaſi Jovis filius, & Niſâ Inſulâ educatus; Sacra ejus fuêre *Bacchanalia*, *Dionyſia & Orgia* etiam nuncupata, quæ procedentibus temporibus corruptelæ evaſerunt omnis generis. Ea Græcus quidam in Hetruriam invexerat, inde Romæ celebrari cœpta nocturno tempore in luco *Symile* nuncupato, quorum originem Hiſpala Libertina fœmina apud Livium expreſſit his verbis: *Primò Sacrarium fœminarum fuiſſe id, nec quenquam virum eo admitti ſolitum; tres in anno ſtatos dies habuiſſe, quibus interdiù Bacchis initiarentur, Sacerdotes invicem matronas creari ſolitas. Patullam Miniam Campanam Sacerdotem omnia tanquam Deûm monitu immutâſſe; Nam & Viros eam primam ſuos filios initiâſſe Minium & Aerennium Cerrinios, & nocturnum Sacrum ex diurno, & pro tribus in diebus quinos ſingulis menſibus dies initiorum feciſſe, ex quo in promiſcuo Sacra ſint, & permiſti viri fœminis, nihil flagitii prætermiſſum: plura virorum inter ſeſe, quàm fœminarum eſſe ſtupra: ſi qui minùs patientes dedecoris ſint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari, nihil nefas ducere. Hanc ſummam inter eos Religionis eſſe, Viros, velut mente captâ cum jactatione fanatica corporis vaticinari. Matronas baccharum habitu crinibus paſſis cum ardentibus facibus decurrerere ad Tiberim, demiſſasque in aquam faces, quia vivum ſulphur cum calce inſit, integra flamina efferre; raptos à Diis homines dici, quos machinæ illigatos ex conſpectu in abditos ſpecus abripiant, eos eſſe, qui aut conjurare, aut ſociari facinoribus, aut ſtuprum pati voluerint. Multitudinem ingentem, alterum jam propè Populum eſſe: in his nobiles quosdam Viros, fœminasque: biennio proximo inſtitutum eſſe, nè quis major 20. annis initiaretur: captari ætates & erroris & ſtupri patientes.* (*a*) Quare ùt apud eundem videre eſt, fuerunt Senatûs Conſulto prohibita, conquiſitis undique initiatis.

Sed Feſtum ejus *Liberalia* dicebatur, quo Libaminà ex melle offerebantur, immolabantque *Hircum*, vel *Capram*, tanquam vitibus noxia animalia. *Pingebatur* verò Puer, ſeu *Juvenis comatus* for-

(*a*) *Livius Dec.* 4. *lib.* 9. *cap.* 8.

Digitized by Google

formoſus , *nudus & cornutus* , ſymbolum enim audaciæ ſunt cornua , & vinum ad eam impellit : *hæderâ* coronatus , quoniam ebrietatem arcere putabant , *thyrſum* manu tenens , haſtam nempe hæderâ , ſeu pampinis circumvolutam ; Currum autem nunc à Leonibus , nunc à Tygribus, vel Lyncibus trahi fingebatur.

Genium verò colebant quoque Romani ſub *Serpentis* ſpecie, licèt aliquando juvenili, vel ſenili formâ effingerent, Sacraque faciebant natali potiſſimùm cujuſque die *floribus & vino* ; aliquando tamen etiam *porcus* immolabatur, unde mos dum aliquem enixè vellent obteſtari, jurandi per *Genium* ejus, & ſervi per *Genium Heri*, duoſque etiam multi credebant eſſe, alterum bonum, alterum malum, & his affines *Penates*, & *Lares* faciebant : *Lares* autem qui uni alicui Familiæ præerant propriùs dicebantur : *Penates*, qui Civitati, unde Virgilius Junonem ad Æolum loquentem inducit :

Gens inimica mihi Tyrrhænum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victoſque Penates.

Lares autem tanquam Tutelaria Familiarum Numina colebantur, adeoque domi quiſque ſuæ in *Larario* cereas eorum imagines aſſervabat, quas effingebant *caninâ pelle* indutas, & *Canem*, veluti cuſtos ædium, juxta ſe habentes , ardebatque ante eas perpetuò ignis , easque floribus ac ſertis adornabant, iiſque offerebant frugum primitias , & *porcum* immolabant. Feſtum eorum *Compitalia* dicebatur, quoniam Urbis compita *Laribus* etiam erant Sacrà ; *Penates* verò *tutelaria* erant Reipublicæ, ſeu Urbis *Numina*, adeoque victi dicebantur, dum illa ab hoſtibus vinceretur. Utrique pro lubitu è Diis, aut etiam Heroibus eligebantur, ut Familiæ, ſeu Urbi, ac Reipublicæ præeſſent, ſed de his fuſiùs alibi.

Dii autem *minorum Gentium* fuère *Indigetes* : ii nempe qui propter merita & virtutem in Deos referebantur, quaſi inter Deos agentes, vel quia invocarentur ab indigetando dicti, ùt *Quirinus*, *Hercules*, *Caſtor & Pollux*, atque *Imperatores univerſi* ſolemni *Apotheoſis* Decreto *conſecrati*. *Semones*, qui nec cœlo degere, nec terrâ putabantur, dicti quaſi *Semihomines*, ùt *Pan* paſtorum & pecoris *Deus*, cui feſtum Romani celebrabant menſe Februario, dictum *Lupercalia*, Sacerdoteſque *Luperci*, qui *nudi* per Urbem eo tempore diſcurrebant , *Caprarum* duntaxat pellibus pudenda cincti, è quarum pelle ſcuticis factis cædebant obvios; mulieres autem propter fœcun-

fœcunditatem, eo namque modo *Panem* Deum fœcundas reddere credebant. Immolabantque *Canem*, & *Capram*.

Faunus. quem cum *Pane* quoque confundebant, licèt *Faunos* etiam agreſtia Numina nuncuparent, quæ noctium ludibria, ſive *Ephialten* immittere putabantur. Habuit Ædem in Inſula Tyberina, ubi Nonis Decembris, & Idibus Februariis colebatur. Uxor ejus *Fauna Bonæ* Deæ nomine à Romanis colebatur, ejusque Sacra in abdito loci celebrabant, ac licèt arcerentur Viri, flagitiis tamen ſæpiſſimè inquinabantur. Ad hos etiam referuntur *Sylvanus* ſæpè pro *Pane*, & *Fauno* acceptus, *Vertumnus*, *Pomona*, quæ *Flaminem* habuit *Pomonalem* dictam; *Pales*, cujus Feſtum *Parilia*, ſeu *Palilia* undecimo Kalendas Maji celebratum. *Flora*, cujus feſtum *Floralia* initio menſis Maji, mulierculis in ſcenam productis, ac mirè laſcivientibus celebrabant. *Terminus*, quem formâ *quadrati lapidis*, vel *dedolati ſtipitis* colebant, & agrorum fines tueri putabant, ùt dictum eſt, ejusque feſtum *Terminalia* dictum Februario menſe, qui Annum claudebat, celebrabatur.

Sed innumeri alii colebantur Dii, quos Inſtituti ratio numerare non patitur. *Virtutes* quoque *Animique affectiones* utì *Numina* colebant, ùt *Fides*, quæ ædem habuit in Capitolio, *Pietas* in Foro olitorio, *Virtus* & *Honor* duas extra Urbem, ut per ædem *Virtutis* ad eam *Honoris* aditus patere videretur; *Menti* quoque ædes in Capitolio erecta; *Spei* & *Pudicitiæ* plures. *Pudicitia* verò cùm Patritia, tum Plebeia dicebatur, illamque in foro boario Patricii, hanc verò in Vico longo Plebs colebat. *Concordia* quoque plures habuit ædes, præcipua autem *virili Concordiæ* dicata erat. *Pacem* quoque, cui Templum à Veſpaſiano Imperatore conditum, in quo vaſa Hieroſolymitani Templi repoſuit, *Quietem*, *Salutem*, *Felicitatem*, & *Libertatem*, quibus ſingulis ſua Templa conſecrata; *Fortunam* etiam Romani colebant diverſis nominibus, ùt *Primigenia*, quæ in Capitolio Templum habuit, *muliebris* extra Urbem : *Fors Fortuna*, & *mala*.

Nemeſis, ultio nempe Dei, quæ etiam *Rhamnuſia* dicebatur à *Rhamnunte* Atticæ Vico ubi Templum erat. Romani ad bellum profecturi eam colere ſolebant, ut juſtè ſuſceptum bellum denotarent.

Sed procedentibus temporibus Vitiis etiam cœleſtes honores tributi, & rebus noxiis, ùt *Voluptati*, *Lubentinæ Veneri*, *Cupidini*, *Pa-*

 vori

vori & Pallori, quibus fana conſecravit Tullus Hoſtilius; *Febris* etiam Divino honore culta, eique tria Templa dicata.

De peregrinis Diis.

Coluerunt etiam peregrinos Deos, licèt primis temporibus vetitum fuiſſet, quibus *nec aliis*, quàm *præſcriptis ritibus* eos colere licebat; extraneos enim ritus, qui præcipuè aliquid haberent admiſtum turpitudinis, Romani priùs prohibuerant, licèt poſteà irrepſerint, fabulæque fuerint receptæ Deorum; nam Romulus ad bene & præclarè de Diis ſentiendum Romanos induxerat, nihil affingi paſſus beatæ illi Naturæ parùm conſentaneum. Quare externam ſæpiùs Religionem, novoſque ſacrificandi ritus prohibuêre; Ædiles curare juſſi, *nè qui, nisi Romani Dii, neû quo alio, quàm patrio more colerentur*, quod cùm fuiſſet poſteà neglectum, *tantaque Religio, & ea magna ex parte externa*, ùt Livius inquit, *Civitatem inceſſiſſet, ut aut homines, aut Dii repente alii viderentur facti, incuſati graviter ab Senatu fuêre Ædiles, Triumvirique Capitales; cùmque prohibere novos Sacrorum apparatus conati fuiſſent, haud procul abfuit, quin violarentur. Quare ubi potentius jam eſſe malum apparuit, quàm ut minores per Magiſtratus ſedaretur, Marco Attilio Prætori Urbano negotium ab Senatu datum eſt, ut & his Religionibus Populum liberaret. Is & in Concione Senatûs Conſultum recitavit, & edixit, ut quicunque libros Vaticinos, precationesque, aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet, eos libros omnes, literaſque ad ſe ante Kalendas Aprilis deferret, neû quis in publico, ſacrove loco, aut externo ritu ſacrificaret.* (*a*)

Peregrini autem Dii præcipuè ab Ægyptiis adſciti fuêre, licèt prolatis tandem Imperii finibus omnium ferè Gentium Sacra in Urbem recepta fuerint, quo undique confluere atrocia, maximaque ſcelera, celebrarique viſa ſunt; unde Oſyridem Iſidis fratrem, atque maritum in Bove quodam nigro maculis quibusdam interjacentibus colebant, quoniam ejus anima in illud animal migrâſſe credebatur, eumque poſt certum tempus ſacro fonte mergebant, quo tempore Ægyptus lugere ſolebat univerſa; Invento autem ſimili lætabatur, & bos Memphim perducebatur. Iſidis autem Sacra celebrabant Sacerdotes capite raſo, & lineis veſtibus induti, præcipuèque colebatur à mulieribus, quæ concubitu, & Vino abſtinere debebant, atque *in ejus Caſto eſſe*, inque Sacris ejus *Siſtrum* adhibebant, ſonum emittens ad inſtar Spicarum, quæ Ventis commoventur.

Præ-

(*a*) *Livius Dec.* 1. *lib.* 7.

De Sacerdotibus Romanorũ.

Præter autem Pontificum Collegium, cui præerat Pontifex Maximus, & Augurum, atque Aruſpicum, Fratresque Arvales, Fæciales, & Curiones, quos jam enumeravimus, 15. *Virorum* erat *Collegium Sacris faciundis*, *Septemviri Epulonum*, *Sodales Titienſes*, *&* *Rex Sacrorum*, *ſive Rex Sacrificulus*, qui Deorum omnium erant Sacerdotes. Eorum verò, qui certo Numini Sacra celebrabant, ultrà *Veſtales Virgines*, *Flamines*, *Salios*, *Lupercos*, *&* *Gallos*, *Potitii erant & Pinarii.*

Pontifices primùm 4. fuère à Numa inſtituti; anno autem Urbis 454. Tribunitiis rogationibus 4. ſunt adjecti. Sulla rursùs ad 15. auxit, licèt 7. poſtremi minores nuncuparentur. Eligebantur autem à Collegio ipſo uſque ad annum 649., quo *Lege Domitiâ* cautum fuit, ut comitiis Tributis à 17. Tribubus ſorte lectis crearentur, quæ poſteà à Sulla abrogata denuò fuit, à Tito Labione reſtituta anno Urbis 690. Cæſares autem eorum arbitrio eos conſtituebant. Licèt verò magnâ pollerent authoritate, Cenſoribus tamen erant obnoxii: Tribuniplebis etiam eos cogere ad officium poterant. *Quindecim Virorum Sacris faciundis* origo temporibus Tarquinii Superbi fuit, cùm enim illum adiiſſet quædam mulier, quæ novem Libros Sybillinos habere fatebatur, multumque auri petiviſſet, reſpuit Tarquinius Libros tanti emere, illa verò, crematis tribus, denuò Regem adiit, idemque poſtulavit pretium; ſed Rex eam iterum re neglectâ dimiſit. Illa tres alios combuſſit Libros, & pro reliquis ſolummodò à Rege expoſtulabat eandem auri copiam; cùmque fuerit mulieris conſilio permotus, Augures acciri juſſit; qui rem divinitùs miſſam, *piaculum* fuiſſe negligere, pronunciàrunt, adeoque integro auro, ſicut mulier petebat, reliquos redimi juſſerunt; mulierem autem, poſtquam eos diligentiſſimè aſſervari debere monuiſſet, ampliùs non apparuiſſe ferunt; quare *Duum Viri* ex Patriciorum ordine creati fuère, additique duo Miniſtri publici, perque eos Tarquinius cuſtodiri Libros juſſit. Exactis autem Regibus *Decemviri* anno Urbis 387. Sacris faciundis facti ſunt, Lexque perlata, ut de Plebe quoque fierent, creati 5. Patrum, 5. Plebis, *graduque eo*, ùt Livius inquit, *jam via facta ad Conſulatum videbatur.* Aucti tandem ad numerum 15. à Sulla. Hi autem Libros Sybillinos ex Senatûs Conſulto adibant, quoties aliquid detrimenti Reipublicæ portendi videbatur, aliiſque Reipublicæ adverſis caſibus, quæque è libris hauſerant, ad Senatum referebant, Sacrificiaque, aliasque Ceremo-

remonias procurabant, quibus Portentum expiari credebatur, vel ludos ſæculares celebrabant; quapropter his Libris *fata Romanæ Urbis* contineri putabant, unde in Capitolio publicè cuſtoditi. Sed anno Urbis 670. cremato Capitolio ſive de induſtria, ſive fortuitò, libri etiam aſſumpti ſunt; quare Legati poſteà undique locorum miſſi fuère, ut Oracula Sybillina conquirerent, è quibus denuò à 15. *Viris* alii Libri confecti fuère, atque ab Auguſto ſub baſi *Apollinis Palatini* conditi; ſed illos demùm Theodoſius Magnus Imperator anno Chriſti 389. comburi juſſit.

Septemviri Epulones anno Urbis 557. inſtitui cæpti; eo namque tempore primùm *tres Viri* ſunt facti, qui *ludorum* facerent *epulare Sacrificium*, atque his, ut Pontifici, Lege datum *Togæ prætextæ habendæ jus*; atque ad *Pontificum Collegium* referre tenebantur ſi quid in *Sacris* omiſſum, commiſſumve, aut pollutum eſſet; Sulla verò 4. adjecit.

Rex Sacrificulus Romæ creatus exactis Regibus, quoniam Sacra quædam à Regibus fiebant, quæne omitti, aut præter ritus fieri viderentur, placuit *Regem Sacrorum* creare, qui ea perageret eodem ritu; Uxor quoque *Regina* dicta eſt, cùm & ipſa Sacra quædam faceret; domus quoque, in qua habitabat, *Regia* vocabatur. Erant etiam inter Sacerdotes *Potitii, & Pinarii,* ùt diximus, *Herculis Sacerdotes*, qui cùm ad Evandrum veniſſet, atque ab eo his verbis ſalvere juſſus: *Jove nate Hercules Salve: Te mihi Mater veridica Interpres Deûm auctūrum Cæleſtium numerum cecinit, Tibi aram hìc dicatum iri, quam opulentiſſima olim in terris Gens maximam vocet, tuoque ritu colat*; ad quæ Hercules: *accipere ſe omen, impleturumque fata, arâ conditâ, dicatâque.* (*a*) Tumque primum Sacrum *Herculi* è bove eximia factum eſt, adhibitis ad Miniſterium *Potitiis*, ac *Pinariis*, qui eo loci nobiliores erant. Cumque *Pinarii extis adeſis* ad cæteram veniſſent dapem, ortum inſtitutum, quod donec *Pinarium genus* fuit, manſiſſe viſum eſt, *nè ſolemnium extis veſcerentur*; *Potitios* autem, quia Sacra *Herculis* procedentibus temporibus ſervis publicis tradidêre, omnes interiiſſe putàrunt.

Perplurimi autem erant Sacrorum ritus, atque Sacrificia, quæ nimìs longum eſſet recenſere, & apud Romanarum Antiquitatum Authores videri poſſunt. Illud tantùm, quoniam ad inſtitutum Reipublicæ pertinere videtur, advertiſſe ſufficiat, inter cultum

(*a*) *Livius Dec.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7.

tum *Deorum* , *ſupplicationes*, retuliſſe Romanos , quas felicibus Reipublicæ temporibus peragebant, ad gratias *Diis* agendas, Templaque aperiebantur; quod maximè obſervabatur, cùm de hoſtibus victoria perlata eſſet; quo tempore Senatus Exercituum Duces *Imperatores* appellabat. Sed etiam acceptâ clade, aut aliàs gravi tempore *Supplicationes* inſtituebantur, atque à *Duumviris* ad eam rem creatis curari jubebatur; quas tamen *obſecrationes* nuncupare ſolebant; præcipuè verò tunc *Lectiſternia* celebrari videbantur 15. *Virorum* curâ, erantque quaſi *Convivia* quædam, quibus Deos excipiebant, quæque à *Septemviris Epulonum* curabantur; lecti proinde Diis ſterni debebant, quos *pulvinaria* nuncupabant; Deabus verò ſternebant *Sellas*, unde *Selliſternia*, ſeu *Soliſternia* earum epulæ nuncupatæ.

De Sacrificiis Suove-Taurilibus.

Solemne autem illud erat Sacrificium, quod *Sue*, *Ove*, & *Tauro immolatis* peragebatur, quare *Suove-taurilia*, ſeu *Solitaurilia* dicebatur, & hoc erat *Luſtrum condere*; quare quinto quoque anno dum Populus à Cenſoribus in Campo Martio luſtrabatur, peragi ſolebat. Sed & Urbem luſtrabant, & Agrum, ſi enim clades aliqua, aliave calamitas Reipublicæ contigiſſet, vel admiſſum eſſet grave periculum, tunc *Hoſtia* circùm Urbem ducebatur, unde *Sacrificium* dicebatur *Amburbium*; Agrum autem luſtrabant *Ambarvali Sacrificio*, quod *Ambarvales Fratres* peragebant, de quibus jam dictum. Luſtrationes autem univerſas *Februalia* nuncupabant, quaſi *Purgamina*, ſive *Piamina*, *februare* enim Sabinorum Linguà idem ac *expiare* denotabat; ex quo Februarius Menſis ità nuncupatur; eo enim tempore *februari* Populus debebat.

Sed redeuntes ad Numam, ei præcipuos Religionum ritus meritò adſcribendos eſſe fatemur; nedum enim Romam eos ex Hetruria, atque aliis locis traduxit, & quoſdam adinvenit, ut præſertim *Virtutum* cultum, *Juſtitiam*, *Fidem*, *Concordiam*, quibus unicè coaleſcere homines animadvertebat, ſacroſque fecit *Jovi terminali* Lapides, quibus unumquemque juſſit agrum ſuum circumſcribere, & quotannis ſtato die iis in locis Sacra fieri, quæ *Paganalia* nuncupabant, adeò ut Deos putarent *conſecratos Terminos*, perpetuumque publicum *focum* inſtituit, & *Ancilia*, propter illud, quod Cœlo delapſum ſimulavit, condi juſſit; ſed Religiones ipſas, Sacraque omnia 8. Libris complexus eſt.

De Paganalibus.

Deinde adeò Agricu turam promoviſſe legitur, ut agrum univerſum in Pagos diviſerit, Pagiſque ſingulis homines præpoſuerit,

remonias procurabant, quibus Portentum expiari credebatur; vel ludos ſæculares celebrabant; quapropter his Libris *fata Romanæ Urbis* contineri putabant, unde in Capitolio publicè cuſtoditi. Sed anno Urbis 670. cremato Capitolio ſive de induſtria, ſive fortuitò, libri etiam aſſumpti ſunt; quare Legati poſteà undique locorum miſſi fuêre, ut Oracula Sybillina conquirerent, è quibus denuò à 15. *Viris* alii Libri confecti fuêre, atque ab Auguſto ſub baſi *Apollinis Palatini* conditi; ſed illos demùm Theodoſius Magnus Imperator anno Chriſti 389. comburi juſſit.

Septemviri Epulones anno Urbis 557. inſtitui cæpti; eo namque tempore primùm *tres Viri* ſunt facti, qui *ludorum* facerent *epulare Sacrificium*, atque his, ut Pontifici, Lege datum *Togæ prætextæ habendæ jus*; atque ad *Pontificum Collegium* referre tenebantur ſi quid in *Sacris* omiſſum, commiſſumve, aut pollutum eſſet; Sulla verò 4. adjecit.

Rex Sacrificulus Romæ creatus exactis Regibus, quoniam Sacra quædam à Regibus fiebant, quæne omitti, aut præter ritus fieri viderentur, placuit *Regem Sacrorum* creare, qui ea perageret eodem ritu; Uxor quoque *Regina* dicta eſt, cùm & ipſa Sacra quædam faceret; domus quoque, in qua habitabat, *Regia* vocabatur. Erant etiam inter Sacerdotes *Potitii, & Pinarii*, ùt diximus, *Herculis Sacerdotes*, qui cùm ad Evandrum veniſſet, atque ab eo his verbis ſalvere juſſus: *Jove nate Hercules Salve: Te mihi Mater veridica Interpres Deûm auctorum Cæleſtium numerum cecinit, Tibi aram hîc dicatum iri, quam opulentiſſima olim in terris Gens maximam vocet, tuoque ritu colat*; ad quæ Hercules: *accipere ſe omen, impleturumque fata, arâ conditâ, dicatâque.* (*a*) Tumque primum Sacrum *Herculi* è bove eximia factum eſt, adhibitis ad Miniſterium *Potitiis*, ac *Pinariis*, qui eo loci nobiliores erant. Cumque *Pinarii extis adeſis* ad cæteram veniſſent dapem, ortum inſtitutum, quod donec *Pinarium genus* fuit, manſiſſe viſum eſt, *nè ſolemnium extis veſcerentur*; *Potitios* autem, quia Sacra *Herculis* procedentibus temporibus ſervis publicis tradidêre, omnes interiiſſe putârunt.

Perplurimi autem erant Sacrorum ritus, atque Sacrificia, quæ nimìs longum eſſet recenſere, & apud Romanarum Antiquitatum Authores videri poſſunt. Illud tantùm, quoniam ad inſtitutum Reipublicæ pertinere videtur, advertiſſe ſufficiat, inter cultum

(*a*) *Livius Dec.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7.

tum *Deorum*, *ſupplicationes*, retuliſſe Romanos, quas felicibus Reipublicæ temporibus peragebant, ad gratias *Diis* agendas, Templaque aperiebantur; quod maximè obſervabatur, cùm de hoſtibus victoria perlata eſſet; quo tempore Senatus Exercituum Duces *Imperatores* appellabat. Sed etiam acceptâ clade, aut aliàs gravi tempore *Supplicationes* inſtituebantur, atque à *Duumviris* ad eam rem creatis curari jubebatur; quas tamen *obſecrationes* nuncupare ſolebant; præcipuè verò tunc *Lectiſternia* celebrari videbantur 15. *Virorum* curâ, erantque quaſi *Convivia* quædam, quibus Deos excipiebant, quæque à *Septemviris Epulonum* curabantur; lecti proinde Diis ſterni debebant, quos *pulvinaria* nuncupabant; Deabus verò ſternebant *Sellas*, unde *Selliſternia*, ſeu *Soliſternia* earum epulæ nuncupatæ.

Solemne autem illud erat Sacrificium, quod *Sue*, *Ove*, & *Tauro immolatis* peragebatur, quare *Suove-taurilia*, ſeu *Solitaurilia* dicebatur, & hoc erat *Luſtrum condere*; quare quinto quoque anno dum Populus à Cenſoribus in Campo Martio luſtrabatur, peragi ſolebat. Sed & Urbem luſtrabant, & Agrum, ſi enim clades aliqua, aliave calamitas Reipublicæ contigiſſet, vel admiſſum eſſet grave periculum, tunc *Hoſtia* circùm Urbem ducebatur, unde *Sacrificium* dicebatur *Amburbium*; Agrum autem luſtrabant *Ambarvali Sacrificio*, quod *Ambarvales Fratres* peragebant, de quibus jam dictum. Luſtrationes autem univerſas *Februalia* nuncupabant, quaſi *Purgamina*, ſive *Piamina*, *februare* enim Sabinorum Linguâ idem ac *expiare* denotabat; ex quo Februarius Menſis ità nuncupatur; eo enim tempore *februari* Populus debebat. *De Sacrificiis Suove-Taurilibus.*

Sed redeuntes ad Numam, ei præcipuos Religionum ritus meritò adſcribendos eſſe fatemur; nedum enim Romam eos ex Hetruria, atque aliis locis traduxit, & quosdam adinvenit, ut præſertim *Virtutum* cultum, *Juſtitiam*, *Fidem*, *Concordiam*, quibus unicè coaleſcere homines animadvertebat, ſacroſque fecit *Jovi terminali* Lapides, quibus unumquemque juſſit agrum ſuum circumſcribere, & quotannis ſtato die iis in locis Sacra fieri, quæ *Paganalia* nuncupabant, adeò ut Deos putarent *conjecratos Terminos*, perpetuumque publicum *focum* inſtituit, & *Ancilia*, propter illud, quod Cœlo delapſum ſimulavit, condi juſſit; ſed Religiones ipſas, Sacraque omnia 8. Libris complexus eſt. *De Paganalibus.*

Deinde adeò Agricu turam promoviſſe legitur, ut agrum univerſum in Pagos diviſerit, Pagiſque ſingulis homines præpoſuerit,

rit, qui eos obirent, atque curarent, induſtriam, aut ſegnitiem Colonorum obſervaturi, ut deferrent ad Regem; quare ad agrum ritè colendum univerſi incitabantur, Civitasque jam belli & pacis artibus temperata mirè augebatur.

De Tulli Hoſtilii Electione.

Poſt Numam, qui exactis Regni annis 43. vitæ autem 80. fato conceſſit, licèt res rediiſſet ad Interregnum; paulò tamen poſt *Tullus Hoſtilius* ritè *captis auſpiciis*, *Senatu Auctore*, *juſſuque Populi* Regnum adeptus, belli artes renovavit, ut ampliaret Imperium; agrum tamen, qui propria Regum ſors & poſſeſſio erat, viritim inter Romanos inopes diviſit, profeſſus, ſibi in Sacrificia, ſumptusque domeſticos ſufficere Patrimonium, unde Cœlius Collis Urbi adjunctus, illi enim adepti jam agros ædificare cœperunt.

Sed præcipuæ Tulli artes *ordo militiæ*, & *caſtrenſis Diſciplina* fuêre, quibus unicè Domitor Gentium evaſit Populus Romanus, quare ex ejus præſcripto indicta etiam militi pro levi culpa non adeò levis pœna. Cùm autem Albanum Populum Romæ incrementis obeſſe, ac deinceps obfuturum animadverteret, bello eum aggredi ſtatuit, nec diverſum erat Cluilii Albanorum Dictatoris ingenium, quapropter depopulati viciſſim agri, Legatique miſſi. Albanos adeò protraxit Tullus, ut mandata priùs Romani exponerent, resque *faciali ritu* repeterent, quia priùs bellum Albanis indictum, quàm Albanorum Legati mandata Tullo renunciaverint; tunc verò factâ eis dicendi Poteſtate, cùm bellum etiam, ſi res non fuerint redditæ, indicere juſſos affirmarent, *nuntiate*, reſpondit Tullus, *Regi veſtro, Regem Romanum Deos facere teſtes, uter priùs Populus res repetentes Legatos aſpernatus dimiſerit, ut in eum omnes expetant hujuſce clades belli.* Sic bellum utrique parant, amborumque Exercitus non procul Caſtra metantur; Albani tamen Regem amittunt Cluilium repentè in Caſtris mortuum, Dictatoremque Mettium Fuffetium creant. Is autem, quomodo bellum avertere, fœdusque inire cogitâſſet, fœderisque conditiones, trigeminamque Horatiorum, & Curatiorum pugnam, cujus eventui utriusque Populi fortuna commiſſa fuit, Dionyſius, ac Livius fusè narrant, ùt & Victoris Horatii crimen ob transfixam Sororem, quæ lugebat, quoniam Paludamentum Sponſi Curiatii, quod ipſa confecerat, ſuper fratris humeros agnovit, ſolutisque crinibus flebiliter Sponſi nomen iterabat, & quomodo à Duumviris, quos Rex, nè ipſe ingrati ad Vulgus judicii, ſuppliciive author eſſet, advo-

De Bello Albanorum.

cato

cato Populi Concilio ſecundùm Legem fecerat, damnatus, provocante ad Populum Patre fuerit abſolutus *admiratione magis Virtutis, quàm jure cauſa*, quoque ritu cædes, quibusque piacularibus Sacrificiis expiata; quapropter eadem recenſere ſuperfluum. Conſilium tamen ejus, & quomodo Tullus illuſerit, innuere haud ingratum reor. Cùm enim Fidenates, Vejentesque Populi bellum moviſſent, Mettiusque vi fœderis fuerit à Romanis adſcitus, ſtatuit peſſimo conſilio, quâ fortunâ rem daret, eò inclinare vires; dumque propterea contra Fidenatium Legionem collocatur, ſenſim ſecedit ad montes, atque ibi terendo tempus, explicat ordines; quod cùm Tullo nuntiatum eſſet, ſuis hæc agi mandatis adeò altâ voce pronunciabat, ut hoſtes audirent, cauſamque addebat, quoniam deberent Albani nuda Fidenatium terga invadere; hinc territi, fuſique hoſtes, & Mettius, qui ſpectator fuerat, Tullo gratulatur; at ille ſimulans, ſua Caſtra Romanis jungere jubet, peractoque luſtrali Sacrificio, utrumque Exercitum vocat ad Concionem; ſed Romanis, ut in armis eſſent, occultè mandaverat; Albanique fuêre primùm vocati, ut undique à Romanis circumdarentur; tum Rex expoſitâ Mettii perfidiâ; *nè vos*, inquit, *falſa opinio teneat: injuſſu meo Albani ſubiêre ad montes, nec Imperium illud meum, ſed Conſilium & Imperii ſimulatio fuit, ut nec vobis ignorantibus deſeri vos, averteretur à certamine animus; & hoſtibus circumveniri ſe à tergo ratis, terror ac fuga injiceretur.* Nec tamen Albanos culpæ reos arguit, ſed Mettium Ducem, nam ille Romam Albæ ruinis augere decreverat, Albanosque ſervare, adeoque ſubdit: *quod bonum, fauſtum, felixque ſit Populo Romano ac mihi, vobisque Albani, Populum omnem Albanum Romam traducere in animo eſt, Civitatem dare Plebi, primores in Patres legere; unam Urbem, unam Rempublicam facere, ut ex uno quondam in duos Populos diviſa Albana res eſt, ſic nunc in unum redeat.* Ad Mettium tandem: ... *tuo*, inquit, *ſupplicio doce humanum genus, ea ſancta credere, quæ à te violata ſunt; ut igitur paulò antè animum inter Fidenatem, Romanamque rem ancipitem geſſiſti, ità jam corpus paſſim diſtrahendum dabis.* Quare admotis duabus quadrigis diſtentus illigatur, equique in diverſum aguntur; ità diſcerptus in duas partes, primus apud Romanos *exempli parùm memoris Legum humanarum fuit.*

De Bello Fidenatium, Vejentiumq; ac Mettii Fufſetii ſupplicio.

Hic autem, licèt alias innuiſſe reminiſcimur, ſeriò advertendum eſſe putamus, iis artibus Romanos ad illud Potentiæ culmen de-

De artibus Ro-

manorū ad augendam Civitatem.

deveniſſe, quas primùm Romulus exercuit, ſemperque Reſpublica ſervavit; procedentibus namque temporibus victi hoſtes aliò miſſi, Romanis ager diviſus; ſicque Regiones, Urbesque hoſtium *Romanorum Coloniæ* efficiebantur.

Sed & aliæ fuerunt artes, nam Reſpublica præter Colonias, Municipiaque, præterque ſubditas omninò Civitates, quas primùm Præfecturas nuncupabant, Civitates habuit, fœdere amicitiâque ſibi conjunctas, Urbesque fœderatæ dicebantur, de quibus infrà ſermo erit. Harum autem auxiliis in bellis uſi, ſed imperandi authoritas, ſedesque imperii penès eos manere debebant; hinc Sociorum armis hoſtes ſubigebant, ſuamque augebant potentiam, Sociique ipſi paulatim ſuam arceſſebant ruinam; quò primùm enim Romanorum detecta Conſilia, licèt contra Romanos univerſi conjurâſſent Italiæ Populi, non alius tamen fuit bellorum eventus, quàm magìs Romæ ſubditos fieri, unamque regnatricem Civitatem, ac Dominatorem Populum agnoſcere; erat enim intereà adeò aucta potentia, totque externæ Gentes ſubactæ, quæ totam ſervitutem patiebantur, ut non ampliùs convelli potuerit. Non ergo finitimos Populos, totque Italiæ Civitates vi & armis in fide retinebant, ſed partim Socios ſibi adſciſcebant æquis Legibus, præter Imperii ſedem, atque Exercitibus imperandi authoritatem; partim Colonos, ac Municipes habebant, adeò ut Romam diceres, ordinato quodam progreſſu, ùtque res ac tempora exigebant, cuncta peregiſſe, potentiamque ſuam firmâſſe adeò ut nullâ aliâ potuerit externâ vi, nisi duntaxat ſuâ ruere; Tullus autem poſtquàm aliud cum Sabinis bellum geſſiſſet, eorumque etiam victor fuiſſet, fatis ceſſit, & flammis abſumptum irato Numine, quòd non ritè Sacra curâſſet, Romanos credidiſſe memoriæ proditum eſt.

In eo tamen nunquam ſatìs reprehendes, quòd Romæ fortunam trium duntaxat virtuti permiſerit, nec enim ſumma rerum dubiis prælii caſibus eſt objicienda, nec fœdus illud erat ineundum, *ibi* nempe *imperium fore*, *ubi victoria ſteterit*; adeoque idem facturum fuiſſe Tullum, licèt ſaniori Conſilio, quod Mettius parabat, arbitramur.

De Anco Martio Rege.

Tullo ſucceſſit *Ancus Martius* Numæ ex filia *Pompilia* Nepos, belli pacisque artibus æquè inſtructus, adhuc *auſpicato*, *ſolemnibusque peractis Comitiis* Regnum adeptus; quoniam verò de Tullo rumor increbuerat, parùm Religiones curâſſe, ille optimum ratus

tus Conſilium, *quidquid ex Anteceſſore deſiderabatur, ſummâ diligentiâ præſtare*, Religionibus ſe totum addixit, Pontificemque maximum ea ex libris Numæ in publico proponere curavit: inde facta ſpes Finitimis, ac præcipuè Latinis, cum quibus Tullo Rege fœdus ictum erat, *Regem deſidem fore, atque inter Sacella & Aras acturum Regnum*, Romanorum agrum depopulantur, miſſoque ab Anco Fæciali, ſuperbè reſpondent: *Se cum Tullo fœdus feciſſe, eoque defuncto nullo ampliùs teneri pacis fœdere.* Quod quia procedente tempore à Perſeo Macedoniæ Rege, aliiſque etiam, Romanis objectum eſt, peculiari Exercitatione, ùt aliàs diximus, rem diſquirere placuit. Quapropter jure agens Fæcialis fines Latinorum adiit, resque ex ritu repetebat: *Audi Jupiter*, inquiens, *audite fines* (Latinorum nempe) *audiat fas: ego ſum publicus Nuncius Populi Romani, juſtè pièque Legatus venio, verbisque meis fides ſit*; *enunciatisque poſtulatis*; *ſi ergo injuſtè*, concludebat, *impièque illos homines, illasque res dedier Nuncio Populi Romani mihi expoſco, tum Patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe*; quæ cùm ad primum obvium, inque foro repetiiſſet, terminumque 33. dierum ſtatuiſſet, bellum indixit; *Audi*, inquiens, *Jupiter & tu Juno, Quirine, Diique omnes cæleſtes, Vosque terreſtres, Vos inferni audite: ego vos teſtor, Populum illum* (Latinos ſcilicet) *injuſtum eſſe, neque jus perſolvere, ſed de iſtis rebus in Patria majores natu conſulemus, quo pacto jus noſtrum adipiſcamur.* Inde Romam reverſo, Patres à Rege conſulebantur his fermè verbis: *quarum rerum litium, cauſarum condixit Pater Patratus Populi Romani Quiritium Patri Patrato priſcorum Latinorum, hominibusque priſcis Latinis, quas res dari, fieri, ſolvi oportuit, quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec ſolverunt, dic*, ei nempe quem primum ſententiam rogabat, *quid cenſes?* At ille; *puro, pioque duello quærendas res cenſeo, itaque conſentio, conſciſcoque*; cùmque major pars in eam iret ſententiam, Fæcialis hoſtium fines ingreſſus, haſtamque ferratam, aut ſaguineam præuſtam ferens, & non minùs tribus coràm, eam jaciebat, poſtquàm ea diceret: *quod Populi priſcorum Latinorum, hominesque priſci Latini adversùs Populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod Populus Romanus Quiritium bellum cum priſcis Latinis juſſit eſſe, Senatusque Populi Romani Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit, ut bellum cum priſcis Latinis fieret, ob eam rem ego, Populusque Romanus Populis priſcorum Lotinorum, hominibusque priſcis Latinis bellum indico, facioque*; itaque indicto bello, geſtum

De Bello Latinorum.

fuit non ſinè Civitatis Romanæ incremento, Politorium enim Latinorum Urbs vi cœpta, omniſque multitudo Romam traducta. Unde cùm Romani veteres Palatium, Sabini Capitolium, atque Arcem, Cœlium montem Albani occupâſſent, Aventinus novæ multitudini datur, quem deinde novi in dies victi aliarum Urbium Latini implevêre, Janiculumque adjunctum, Sublicio Ponte tum primùm in Tiberim facto. Primus autem Ancus Carcerem ad compeſcendam creſcentis Populi audaciam mediâ Urbe excitavit. Coloniam Hoſtiæ in ipſo Maris, Tiberiſque confinio poſuit ad Urbis opes, commeatusque; eamque primùm muro quoque cinxit. Atque itâ, poſtquàm vigeſimo quarto anno regnâſſet, vitâ functus eſt.

De Tarquinio Priſco Rege.

Quintus Romæ Rex fuit *Tarquinius* cognomento *Priſcus*, Alienigena, ſed receptus in *Civitatem*, atque in *Tribum* & *Curiam* relatus, Regem adeò ſibi conciliavit, ut Tutorem dederit ſuis filiis; ille autem primus ambitioſè Regnum petiit conciliatâ Primorum amicitiâ. Unde *celebratis* ritè *Comitiis* Regem elegerunt, authoreſque etiam Patres fuêre. Tarquinius verò, ut ſibi addictam in Senatu factionem haberet, 100. Patres legit, atque eo tempore Senatus ad 300. Patrum numerum auctus eſt. Quamvìs autem Reges *eligerentur*, nec propterea ullâ Tarquinius filios Anci afficeret injuriâ, haud Ancum prudenter cum Tarquinio ſe geſſiſſe fatendum erit, qui nec novit ejus ingenium, & ambitioſum hominem ad Potentiæ culmen evexit, magnamque ei conciliavit authoritatem. Sed & Tarquinio cautiùs etiam cum filiis Anci agere oportebat, eorum enim inſidiis ſublatus fuit, poſtquàm regnâſſet annis 38.

Viri tamen virtutem quis non ſuſpiciet? Is enim finitimos Populos Latinos, Hetruſcos, Sabinoſque non tantùm vicit, fregitque, ſed recepit in Societatem, ſalvâ *Populi Romani Majeſtate*, adeò ut mirum ſit tot potentiſſimos Populos non potuiſſe uno tempore ſimul coaleſcere, bellumque Romanis inferre junctis viribus. Res enim Romana cum Sociorum auxiliis crevit, tum quia primis illis temporibus unum poſt aliud bellum geſſit, victoque uno Populo alium adoriebatur. Quomodo enim potuiſſet Roma de Sabinis, Hetruſcis, Latiniſque, deque Samnitibus triumphare, ſi junctis viribus bellum Romanis intuliſſent? Sed itâ ſunt à Natura comparati mortalium animi, ut & *præſentibus* gaudeant, & *futura mala* nedum *proſpiciant*, ſed nec imaginatione *concipere* patian-

tiantur; hinc *ſpecie duntaxat utilia*, quæque *præſentis ſunt temporis* facilè ſibi perſuadent, ideoque nunquam quod eveniſſe viſum eſt cogitâſſe eos Populos reor; imò fortaſſe dum alter implicitus erat Romano bello, utrumque labefactari, cùm ipſe interim pace ac otio frueretur, æquo ferebat animo; adeoque eò dementiæ nonnulli proceſsêre, ut bellorum ſemina ipſi jacerent, victorique ſuppetias ferrent, quo ſibi citiùs ruinam arceſſerent.

Sed Rex *Tarquinius* poſtquàm devictis tot Populis triumphâſſet, ad Pacis artes ſe vertit, nam quadrato lapide Urbis mœnia exſtruxit, *Circumque maximum* deſignavit, locosque ſpectaculorum in Patres diſtribuit & Equites, maximaque alia aggreſſus eſt opera, quorum aliqua ſuprà commemoravimus, quæque fusè à Dionyſio, ac Livio narrantur. Cùm autem alias Equitum Centurias addere in animum induxiſſet, Augur quidam, *Nævius Actius* dictus, nîl novi conſtitui, nisì aves *addixiſſent*, poſſe, affirmabat; Rex commotum ſe ſimulans ea de cauſa, ſeu ut veritatem artis, hominisque arrogantiam coargueret, ſeu fortaſſe, ut magis ſuperſtitionem illam confirmaret, auſpiciisque authoritatem conciliaret ac fidem, ad Augurem verſus: *Agedum*, inquit, *Divine tu, inaugura, fierine poſſit, quod nunc ego mente concipio*; ad quæ illum ex templo reſpondiſſe commemorant: *profectò futurum, quod ipſe cogitaverat.* Tunc *Tarquinius*: *atqui hæc animo agitavi*, inquit, *te novaculâ Cotem diſciſſurum, cape hæc, & perage, quod aves tuæ fieri poſſe portendunt*; atque haud cunctanter ab eo diſciſſam Cotem ſcripsêre. Quare primùm Rex à duplicandis Centuriis abſtitit, ſed numero tantùm alterum adjecit, ut nempe mille octingenti Equites in tribus Centuriis eſſent, licèt procedentibus temporibus Centuriæ quoque fuerint geminatæ, deinde *Nævium* ipſum *æreâ Statuâ* dignatus eſt. Interim Anci filii ægrè ferentes Romæ Alienigenam regnare, quaſi iis per artes Regnum abſtuliſſet, dum electione deferebatur, ſtudebant in Regem concitare Populum, occaſione arreptâ, quòd dolo Nævium interfici juſſiſſet; neque enim Augur ille poſteà viſus eſt, rumorque percrebuerat, Regis mandato fuiſſe interemptum; & fortè nimia ejus authoritas Regi inviſa reddita erat. Ubi autem parùm is conatus ſucceſſiſſe viſus eſt, quoniam *Tarquinius* habitâ Concione nedum Populum flexerat, ſed obſequentiorem eum reddiderat, dolo, atque inſidiis eum aggredi parant, duosque nacti juvenes audaciſſimos in Regis cædem impellunt,

De Nævio Actio Augure.

De Tarquinii Regis cæde.

lunt, reiſque gerendæ modum oſtendunt. Illi, ùt erant edocti, magno tumultu, ſeque invicem convitiis laceſſentes, nec manibus temperantes, Regem adeunt, iratumque cauſas proponere jubentur; atque ita dum rem ex compoſito unus orditur, eumque Rex audit, repentè ſecuri ab altero percuſſus eſt.

De Servio Tullio.

Tanaquil autem Regis Uxor remotis arbitris Regiam claudi jubet, Regemque vivere ſimulans, Populum, qui undique confluebat, alloquitur: *ſopitum fuiſſe Regem ſubitò ictu, ferrum haud altè in corpus deſcendiſſe, jam ad ſe rediiſſe, inſpectum vulnus abſterſo cruore: omnia ſalubria eſſe. Confidere, propè diem ipſum eos viſuros. Interim Servii Tullii jubere Populum dicto audientem eſſe: eum jura redditurum, obiturumque alia Regis munia.* Ità *Servius* Ocriſiâ Servâ natus, quæ in Corniculi expugnatione prægnans inter captivas abducta, Reginæ conceſſa fuit (licèt Regii ſanguinis fuiſſe Patrem Tullium, eamque nobiliſſimam fœminam Dionyſius conjicere videatur) per ſpeciem alienæ fungendæ vicis Regnum capit, firmatque opes, & quò primùm mors Tarquinii palàm facta, ipſe alienam perſonam exuit, atque uti Rex apertè ſe gerit; *tanta eſt opportuni tempeſtiviqùe Conſilii vis*, nam cælata mors Regis & muniri Servium permiſit, & Anci filios in fugam adegit. Ille autem primus Regum fuit, qui nec *auſpicato*, nec *juſſu Populi*, ſed *Patrum* duntaxat *authoritate* regnavit. Ac proptereà ut ad paucos deliberandi Poteſtas deveniret, quos ſibi commodiùs jungere poterat, Populum aliter diſtribuere, aliaque diſcrimina, ac novos ordines inducere excogitavit, Claſſes nempe, Centuriasque, omnemque ordinem è cenſu deſumere, utque ſic è Curiatis Comitiis Centuriata fierent. Sed ut res omnis clariùs patefiat, ritèque *Servii arcanum* dignoſcatur, de Comitiis aliqua præfati opportunum judicamus.

De Comitiis Romanorum.

De Comitiis Curiatis.

Comitia ſunt *Conventus Populi univerſi ad ferendum de aliqua re ſuffragium*; nec enim ſi pars tantummodò, aut alia de cauſa conveniat, Comitia dicenda erunt; adeoque Romæ iis diebus habebantur, quibus cum Populo agere licebat, eoſque proptereà *Comitiales* nuncupabant. Hæc Romæ ſub initiis *Curiata* dicebantur, quoniam Populus in Curias diviſus ſuffragia ferebat, ità ut quod pluribus Curiis videbatur, id tandem *Populi juſſum* eſſet, & fuerunt a Romulo inſtituta; cùmque uſque ad Servii Regis tempora nulla eſſet alia Populi diviſio, niſi in Curias & Tribus, & Tributa Comitia celebrari nedum cœpta, nam primùm â Tribunisplebis anno Urbis

Urbis 263. introducta fuêre, cuncta propterea quæ ſummam Reipublicæ ſpectabant, quorumque Poteſtas apud Populum erat *Curiatis Comitiis* agebantur, debebantque *auſpicato* celebrari, iisque propterea Magiſtratus omnes creabantur, Legesque ferebantur, deque pace, & bello decernebatur, atque judicia ex provocatione exercebantur. Curias autem Preco advocabat; tum is, qui Comitia habiturus erat, rogationem ſuam exponebat, eâque auditâ quisque in ſuas Curias diſcedebat, quæ deinde eo ordine, quo exibant, ſuffragium ferebant, quæque prima exibat, *principium* dicebatur; iis autem præerat ſemper Magiſtratus, licèt aliquando Pontifex maximus etiam ea dirigeret; Magiſtratui autem vel ſorte, vel comparatione, aut conſenſu obtingere debebat. Ea verò, quibus Magiſtratus eligebantur, in Campo Martio celebrari ſolebant; pro Legibus autem ferendis, exercendisque Judiciis aliquando in Foro, aut in Capitolio celebrata. Requirebatur autem Senatûs authoritas, adeoque quòd pluribus Curiis placuiſſet, *ad Senatum referebatur*, eoque authore *jubebatur*: unde illa *Senatus cenſuit, decrevit, Populus juſſit*, ùt alibi diximus. Poſteà verò dum Plebs Poteſtatem arripuit, ea quæ ab ipſa ſciſcebantur, Populum tenebant univerſum, quæ verò Senatus decernebat nullius erant authoritatis, niſi Populus confirmaret, ùt inferiùs advertendum erit. Senatus verò retinuit morem, ut authoritatem, quam penè amiſerat, ſpecie tantùm oſtentaret, adeoque in incertum Comitiorum eventum Patres authores fiebant, promittebant nempe ratum habituros, quod Populus juſſiſſet.

Inſtitutis autem à Servio Centuriatis Comitiis, Tributisque à Tribunis, duabus tantùm de cauſis celebrari ſolebant, nempe ut Leges quædam ferrentur, atque ut Sacerdotes aliqui crearentur; adeoque ut primùm Reges ipſi, Magiſtratusque, quorum uſus erat ſub Regibus, ùt *Tribuni Celerum*, *&* *Quæſtores Ærarii*) nam de Duumviris Parricidii, ſeu Perduellionis vero ſimilius eſt, fuiſſe à Tullo Hoſtilio ſinè ſuffragio creatos) ad Servium uſque his Comitiis creabantur; ità ab eo Rege uſque ad Coriolani judicium, nempe uſque ad annum 263. minores duntaxat Magiſtratus creati fuêre, *Quæſtores* ſcilicet *Ærarii, Tribuniplebis, Ædilesplebis*, aliique, Legesque latæ, quarum prima & præcipua de Imperio erat Magiſtratibus dando, hoc eſt, de adminiſtratione Rei bellicæ, unde Camillus propter incenſam, ac dirutam Urbem Populum Vejos mi-

Digitized by Google

grare volentem alloquens; *quid alia*, inquit, *quæ auſpicato agimus omnia ferè intrà Pomerium, cui oblivioni, aut cui negligentiæ damus? Comitia curiata, quæ rem militarem continent, Comitia centuriata, quibus Conſules, Tribunosque militares creatis, ubi auſpicato niſi ubi adſolent, fieri poſſunt?* Magiſtratus autem, quibus dabatur imperium, erant *Dictatores*, *Conſules*, *Proconſules*, *Prætores*, & *Quæſtores*, qui nempe prætorio jure in Provincias mittebantur; ſed ultimis temporibus in deſuetudinem abivêre, retentaque duntaxat eorum ſpecies, auſpiciorum, ac vetuſtatis causâ, in Legibus præſertim de imperio, pro ſingulis enim Curiis Lictores 30., qui eas duntaxat convocare ſolebant, in ſuffragium ivêre; unde Gruchius adhibita etiam pòſt Centuriata in ſpeciem fuiſſe affirmavit; adeò ut binis Comitiis de majoribus Reipublicæ negotiis cum Populo ageretur; quapropter cùm Centuriatis Magiſtratus crearentur, adumbratis eosdem per triginta Lictores Curiarum Comitiis confirmari oportebat, qua de re cum Sigonio acerrimè contendit. Altera Lex etiam de Camillo ab exilio revocando his Comitiis lata fuit. Iisdem etiam arrogationes fiebant, quibus homines ſui juris in filios aſſumebantur, ſed an juſta eſſet arrogandi cauſa Pontifices agnoſcebant. Antiquiſſimis porrò temporibus etiam Teſtamenta his Comitiis condebantur, atque ea tum propriè *Kalata* nuncupabant. Congrebatur enim Populus, coramque eo hæres nuncupabatur, unde dicta fuêre impropriè *Kalata*, à verbo *Kalo*, quod vocare ſignificabat, nec enim opus erat ſuffragiis. His quoque Sacrorum deteſtationes peragebantur, quibus nempe, hæredibus, aut legatariis denunciabatur, *Sacra*, quæ hæreditatem ſequebantur, eos ſuſcipere teneri, unde apud Plautum *ſinè Sacris hæreditas*, ea nempe, quæ ſinè ullo incommodo defertur. Perlatâ autem Lege Publiliâ anno 282. quoniam minores Magiſtratus tributis Comitiis eâ Lege creari debebant, Sacerdotum tantummodo creatio, *Flamines* nempe, & *Curio maximus*, ille ſcilicet, cujus authoritate omnia *Curiarum Sacra*, & *Curiones* regebantur, his Comitiis relicta eſt, ut & Leges illæ, quas diximus, militari exceptâ, quæ ſemper ferebatur 30. tantùm Lictoribus ſuffragia ferentibus, ùt dictum eſt. Quoniam autem auſpicato debebant celebrari, ideò majores duntaxat Magiſtratus, qui auſpicia habebant, iisdem præeſſe poterant, initio ſcilicet Reipublicæ Reges, poſteà verò Conſules, Dictatores, Prætores, & Inter-Reges, licèt Sacerdotum causâ Pontifex ea dirigeret,

geret, quod tamen aliqui etiam in dubium revocârunt. Inter alias autem abolendorum fermè Comitiorum hujuſcemodi cauſas ea recenſeri præcipuè debet, quòd ab iis Comitiis excluderentur Cives omnes, qui degerent extra Urbem, nec enim qui domicilium non habebat in Urbe, in Curiam poterat referri. Unde Cives ipſi Romani in agro degentes, nedum municipes, aliique ſuffragii jure, ac Sacrorum participatione carere debebant.

Centuriata Comitia, quæ *majora* etiam nuncupabantur, tunc fiebant, *cùm Populus per Claſſium Centurias diviſus ſuffragia ferebat, adeò ut, quod pluribus Centuriis placuiſſet, juberetur*; hæc profectò Servius Tullius inſtituit, qui Populum per Claſſes, & Centurias ex Cenſu diſtribuit, ùt dictum eſt. ***De centuriatis Comitiis***

Cenſus autem *Actio publica erat, quâ Populus enumerabatur cum æſtimatione facultatum*; quare tenebantur Cives bona cum jurejurando extimare, adſcriptis ætatis annis, & Parentum nominibus, ùt & Liberorum etiam, atque Conjugum; ad hæc, quam quiſque Urbis Regionem, quem pagum incoleret, ei, qui non cenſeretur, pœnâ propoſitâ, ut bonis in Fiſcum redactis cæſus virgis ſub haſta venumdari deberet; quâ Lege cum ſcripto cunctorum numerum, & opes cognoviſſet, ex iis, qui cenſum 100000. æris, aut majorem cenſum haberent, Claſſem primam inſtituit, quam digeſſit in 80. Centurias, ex his 40. Juniorum erant, qui foris bella gererent, totidemque Seniorum, qui manerent ad Urbis cuſtodiam, hujus autem Claſſis arma erant *Clypeus, Lorica ex ære, Galeaque, Ocreæ, Tela, Haſta & Gladius*; ut & corpus tegere, & hoſtem ferire poſſent, adeoque primus eidem ſemper erat in acie locus; ſed & Livius refert, duas Senium Claſſi Fabrûm Centurias addidiſſe, quæ ſinè armis ſtipendia facerent, curarentque machinas in bello ferre. Horum autem, qui intrà 60000., & uſque ad 75000. æris poſſidebant, ſecundam conſtituit Claſſem, ex qua tum Seniorum, tum Juniorum conſcriptæ vigiuti Centuriæ, eademque arma geſtare juſſæ, nisì, quòd *Loricæ* ademptæ, & *Scuta* data pro Clypeis. Tertia Claſſis ex cenſu 50000. æris conſtituta, totidemque Centuriæ Seniorum pariter, & juniorum inſtitutæ, eademque arma præſcripta, demptis tantùm Ocreis. Quarta ex cenſu 25000. æris conſtituta, totidemque Centuriæ factæ, arma tamen *Haſta* erant, *Verutusque*. In quintam verò Claſſem rejecti ſunt, quorum cenſus 11000. æris erat, ex ea autem 30. Centuriæ pro ætatis ratione pariter diviſæ, ***De Cenſu.***

Q 2 juſſæ

juſſæ cum fundis, jaculiſque extra ordinem militare, atque in his *Accenſi Cornicines, Tibicineſque* in 3. Centurias diſtributi. Hic fuit ordo tam Legionariorum, quàm levis armaturæ Peditum; Equites verò ex Primoribus Civitatis conſcripſit, atque in 12. Centurias partitus eſt, ſexque item alias Centurias tribus ab Romulo inſtitutis addixit ſub iisdem nominibus. His ad equos emendos, alendosque pecunia ex Publico aſſignata; cæteros autem in ultimam rejecit Claſſem, qui propterea *Proletarii*, quaſi proli duntaxat procreandæ vacantes, quorum 1500. circiter aſſium Cenſus erat, & *capite cenſi* dicebantur, quorum vel nullus, vel exiguus admodum Cenſus erat, hi namque immunes militiâ, omnibusque oneribus erant, atque ità cenſu peracto Rex *Luſtrum condidit, Suem, Ovem, & Taurum* circùm Exercitum, ſeu Populum in Campo Martio congregatum ducens, iiſdem poſteà immolatis, ùt ſuprà dictum eſt; Unde *Luſtrum* à *luendo* dictum, cùm omnia tunc vectigalia à Publicanis luerentur, ſive Cenſoribus perſolverentur, quod quinto quoque anno exequebatur; hinc Luſtrum pro quinquennali tempore acceptum, ùt Olympias pro quarto, quoniam apud Græcos eo tempore celebrabatur.

Eò autem præcipuè reſpexit Tullius, ut è Populo univerſo ad ditiores duntaxat ſumma Poteſtas perveniret, adeoque tot ditiſſimorum Centurias conſtituit, mediocrium paucas, infimorum duntaxat unam fecit, licèt pauperum numerus longè excederet, ſed ille ex parvo admodum Civium numero ditiorum Centurias inſtituebat, licèt ultima omnium aliis ſimul junctis major fuerit; cùm enim juxta hunc ordinem Centuriata inſtituiſſet Comitia, Centuriæ ſingulæ ſuffragium ferre debebant, adeoque ſicut dum curiatim ſuffragia colligabantur, tantùm valebat pauperrimi, quantùm ditiſſimi calculus, iique pro inopum multitudine ſuffragiis vincerentur, ſic poſteà, cùm primæ ad ſuffragia vocari deberent maximi Censûs Centuriæ., 80., decemque & octo Equitum; hæ duntaxat, quia tribus Centuriis plures erant, quàm reliquæ, ſi propterea conſentirent, ſolæ ſuffragia ferebant, ſin minùs, ſecundæ Claſſis Centuriæ calculos inibant, quod, ſi nè tum quidem convenirent, tunc tertia vocabatur, ac deinde quarta Claſſis, aut quinta ſi opus eſſet; ultima igitur inopum Centuria tunc admitti ad ſuffragia poterat, cùm aliæ pari utrinque numero in duas Sententias abiviſſent. Sed nec reliquæ Claſſes adversùs primam, ſi con-

ſi convenirent, quidquam poterant, cùm enim illa additis Equitum, Fabrorumque in 100. eſſet diſtributa Centurias, jam reliquas ſuperabat, quibus duntaxat 93. numerabantur; *atque ità*, ut Dionyſii verbis utar, *feſellit Plebem, deceptamque amovit à tractione Reipublicæ, quoniam licèt viritim in ſuis quiſque Centuriis Sententententias rogarentur, adeoque ſe pari jure Rempublicam adminiſtrare putarent, in hoc decipiebantur, quòd non animadverterent eſſe totius Centuriæ unum ſuffragium, ſive ea paucos Cives contineret, ſive plurimos, & quòd primæ ſuffragia ferrent, quæ eſſent Censûs maximi, plures quidem cæteris, ſed minorem habentes hominum numerum; maximè verò, quòd pauperes unicum haberent ſuffragium, qui cùm multi eſſent, vocabantur ultimi.*

Quod quidem iuſtitutum æquitate quâdam temperavit, cùm propter onera, quæ maximè in ditiſſimos inclinârunt, cùm non ampliùs per Capita, ſed pro ratione Censûs tributum penderetur; tum propter militiam, à qua etiam erant immunes, adeoque ditiores ſinè ulla intermiſſione militare tenebantur, nam propter paucitatem omnes adeſſe oportebat.

Sed & alia erat horum Comitiorum utilitas; omnes enim intereſſe poterant, qui *Cives Romani* cum jure ſuffragii erant, ubicunque degerent, licèt non eſſent *optimo jure* Cives, ùt hi erant, qui nedum ſuffragii jure, ſed cæteris omnibus Civitatis Romanæ juribus fruebantur, adeoque Magiſtratus aſſequi poterant, & Sacerdotia. Habebantur autem à majoribus duntaxat Magiſtratibus, Conſulibus nempe, Prætoribus, Dictatore, Inter-rege, & etiam à Pontifice maximo; atque in iis, majores omnes Magiſtratus creabantur, Legesque ferebantur: de pace ante Tributa Comitia, deque bello ſemper agebatur, judiciumque capitale, ſeu perduellionis ex 12. Tabularum jure exercebatur, quo ità cautum erat: *De Capite Civis, niſi per maximam Comitiorum* (Comitiis nempe Centuriatis) *nè ferunto.* Cauſa ergo creandi Magiſtratus ea celebrabant Conſules, Dictator, Inter-Rex. Cauſa Leges confirmandi, & judicium exercendi Dictator, Conſules, Prætores; Prætorum autem, & Cenſorum creandi causâ à Conſulibus fiebant, ùt & cauſa creandorum Conſulum in annum ſequentem, ſi in Urbe eſſent; Dictator celebrabat causâ Legum, Judicii, & conſularis Magiſtratûs. Inter-Rex causâ creandi Conſules, ſi veteres abeſſent, & ſi res redacta eſſet ad Interregnum, quod florente Republicà tunc poterat accidere, cùm Magiſtratus omnes extra Urbem eſſent.

Prætores cauſâ duntaxat Legum & Judicii. Pontifex autem maximus ad Sacrificulum Regem creandum. Novus autem Dictator non ab alio Dictatore, ſed ab uno è Conſulibus eligebatur, Inter-Rex verò declarabatur à Patriciis. Panvinius à Cenſoribus etiam cauſâ Cenſûs, & à Magiſtro Equitum, ſi vellet ad Populum concionari, fieri ſcripſit, ſed cùm Populus tunc non coiret ad ferenda ſuffragia, *Comitia* verè dici nequibant.

Leges autem his Comitiis ferebantur ferè omnes, quæ à majoribus Magiſtratibus promulgari debebant, (quædam enim Curiatis Comitiis promulgatæ fuêre, ùt diximus) eæque opponuntur *Plebiſcitis*, quæ nempe Tributis Comitiis ſciſcebantur, ùt infrà. His ergo latæ fuêre 12. Tabularum Leges, ùt & Lex Valeria de provocatione ad Populum, aliæque.

Judicium verò *Perduellionis* diverſum erat à crimine *Majeſtatis*, quo duntaxat, qui Seditionem in Exercitu excitâſſet, aut Magiſtratui pro imperio agenti reſtitiſſet, & ſimilia, tenebatur; *perduellionis* autem nedum qui Regnum affectâſſet, aut aliquid ex quo Reſpublica detrimentum caperet, molitus eſſet, ſed & qui *Civem Romanum* quaſi externum tractâſſet, aut ſervili ſupplicio contra Leges *Porciam*, & *Semproniam* affeciſſet; cùm enim *Jus Civitatis* penes Populum eſſet, dum hoc aliquâ ratione violari contigiſſet, meritò Populi judicio reſervatum erat. Ea autem celebrari nequibant, nisì priùs ritè intrà Pomærium captis auſpiciis, unde ſi *eſſet obnunciatum*, infauſtis nempe ſignis de cœlo nunciatis, in alium diem rejici oportebat, quæ tamen procedentibus temporibus in deſuetudinem abivêre, retentâ quâdam duntaxat imagine Religionis cauſâ. Priſcis autem temporibus nedum maximâ Religione cuſtodiebantur, ſed adeò ad Rempublicam erant accommodata, ut ſua potiſſimùm incrementa inde orta videantur; patet enim exemplo Caji Figuli, & Scipionis Naſicæ, qui, cùm eſſent Conſules creati ſub Tiberio Graccho, renunciârunt Augures, vitium adſuiſſe, dum illi crearentur; Gracchus tamen eos aſpernatus tanquam inſanos, meminit, cùm eſſet profectus in Provinciam, Tabernaculum in Comitiis centuriatis extrà Urbem quidem, ſed intrà Pomærium poſuiſſe, quod ritu, Ceremoniiſque Sacrorum vetabatur; quâ re Augurum Collegio ſignificatâ, atque ab eo Senatui detectâ, cenſuit Senatus, Conſules Magiſtratum deponere debere, unde ambo Romam reverſi ſunt, Cajus Figulus ex Gallia, Scipio

Scipio verò Naſica ex Corſica; cùm enim præcipuè iis uterentur in Conſularibus Comitiis, dumque Exercitus ducerent, aut manus cum hoſte conſererent, vel Urbes obſiderent, atque in omni maximo Reipublicæ negotio, Legibus cautum erat, ut Magiſtratus & *inſpiceret*, & *nunciaret* auguria, cùm *Augur* tantùm *inſpicere* deberet, ùt patet ex Lege Ælia, quâ etiam Magiſtratus intercedere poſſe jubebatur, nè Populus ſuffragia daret; quare ſicut Reipublicæ expedire videbatur fauſta ſigna Magiſtratus *nunciabat*, *obnunciabatque*; adeoque cùm Papirius occaſionem rei bene gerendæ cerneret, ſi cum Samnitibus manus conſereret, altercatione inter *Pullarios* ortâ de *auſpicio*, eidemque à Fratris Filio Spurio Papirio nunciatâ, reſpondit: *Tu quidem macte virtute, diligentiâque eſto: cæterum, qui auſpicio adeſt, ſi quid falſi nunciat, in ſemetipſum Religionem recipit, mihi quidem Tripudium nunciatum Populo Romano, Exercituique egregium auſpicium eſt*; Pullarioſque inter prima ſigna conſtituit, cumque cecidiſſet is, qui falſum auſpicium fuiſſe detexerat, ſtatim Conſul, *Dii in prælio ſunt*, inquit: *habet pœnam noxium caput*; quapropter cùm Publius Claudius Pulcher primo bello Punico auſpicium neglexiſſet, *Pullarioque* reſpondiſſet, ut *pullos*, qui edere nolebant, in mare abjiceret ad bibendum, amiſſæ Claſſis cauſa ad neglectum Religionis, nè milites animum deſponderent, relata fuit, Romæque Conſul damnatus. Primus autem Clodius Tribunusplebis Legem tulit, *nè auſpicia valerent, ne quis obnunciaret, nè quis Legi intercederet, ut omnibus diebus faſtis Legem ferre liceret, nè Leges Ælia, & Fuſia valerent*; unde causâ Legum ſublata fuêre; in Comitiis autem *cauſa Magiſtratuum* duntaxat imago relicta fuit, nam *Candidati* ſimul cum Augure matutino tempore procedebant, ibique precabantur, poſt quas preces pronunciabat Augur, Fulgur è ſiniſtris apparuiſſe, licèt nullum vidiſſet, acceptoque omine *Candidati* Magiſtratum ſuſcipiebant.

Cùm autem Populus in *Centurias* diſceſſiſſet, *ſortitio* inſtituebatur, quæque primâ ſorte exibat, *prærogativa* dicebatur, atque per Ponticulos quoſdam à Magiſtratibus vocata in *Septum*, ſeu *Ovile* tranſibat, locum nempe in Campo Martio Cancellis clauſum, eamque aliæ ſequebantur, voceque ſuffragia ferebant ante annum Urbis 614.; poſteà verò Lege *Gabiniâ*, & *Caſſiâ*, ùt & *Cæliâ*, atque *Papiriâ* plùs libertatis Populo datum in ferendis ſuffragiis; ea namque dabantur in Tabellis, quare cùm ad Ponticulos venirent, *Diribito-*

ribitores ſingulis Tabellas dabant, in quibus, ſi Magiſtratus creari deberent, inſcripta erant *Candidatorum* nomina; ſi autem Leges ferendæ, in altera Literæ *U. R. uti*, ſcilicet, *rogas*; in altera *A.*, hoc eſt *Antiquo.* Si judicium exercebatur, tres dabantur Tabellæ, quarum altera eandem habebat Literam *A.* hoc eſt, *Abſolvo*, altera verò literam *C.* id eſt *Condemno.* In tertia, Literæ *N. L.* hoc eſt, *Non liquet.* Cùm autem in *Septum* intrarent, erant in oſtio *Rogatores*, qui Tabellas repoſcebant, *Ciſtam* habentes, in eamque quisque quam vellet, conjiciebat. Tum Cuſtodes eas educebant, punctisque in alia Tabella notatis, ſingulorum numerabant Sententias, quodque pluribus placuiſſet, Preco pro ſuffragio pronunciabat, dimiſsâque *Prærogativâ*, ſequentes vocabantur Centuriæ, dictæ propterea *jure vocatæ*, ſicque fiebat, donec major Centuriarum numerus in eandem iret Sententiam. Quod ſi paria unius Centuriæ puncta numerarentur, nullum erat ejus ſuffragium, præter Comitia judiciorum, in quibus ad reos abſolvendos paritas ipſa ſufficiens erat.

Hæc autem Comitia, ùt etiam *Tributa*, uſque ad Julii Cæſaris tempora manſère, qui tamen excepto Conſulatu pro cæteris Magiſtratibus dimidium *Candidatorum* numerum Populo pronunciare permiſit, aliis verò ipſe dabat. Ac licèt ab Auguſto libertas Comitiorum videretur æqualiter reſtituta, Tiberius tamen penitùs neglexit, tunc enim *è Campo*, Tacitus inquit, *Comitia ad Patres translata ſunt, nam ad eam diem, & ſi potiſſima arbitrio Principis, quædam tamen ſtudiis Tribuum fiebant. Neque Populus ademptum jus queſtus eſt niſi inani rumore: Et Senatus largitionibus, ac precibus ſordidis exſolutus libens tenuit, moderante Tiberio, nè plures quàm 4. Candidatos commendaret, ſinè repulſa & ambitu deſignandos.*

De Tributis Comitiis.

Comitia autem *Tributa*, quæ potiùs *Concilia*, ſeu *Populi Cætus* nuncupantur, cùm ex Plebe ſolummodò conſtarent, illa erant, *quibus Cives Romani ſuffragia dabant ſecundùm Tribus, in quibus ſcripti fuerant, ſeu cùm ſuffragium ferebatur ex Regionibus, & locis*; partes enim Urbis, & Agri, locis, Regionibusque diſtinctæ *Tribus* erant, habueruntque originem à Spurio Sicinio Tribunoplebis, cùm enim prohiberetur à Conſulibus ad Populum concionari, ùt infrà videbimus, die ſequenti deſcendit in forum, occupatâque Vulcani æde Concionem habuit ad Plebem propoſitâ Lege: *concionanti ad Populum Tribuno nemo aliquid in contrarium dicito, nec dicentem interpella-*

ro:

to : ſi quis contra hæc fecerit, datis Vadibus pœnam ſolvet, quantam Tribunis viſum erit, qui Vades non dederit, necetur, bonaque ejus ſacra ſunto.

Propriè autem habita ſunt altero poſt creatos Tribunosplebis anno, Urbis verò 563. nam ea fuit duntaxat *Concio*, quâ tamen Lex illa lata fuit, Tribunique arripuêre poteſtatem ad Populum ferendi quæ vellent, licèt non adhuc inconſulto Senatu; eo autem tempore Cajum Martium Coriolanum infenſum Plebi hominem, in judicium vocârunt Tribuni, diemque dixerunt juſſis Civibus omnibus adeſſe, ille namque frumentum è Sicilia advectum in magna annonæ caritate nè Plebi divideretur, enixè in Senatu contenderat; cùm autem omnes ſtato tempore adeſſent, Populus *Tributis Comitiis* viritim ſuffragia tulit, multum reclâmantibus Patriciis, qui *Centuriata* malebant, *Tributis* enim quisque ſuffragia dabat, æquèque valebant tum pauperum, tum divitum ſententiæ, atque primùm in Republica Plebi acceſſit potentia, ùt infrà dicemus. Cùm autem ille dictâ die non adeſſet, damnatus perpetuo exilio abiit in Volſcos. Latâ poſteà Lege Publiliâ, ut ſcilicet minores Magiſtratus *Tributis Comitiis* fierent, anno nempe Urbis 282. Letorio & Volerone Tribunis, magis frequentia fuêre, & pro *Curiatis* illa ſemper habebantur; ut ergo iis Comitiis de re quâpiam in Senatu priùs agitata ſuffragia curiatim auſpicato colligebantur, ac nisì Aves *addixiſſent*, irrita erant; ità nec auſpicato, nec conſulto Senatu uno die Comitia iſta peragebantur à Tribulibus; plebeji enim Magiſtratus auſpicia non habebant; ac licèt poſt annum 304. exactis Decemviris *auſpicia* etiam Tribuniplebis haberent, ea tamen non inſpectione Avium capiebantur, ſed quia *de cœlo ſervabant.* Aucti quidem Tribuni auſpiciorum honore, ſed occultè libertate imminutâ, nè ſcilicet agerent quæcùnque vellent, ſed aliquando auſpiciis impedirentur.

Habebantur autem ab utroque genere Magiſtratuum; majores enim & minores præeſſe poterant; Conſules ea peragebant, ſi minores Magiſtratus creari deberent, Plebis duntaxat Tribunis, ac plebejis Ædilibus exceptis; unde cæteri omnes, ut nempe *Ædiles Curules, Quæſtores, Triumviri Capitales, Nocturni, Monetales, Tribuni Militum Comitiati*, (licèt hi non ſint inter Urbanos Magiſtratus referendi) ùt & *Urbani minores extraordinarii, Præfecti* nempe *Annonæ, Duumviri Navales, Quæſtores Parricidii, Curatores Viarum, &c.* Magiſtra-

giſtratus quoque Provinciales, cùm ordinarii ùt *Pro-Conſules*, *Pro-Prætores*, *& Pro-Quæſtores*; tum extrâ ordinem, ùt *Triumviri*, vel *Quinqueviri Coloniarum deducendarum*, vel *Agrorum dividendorum* causâ creati his Comitiis, à Conſulibus, ſeu à Dictatore, Tribunisque militum conſulari Poteſtate habitis vocabantur. A' Tribunisplebis autem habebantur causâ *Tribunorum*, ac *Ædilium Plebis*. Sed & *Sacerdotes* his Comitiis creabantur, licèt ante Legem Domitiam latam anno Urbis 650. ſolus Pontifex maximus fiebat, cùm Sacerdotes reliqui à Collegiis cooptari deberent; poſteâ verò non tantùm Pontifices omnes, ſed Augures etiam, Fæciales, Septemviri Epulonum, & Quindecimviri Sacris faciundis hiſce Comitiis creabantur. Sacerdotum autem causâ ea duntaxat *Conſul* habebat; Legum verò, quæ his Comitiis ferebantur, ùt & Judiciorum, quæ Populus exercebat, (quibus nempe mulcta irrogabatur, aut exilio Cives damnabantur, nam *Capitis judicium Centuriatis Comitiis* exercebatur, ùt dictum eſt) cùm Conſules, tum Prætores, Tribunique plebis præerant, his namque *Plebiſcita* ſciſcebantur, Triumphi dies in Urbe decernebatur, jus dabatur Civitatis, fœdera cum hoſtibus feriebantur, legibus etiam aliqui ſolvebantur, deque publicis quæſtionibus cuſtodiendis agebatur.

Is autem, qui Comitia habiturus erat, Comitiorum diem edicebat poſt trinundinum, ſeu tres nundinas, dies nempe 28. ut Cives extra Urbem, atque in Agro degentes adeſſe poſſent, vel ſi Legibus ferendis Comitia eſſent, nundinis à Latore Legis recitabatur, ſuadebaturque habitâ ab alio Oratione; quique ſuadebat, Legis Author dicebatur. Interdum autem nec trinundinum expectabatur, ſtatimque poſt Edictum habebantur Comitia, ſi neceſſitas urgeret; tunc autem fiebant Edicta per *Viatores*, *Lictoresque*, aut *Cornicines*, qui Plebem vocabant Cornu bubulo. Locus autem Comitiorum erat, dum Magiſtratus creabantur, in Campo Martio; dum autem Leges ferri, Judiciaque exerceri debebant, tum in Foro, tum in Capitolio, atque omnes intererant, qui jus ſuffragii habebant, hocque cum *Centuriatis Comitiis* commune erat. Illud autem Tributorum erat peculiare, ſi Sacerdotes creandi eſſent, quod nec omnes Tribus in ſuffragium irent, ſed Lege Domitiâ 17. duntaxat ſorte legabantur, quique propterea à 9. Tribubus renunciabatur, Sacerdotium obtinebat. Habebantur autem pro Magiſtratibus ad Kalendas Sextiles: pro Sacerdotibus,

cùm

cùm in locum defunctorum alii eſſent ſubrogandi; reliqua verò Comitialibus diebus agebantur. Conſulatu autem Lucii Valerii, & Marci Horatii *centuriatis etiam Comitiis* æquata fuêre, atque propterea Poteſtas ferè omnis ad Plebem translata fuit, latâ Lege, ut quod *Tributis Comitiis* ſanciretur, univerſos Cives teneret, acſi *Centuriatis* juſſum eſſet; ſed, ùt cætera, Tiberii tempore deſiêrunt.

De cæteris Servii Tullii Inſtitutis.

Servius autem luſtrato, ùt diximus, Populo, numerum cenſuit 85000. minùs 300. adeò creverat Romana Urbs Finitimarum Civitatum ruinis, externorumque adventu; cùm Romulus 3000. tantùm, dum Urbem condidit, numeràſſet. Sed ut magis augeret Civium numerum, *jus* etiam *Civitatis* conceſſit manumiſſis Servis, qui Romæ manere vellent, adeoque juſſit bona cum ingenuis in Cenſum referre, atque in 4. urbanas Tribus diſtribuit, admiſitque ad Plebeiorum munia; Judicia quoque privatarum litium, cognitionemque criminum præter ea, quæ ad Rempublicam pertinerent, Magiſtratibus permiſit, Legesque ac Regulas præſcripſit, quas in judiciis ſequerentur, unde Tacitus: *Nobis*, inquit, *Romulus*, ùt libitum imperitaverat, *dein Numa Religionibus, & Divino jure Populum devinxit, repertaque quædam à Tullo & Anco. Sed præcipuus Servius Tullius Sanctor Legum fuit, queîs etiam Reges obtemperarent, Leges ſcilicet civiles de injuriis, Commerciis, Contractibus, aliisque, è quibus Jus civile Romanorum primò conflatum eſt*; cujus fundamentum non ſimplex ratio, ſed cum ejus Gentis indole, inclinatione, moribus, & utilitate comparata. Traditque Plinius lib. 33. cap. 3. eundem æs quoque primùm ſignâſſe.

Urbem quoque ampliavit *Viminali ac Quirinali* collibus additis, aggere quoque, foſſis & muro circumdedit; itaque Pomærium protulit. *Quod*, ùt Livius inquit, *verbi vim ſolam intuentes poſt Mœnium interpretantur eſſe. Eſt autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Hetruſci, quà murum ducturi erant, certis circaterminis inauguratò conſecrabant, ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc Vulgo etiam conjungunt, & extrinſecus aliquid ab humano cultu pateret ſoli. Hoc ſpatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis, quod poſt murum eſſet, quàm quod murus poſt id, Pomærium Romani appellàrunt, & in urbis incremento ſemper quantùm mœnia proceſſura erant, tantùm termini conſecrati proferebantur.* Auctâ Civitate magnitudine Urbis formatis omnibus ad belli, & ad pacis uſus, nè ſemper armis opes acquirerentur,

conſilio augere imperium conatus eſt, ſimul & aliquod addere Urbi decus; excogitavit igitur Templum commune Populorum Romæ facere, ut veluti Confeſſio eſſet, *Caput rerum Romam eſſe*, ac quemadmodum Græci *Amphicthyonico fœdere* continebantur, amicitiamque colebant, Templumque commune *Dianæ Epheſiæ* habebant, quò convenirent, conſiliumque caperent cùm de bello gerendo, paceque, aut fœderibus ineundis, cæteriſque negotiis publicis, tum ut mutuæ Gentis concordiæ conſuleretur; ità Latinorum Populi Romæ, ubi *Principatus erat*, quotannis convenirent, privatimque ſimul & publicè Sacra facerent, & ſi quæ offenſa Populis incideret, inter Sacra Deorum conciliarentur ex aliorum arbitrio; conſtructum igitur fuit in Aventino Templum communi pecuniâ, conſcriptæque Leges fœderis Civitatibus, ritusque celebrandi feſti, atque fori conſtituti, Decretaque Concilii in ærea Columna inciſa, ùt & Civitates ejus Conventus participes.

De cæde Servii Tullii.

Sed erant Tarquinii Priſci Nepotes *Aruns, & Lucius*, quibus junxerat Tullius filias ex uxore Tarquinia, utrique moribus diſſimiles nacti. Lucius natu major audax, dominandi cupidus, ſceleſtusque piam habuit uxorem, Aruns autem improbam, infenſam Patri, nihilque non auſuram fœminam, ità ex ingeniorum ſimilitudine arctiſſimum amicitiæ vinculum Lucium inter & Tulliam erat, & cupido Regni jura omnia violare adegit; deliberant enim uxorem alter, altera virum è medio tollere, inceſtaſque ipſi contrahere nuptias: res ad effectum perducitur, jamque majus ſcelus parant nefaria ingenia; cùm enim ſeditiones, quas concitaverat, prætextu, quòd Servius injuſſu Populi regnaret, parùm profeciſſe animadverteret, nam ille conciliatâ priùs voluntate Plebis, Agroque capto ex hoſtibus viritim diviſo tulit ad Populum, *vellet, juberetne ſe regnare, Populusque juſſit*, criminationibus apud Patres priùs infenſum reddidit, poſteà verò ſtipatus armatorum agmine, in forum irrumpere deliberavit, atque in Regia Sede pro Curia inſidens, Patres per Preconem advocari fecit, jam ſe Regem ferens; cumque Servius concionantem inveniſſet, illique exprobrâſſet, *quid hoc Tarquini res eſt? quâ tu audaciâ me vivo vocare auſus es Patres? aut in ſede conſidere mea?* Clamore orto Tarquinius medium arripit Servium, atque elatum è Curia in inferiorem partem per gradus dejicit, ac denuò Senatum cogit, cumque Servius propè exſanguis domum ſe recipere tentaret, *Filiæ Tulliæ* admonitu miſſi, qui interfi-

terficerent, ea namque Carpento in forum invecta, *Tarquinium* prima *Regem* appellavit, eumque allocuta eſt, *non aliter ſibi firmum Regnum eſſe quàm ſublato Tullio*; domum poſteà cùm reverteretur, per Patris cadaver Carpentum egiſſe fertur, cùm enim anguſto Vico fœdum illud ſpectaculum Aurigæ occurriſſet, reflexit in Dominam, quæ irata, *non ages*, inquit, *ſceleſte jumenta vel per mortuum*, atque ex eo tempore vicus ille, *Cyprius* tum dictus, *ſceleſtus* nuncupari cœpit. Hocque immane Tragici ſceleris exemplum tulit Romana Regia, ut ultimum Regnum eſſet, quod inhumano ſcelere partum foret, Atque hic finis Servii fuit, poſtquàm annos 44. regnâſſet, cumque eo ſimul *juſtum*, ac *legitimum Regnum* occidit.

De Tarquinii Superbi Tyrannide.

Quid autem in Tarquinii Principatu niſi Tyranidis arcana nefaria, eâque illa Acroâmata, quibus jam diximus, Tyrannos ſuam firmare potentiam, advertemus? Ille namque poſtquàm immani flagitio Regnum invaſit, cùm Populi juſſa, tum Patrum authoritatem, auſpiciaque negligens, primus externo milite ſtipatus inceſſit, ſpeculatoresque adhibuit, nedum ut facta dictaque Civium noſceret, ſed ut eorum capiti, ac fortunis inſidiaretur. Delati enim videbantur Cives, qui Tarquinio inviſi, ſuſpectique erant, quorum ille alios morte damnabat, alios exilio, eorumque bona occupabat, quorum largitionibus fidos ſibi parabat amicos, adeòque cognitiones capitalium rerum, ùt & cætera Reipublicæ negotia ſolus ipſe exercuit; quare Patrum, qui Servio favebant, numerum ſuſtulit, nec alios in eorum locum ſuffecit, Senatumque ipſum omninò delevit; inſidiis quoque utebatur, clàm enim Primores etiam aliqui interfecti, quorum nec cadavera uſquam reperta fuêre: Collegia, Cœtusque omnes Curialium, Vicinorum, Paganorum, aliorumque Ordinum, Sacrorum causâ, aliave cùm in Urbe, tum in Agro diſſolvit. Leges à Tullio ſcriptas abrogavit, ac nè ipſarum quidem Tabulas reliquit, eumque ſepulturâ prohibuit, nè, ſi per forum funus duceretur regiâ pompâ, ſolemnibusque Ceremoniis, Populus commoveretur. Ac nè egenam turbam in otio vivere ſineret, maximâ inchoavit operâ, Circum namque maximum, in quo gradus duntaxat inſpiciebantur tectis porticibus circumdare aggreſſus eſt, Cloacasque à Priſco inchoatas uſque ad Fluvium perducere. Cæterum ùt externis etiam auxiliis potentiam retineret, Octavio Mamilio Tuſculano Latini nominis Principi, qui ab *Ulyſſe*, *Circeque Dea* ducere originem credebatur, filiam

nuptui

Digitized by Google

nuptui dedit, perque eum Latinos Proceres Reſpublicas tractantes ſibi conciliavit; tunc autem, ut bellis etiam Rempublicam implicaret, Sabinos aggredi ſtatuit, occaſione ſumptâ, quòd fœdus cum Tullio ictum renovare nollent, illudque putabant diſſolutum. Indicto igitur Latinorum in Luco Ferentinæ Concilio, ut eos in Societatem belli gerendi pertraheret, cùm cæteri adveniſſent, Tarquinius licèt diem ſervaverit, ſerò tamen, atque occidente penè Sole comparuit; inde à Turno Octavii Mamilii Æmulo acerbè criminatus, quaſi Latinum nomen ludificâſſet; cumque ut ſequenti die objecta purgaret crimina, ſuaſiſſent amici: ille non *crimina diluenda, ſed accuſatorem è medio tollendum* reſpondit, atque *ad dolos* ſe vertit, corrupto enim Turni Servo, ut in ejus diverſorium magnam gladiorum copiam inferret, adegit, diſſeruitque in Concilio moram externam Deorum quâdam providentiâ illatam, ſaluti ſibi, atque illis fuiſſe, necemque ſibi, & Primoribus à Turno parari oſtendit, *ingens ad hac gladiorum numerus comparatus, ſtructaque inſidiæ, quas niſi antevertant, periculum imminere docet.* Ità commoti omnes accurrunt ad Turnum alto ſopitum ſomno, gladiiſque inventis fides Tarquinio datur, quare catenis vinctum indictâ causâ novo genere lethi dejiciunt ad caput aquæ Ferentinæ, & Crate supernè injectâ, ſaxiſque congeſtis mergunt. Suadet poſteà Latinis fœdus renovare, quo Sedes Imperii Roma agnoſcebatur, ut ejus potiùs fortunâ fruerentur, quàm vaſtationes agrorum, atque Urbium excidia exſpectarent; quare Princeps Latinorum novo fœdere in Columnas inciſo, ac Jurejurando firmato declaratur, & ille, ut *Regias inciperet præſeferre virtutes*, Societate cum Hernicis initâ, atque cum aliqua Volſcorum Gente, ut ſempiternum fœdus eſſet, commune Populorum Fanum Jovi Latiali in Monte alto, qui Albanis imminebat, exſtruxit, ut ibi quotannis Univerſi Sacra facerent, & Convivia celebrarent, unde Latinorum Feriæ proceſsêre; Volſcos deinde aggreſſus, qui fœdus inire noluerant, Sueſſam pometiam vi cœpit, pacem cum Æquis fecit, novumque fœdus cum Tuſcis ſanxit; Gabios quoque ſed dolo ſuperavit, Sextum enim filium inſtruxit, ut ſe transfugam ſimularet, Gabioſque adiret, Patriſque intolerabilem ſævitiam conquereretur. Ille, conſiliis optimè ad rem perductis, adeò Gabios decepit, ut nedum fidem adhiberent, ſed imò Ducem adversùm Romanos facerent, peſſimo conſilio, cum *iis ſemper utendum, ut prodeſſe quidem va-*

leant,

leant, nocere verò nec ſi velint, poſſint; tunc autem Patrem denuò conſulit, quid facturus ſit, ille haud ſatis fidens Nuntio, in hortum Ædium tranſiit, ubi nil ei reſpondens, baculo tantùm ſumma papaverum capita decuſſit; quod cùm Nuntius, quem diligentiſſimè interrogaverat, retuliſſet, ſtatim quò tenderet Patris voluntas, agnovit, adeoque variis artibus Primores Gabiorum è medio ſuſtulit, eorumque bona diſtribuit, ipsâque prædâ dulcedine commodi malorum publicorum ſenſus ademit, donec, ùt Livius loquitur, *orba conſilio auxilioque Gabina res Regi Romano ſinè ulla dimicatione in manus traditur.*

Inde ut Religionis, ac auguſtiſſimi Templi prætextu Arcem ſibi excitaret, Capitolium, quod Priſcus voverat, exſtruere aggreſſus eſt, de quo priùs diximus, nec ſinè *auſpicio*; humanum enim caput calido etiam recentique manans ſanguine foſſores invenêre, quod Tarquinius in prodigium vertit, eo nempe Romam Caput rerum fore portendi, unde Capitolium appellatur; ità Plebs minùs gravabatur Templa Deûm exſtruens, nec in otio relinquebatur. Quare ſi hominis ingenium ritè advertamus, Tyrannorum quotquot artes fuêre ſolus exercuit, imò ſupergreſſus eſt, eas autem enumerârunt tum Ariſtoteles, tum Divus Thomas (*a*) his verbis: *Ad ſalvationem Tyrannidis expedit excellentes in potentia, vel divitiis interficere, quia tales per potentiam, quam habent, poſſunt inſurgere contra Tyrannum.* Iterum: *expedit interficere Sapientes, tales enim per ſuam ſapientiam poſſunt invenire vias ad expellendam Tyrannidem, nec Scholas, nec alias Congregationes, per quas contingit vacare circa Sapientiam, permittendum eſt; Sapientes enim ad magna inclinantur, & ideò magnanimi ſunt, & tales de facili inſurgunt. Ad ſalvandam Tyrannidem oportet, quod Tyrannus procuret, ut Subditi imponant ſibi invicem crimina, & turbent ſe ipſos, ut amicus amicum, & Populus contra Divites, & Divites inter ſe diſſentiant. Sic enim minùs poterunt inſurgere propter eorum diviſionem; oportet Subditos etiam facere pauperes, ſic enim minùs poterunt inſurgere contra Tyrannum. Procuranda ſunt Vectigalia, hoc eſt exactiones multæ & magnæ, ſic enim citò poterunt depauperari Subditi. Tyrannus debet procurare bella inter Subditos, vel etiam ad extraneos, ità ut non poſſint vacare ad aliquid tractandum contra*

(*a*) *In Commentar. Politicor. lect.* 11.

tra Tyrannum. Regnum ſalvatur per amicos : Tyrannus autem ad ſalvandam Tyrannidem non debet confidere in Amicis.

Et lect. 12. *Expedit*, inquit, *Tyranno ad ſalvandam Tyrannidem, quòd non appareat Subditis ſævus, ſeu crudelis, nam ſi appareat ſævus, reddit ſe odioſum. Ex hoc autem faciliùs inſurgunt in eum. Sed debet ſe reddere reverendum propter excellentiam alicujus boni excellentis; Reverentia enim debetur bono excellenti, & ſi non habeat illud bonum excellens, debet ſimulare ſe habere illud. Tyrannus debet ſe reddere talem, ut videatur Subditis ipſum excellere in aliquo bono excellenti, in quo ipſi deficiunt, ex quo eum revereantur. Si non habeat virtutes ſecundùm veritatem, faciat ut opinentur ipſum habere eas. Tyrannus debet aut moderatus eſſe circa voluptates, aut delectationes corporales; aut ſi non ſit, talem ſe debet exhibere, ut videatur fugere eas.*

Quare cùm flagitia ipſa in Authoris ſupplicium vertantur, quis profectò Tyrannum mortalium omnium infeliciſſimum non exiſtimaverit? meritò igitur, ut Taciti verbis utar, *præſtantiſſimus Sapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorum mentes poſſe aſpici laniatus & ictus; quando ùt corpora verberibus, ità ſævitia libidine, malis conſultis animus dilaceretur.*

Sed exitum ſpectemus; jam enim incipiunt tormenta pectoris, anxiæque curæ: Anguis fortè ex Columna lignea prorumpit in Regiam, eo ùt portento exterritus Tarquinius Delphos ad Oraculum duos filios per ignotas eâ tempeſtate terras, ignoti ora maris mittit; iis comitem addit Lucium Junium Brutum ex Sorore Nepotem. Ille verò cùm Primores Civitatis, interque eos Fratrem ſuum à Tarquinio interfectos vidiſſet, ſtatuit ex ignavia ſalutem ſibi comparare, unde pro ſtulto ex induſtria haberi voluit, ac propterea Bruti cognomen habuit; quare ludibrium meliùs quàm comitem dixeris; cùm pervenêre, quærunt etiam Regii Juvenes, uter illorum regnaturus eſſet; reſponſumque datum: *Imperium ſummum Romæ habebit, qui veſtrûm primus oſculum matri tulerit.* Illi autem Oraculum ad literam interpretati, quis primus oſculum matri daret, ſorte definiunt. Brutus velut prolapſus Terram oſculatur tanquam omnium matrem. Romam reverſi, ubi adversùs Rutulos bellum ſummâ vi parabatur, Ardeam namque Rex expugnare in animum induxerat, nullaque alia de cauſa, niſi quia divitiis præpollebat, nedum ut prædâ deliniret Popularium animos, ſed ut exhauſtum publicorum operum magnificentiâ

De L. Junio Bruto.

centiâ Ærarium impleret. Cùmque Urbs obſideretur, licentiùs agebant Regii Juvenes, conviviis, comeſſationibusque vacantes; Ortâ inde ex animi levitate contentione de uxorum præſtantia, cùm mero incaluiſſent, præſentes eorum ingenia cognoſcere deliberant, Romamque priùs advolant, ubi Regias Nurus conviviis, luxuque diffluentes inveniunt: pergunt inde Collatiam, quò Tarquinius Ægerii, qui Priſci frater fuerat, filius imperitabat, uxorem Lucretiam inveniunt in medio lucubrantium ancillarum ſedentem, ſeque lanificiis exercentem; quare penes eam certaminis muliebris victoria; hinc dira Sextum Tarquinium libido ſtuprandæ Lucretiæ invaſit, atque è Caſtris remotis arbitris Collatiam denuò pergit, comiterque exceptus, ſummâ nocte ex hoſpitali cubiculo ad Lucretiam dormientem pergit, vanaque omnia expertus ad flectendum animum, callidum excogitat conſilium, fateturque ſervum ſe apud eam jugulaturum, ut in ſordido adulterio necata diceretur; ità deſpondet animum Lucretia, expugnatâque pudicitiâ victor diſcedit Sextus. Sed illa repentè advocat è Caſtris Patrem, Virumque, utque cum ſingulis fidelibus amicis veniant, orat. Comites hinc accepti Publius Valerius, illeque Brutus. Mœſta Lucretia lachrymis obortis rem exponit, nec ſolari paſſa, hæc extrema profatur verba: *Vos videritis, quid illi debeatur: ego me etſi peccato abſolvo, ſupplicio non libero, nec ulla deinde impudica Lucretiæ exemplo vivet;* ſtatimque diſpoſitum cultrum in corde defigit. Tunc primùm Brutus alienam Perſonam exuit, extractumque cultrum manu tenens, ad Patrem, Virumque luctu occupatos reverſus: *per hunc*, inquit, *caſtiſſimum ante Regiam injuriam ſanguinem juro, Vosque alios teſtes facio, me Lucium Tarquinium Superbum cum ſcelerata Conjuge, & omni liberorum ſtirpe, ferro, igne, quâcunque dehinc vi poſſim exacturum, nec illos, nec alium quenquam regnare Romæ paſſurum.* Mores namque Superbi cognomen dederant, ùt graviter Latinus Pacatus in Panegyrico ad Theodoſium Imperatorem: *Arrogantiæ quidem*, inquit, *ità Majores noſtros ſemper pertæſum eſt, ut graviorem ſemper putaverint ſervitute contemptum, ejusque impatientiâ ſint coacti poſt bellatores Tullos, Numasque Sacrificos, & Romulos Conditores Regnum uſque ad nomen odiſſe. Denique ipſum Tarquinium execratione poſtremâ hoc damnaverunt maledicto, & hominem libidine præcipitem, avaritiâ cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem vocavêre Superbum, & putaverunt ſufficere convitium.*

De uxorio Regiorum Juvenũ certamine.

De Sexti Tarquinii ſcelere, & Lucretiæ obitu.

De L. Junii Bruti juramento.

De Converſione Civitatis.

Hic erat Rei Romanæ Status, cùm Brutus ille tempus adveniſſe ratus, quo Romam Tyrannide liberaret, muliebriter flentes objurgat, docetque, quid de Republica fieri oporteret; videns enim vel ſolum Lucretiæ cadaver efficaciſſimæ Orationis pondus habere, jubet in forum deferri, ubi accurrente Populo, attonitoque novo, ac miſerando ſpectaculo, graviter ille concionatur, cunctaque exponit Tarquinii ſcelera; cùmque in furorem Populum vertiſſet Tyranni odio, juramento adigit, ſibi ad Tarquinium ejiciendum auxilio eſſe. Claudi interim portas juſſerat, nè aliquid ad Tarquinium deferretur. His rebus Collatiæ geſtis, Romam advolat armatum agmen Bruto Duce, in forum etiam Populus per Preconem ad Tribunum Celerum advocatur (erat tum fortè Brutus ipſe in Magiſtratu, quare eidem Poteſtas in Comitium Populum vocandi à Rege ùt fatuo conceſſa.) Ille ut Lege agere videretur, legitimè convocato Populo, denuò Tarquinii ſcelera commemorat, quæque Collatiæ geſta ſint docet, ſuffragiaque ferre jubet de Imperio Regis abrogando, deque nova Reipublicæ forma conſtituenda. Bruto concionanti acclamatum eſt ad ſingula; tum ille *curiatim* jubet ferri ſuffragia, cùmque Curiarum omnium calculis Regis cum Conjuge, ac liberis exilium *juberetur*, juraretque Populus, *Regem* non ampliùs Romæ *paſſurum*, ùt potuit, Senatûs authoritate more majorum *Populi juſſum* confirmari fecit, Patriciorum nempe Sententiâ, qui eum Ducem ſequebantur; tunc Inter-Regem dixit Sp. Lucretium Tricipitinum Lucretiæ Patrem, ut priſcam Reipublicæ formam reſtituere videretur, atque ità alacriorem redderet Populum; Inter-Rex verò ſtatim jubet adeſſe armatos in Campum Martium, ut *Centuriata Comitia* celebrarent, nominatoque *Bruto*, & *Collatino*, quibus par *Regi* Poteſtas conferretur, *Populus ratum habuit*. Species tantùm *Comitiorum* erat, ut ſicuti res ferebat, videretur *jure* agere, atque Populum libertatis initia ſentientem ad eam amplectendam magis inflammaret; tunc literis res geſtas Exercitum docet univerſum, ſuadetque, ut *legitimè jubenti Populo* morem gerat; cùm intereà Tarquinius certior eorum, quæ agerentur, factus, Romam cum fidiſſimis properat, ut defectionem impediret; ſed jam armato milite Conſules murum impleverant, Portaſque cuſtodiri juſſerant; ità ſpe fruſtratus redit ad Exercitum, qui jam *Populo* obtemperandum ratus, *Regem agnoſcere* detrectavit; quare fugâ cum duobus liberis ſibi conſulere coactus,

Cæteræ

Digitized by Google

Cære abiit in Hetruſcos. Sextus verò Gabinos *tanquam in Regnum* profectus, ſuorum etiam ſcelerum pœnas luit, nam amici, cognatique interemptorum Civium, qui ultionis tempus opperiebantur, occaſione arreptâ ſtatim interfecerunt. Brutus autem *haud cunctandum exiſtimans, ubi perniciosior erat quies, quàm temeritas*, compoſitis urbanis rebus in Caſtra profectus, ùt liberator Urbis acceptus eſt, pactusque cum hoſte inducias Exercitum abducit, ut meliùs Rempublicam firmaret.

Ille autem cuncta revocavit veterum Regum Inſtituta, Senatumque auxit ad 300., à quo tempore Patres conſcripti dicti ſunt, quaſi denuò in Senatum lecti; conſtituitque, *ut nihil referretur ad Populum, niſi Senatui videretur, nullumque Populi juſſum ratum eſſet, niſi ejus authoritate confirmaretur, utque Conſules duo eſſent annuâ poteſtate, qui Regum munia obirent.* Cùm ergo *Comitia* fuiſſent reſtituta, ſuamque authoritatem *Senatus* obtineret, *Conſulesque Regis munia obirent*, eo tantùm diſcrimine, quòd duo eſſent, atque poteſtatem ad annum exercerent, ùt Cicero ait: *Regio Imperio duo ſunto, iique conſulendo Conſules appellantor, militiæ ſummum jus habento*; mixta quoque manſit Reſpublica; licèt ad *Ariſtocratiam* magis inclinaret; è Patriciis enim Magiſtratus creabantur, *Centuriataque Comitia* fiebant, in quibus Primorum duntaxat ſuffragia valebant, *Senatusque* magnâ pollebat authoritate, adeoque mirari non deſino, cur Bodinus *Democratiam* effinxerit, eâ ductus ſententiâ, quòd *Jura Majeſtatis*, cùm nequeant communicari, *penes Populum* manſerint; adeò enim cuncti ordines, licèt inæqualiter, de iis participabant, ut ritè coaleſcerent, unumque veluti efficerent ordinem, qui univerſa complecteretur; namque ità initio fuit temperata Reſpublica, ut nec *Populus quidquam juberet ſinè Senatûs authoritate, nec Senatus cenſeret, niſi de iis, quæ ad eum Conſules referrent, nec celebraret Populus Comitia, niſi Conſules præeſſent*; ità unus ordo conflabatur è Senatu, Conſulibus, & Populo, qui legitimè *jura Majeſtatis* explicabat. Præterquàm quòd nec deerat *Senatui* Poteſtas maxima in rebus arduis, tunc enim *telo velut acerrimo Senatus ipſe eâ utebatur, jubebatque Conſulibus abſolutè*, unoque verſiculo, *videant*, nempe, *Conſules, nè quid Reſpublica detrimenti capiat*, ſatìs eos armabat, nullis etiam armis datis, eo namque & Exercitum parabant *injuſſu Populi, nulliſque adhibitis Comitiis, indictâque cauſâ*, & vim tantùm adhibendo, Cives è medio tollebant, *illoque freti Senatûs-Conſulto Lucius Opimius*,

De nova forma Civitatis.

pimius, *& Quintus Fabius Cajum Sempronium Gracchum Tribunumplebis, & Quintum Fulvium Flaccum Conſularem Virum*, præterque eos *ad tria etiam millia Civium interfecerunt*, & Cicero *Catilinam in exilium damnavit*, comprehenſoſque Socios *occidi in carcere juſſit*; eâ quoque Poteſtate *G. Pompejus* adversùs Cæſarem bellum geſſit. Sed ultrà Civilia bella etiam ſummam Poteſtatem explicuit in externis; Conſulibus namque *Poſthumio Albo*, ac *Sp. Furio Medullino* anno Urbis 291. cùm Hernici S. Furium à Vejentibus fugatum nunciâſſent, tantus terror Urbem invaſit, ut ſtatim Senatus *Poſthumio* præciperet, dare operam, *nè quid Reſpublica detrimenti caperet.* Conſuli præterea præcipiebat, ut diceret Dictatorem.

Fateor quidem nunquam in eodem ſtatu manſiſſe Rempublicam, cùm vel forma ejus *mixta* nunc magìs intenſa in *Ariſtocratiam*, nunc in *Democratiam* redderetur, donec paulatim in peſſimam evaſerit *Ochlocratiam*, *corruptiſſimam* nempe *Democratiam*, atque ex *quodam* veluti *orbe ad unius Dominationem* pervenerit; Cùm autem temperata manſit ex illo triplici Statu, mixta meritò dicetur, ſeu, ùt Ariſtoteles docet, *Reſpublica* nuncupabitur, quæ ex *Democratia*, atque *Ariſtocratiæ Cinno* reſultabat. Sed redeamus ad Brutum, cujus virtus in tam arduo perficiendo negotio unicè requirebatur, ſummo namque conſilio rem aggreſſus, Cadavere Lucretio in forum ducto, ad Populum concionatur quaſi reſtitutâ Republicâ, ut ità dulcedine libertatis caperetur, eique in omnibus morem gereret, quod quia nec Brutus alter, & Caſſius, nec Ætolorum Dux interempto Nabide Spartæ Tyranno, nec Laurentius Medicæus, dum Alexandrum Florentiæ Ducem interfecit, effecerunt, rei benè gerendæ occaſionem amisêre.

De Exilio Collatini.

Ità autem conſtitutâ Republicâ, quoniam Collatinus è Tarquiniorum Regio genere erat, ut libertatem omnimodè muniret, ſolicitamque ſuſpicione Plebem liberaret, tulit ad Populum, *nomen Regiumque genus invisum eſſe*, utque propterea nedum Imperio, ſed Civitate ejicerent. Quare Collatinus ſe Conſulatu abdicavit, ſeque resque ſuas Lavinium contulit, ſuffectusque eſt in ejus locum Publius Valerius; quod factum licèt nimìs ſeverum videatur, cùm & ipſe Collatinus Vir Lucretiæ Urbis liberator eſſet, laudatur à Cicerone (a) *cùm Collatino*, inquiens, *Collega Brutus Imperium abrogabat, poterat videri facere id injuſtè; fuerat enim in Regibus expellendis ſocius*

(a) *Lib. 3. de Offic.*

ſocius Bruti, Conſiliorum etiam adjutor. Cùm autem Conſilium hoc Principes cœpiſſent, cognationem Superbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam Regni eſſe tollendum, quod erat utile Patriæ conſulere, id erat honeſtum, ut etiam ipſi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honeſtatem, ſinè qua nec utilitas quidem eſſe potuiſſet.

Tarquinii verò priùs dolos experiri conſultum putantes, Legatos Romam mittunt, qui bona repetendi causâ veniſſe ſimularent, re ipsâ tamen recuperandi Regni Conſilia ſtruerent, atque nobilium Adoleſcentium animos æqualium, ſodaliumque Tarquiniorum, in quorum Regno libido ſolutior fuerat, pertentarent; jamque illos deſiderium Regis cœperat, mutuòque conquerebantur, *Regem hominem eſſe, à quo impetres, ubi jus, ubi injuriâ opus ſit, eſſe gratiæ locum, eſſe beneficio, & iraſci, & ignoſcere poſſe: inter amicum atque inimicum diſcrimen nôſſe. Leges rem ſurdam, inexorabilem eſſe, ſalubriorem, melioremque inopi, quàm potenti: nihil laxamenti, nec veniæ habere, ſi modum exceſſeris: periculoſum eſſe in tot humanis erroribus ſolâ innocentiâ vivere.* *De Conjuratione nobilium Adoleſcentium.*

Intereà Senatus, an bona redditura eſſent, agitabat, bello enim adjumentum dare periculoſum videbatur; ſed vicit ſententia, quæ cenſebat, reddenda bona. Cùmque Legati moras nećterent vehiculorum comparandorum ſpecie Conjurationem firmant; eâ tamen tempeſtivè deteĉtâ; ex literis, quas Legatis dederant, authores dignoſcuntur, damnanturque, atque ad palum deligati nobiliſſimi Juvenes, interque eos filii Bruti cernuntur. Ille undique obfirmatus, nullum miſerentis animi ſignum dedit, dum *nudati virgis caderentur*, dumque *ſecuri percuſſi ſunt*.

Tanta molis erat, Romanam condere Gentem!

Legati autem, quanquam viſum eſſet, id commiſiſſe, ut hoſtium locò eſſent, *jure* tamen *Gentium* dimiſſi ſunt, ſed bona reddi vetita, nec in publicum redaćta; diripiendaque *eo* Plebi *conſilio* data, *ut illa præda contaćta nullam cum Tarquiniis pacis ſpem foveret.*

Bellum inde Tarquinii parant, Vejentesque ac Tarquinienſes adversùs Romanos concitant, eorumque Populorum Exercitum ducunt, nec Conſules ad repellendos hoſtes minùs prompti; fit atrox pugna in Romano agro, ubi Conſul Brutus, Arunsque Tarquinius filius Regis ſimul congreſſi ambo cecidêre, Romanorum tamen Exercitus viĉtor fuit, alterque Conſul Publius Valerius trium- *De bello Vejentium, ac Tarquinienſium.*

triumphans Romam rediit, Collegæque funus maximo apparatu celebravit.

De L. Valerio Conſule. Sed vides, quo eſſent ad libertatem affecti animo Cives, ut minimis quibusque ſuſpicionibus locum darent; nam quia Conſul Valerius in Summa Velia ædificare videbatur, nec Collegam ſuffecerat in locum Bruti, *Regnum affectare* criminabatur. Inde ut ſuſpicionem dilueret, infrà Collem ædificari curavit, *faſces Populo ſubmiſit, ademitque ſecures,* quibus duntaxat extrà Urbem deinceps uſi ſunt, cùm intrà mœnia faſces tantùm adhiberent. Latæ quoque Leges, *nè quis Romæ Magiſtratum gereret injuſſu Populi, quique auderet, ſacer eſſet, nè quis Civem Romanum capite plectere, aut flagris cædere, aut pecuniis mulctare poſſet, ſi ad Populum provocâſſet.* Ità *extremæ provocationis jus* latâ Lege Populo ſub Reipublicæ initiis adhæſit. *De Marco Horatio Pulvillo.* Tunc habitis de more Comitiis ſubrogatus Lucretius Conſul, in cujus defuncti locum ſuffectus Marcus Horatius Pulvillus, cui ſortitò contigit, Jovis Ædem in Capitolio dedicare, cùmque poſtem jam teneret, mors filii nunciatur, ille verò precationem peragit, Templumque dedicat, nilque ad Nuncium reſpondet, quàm ut cadaver efferatur. *De Bello Hetruſco.* Sequitur tunc Hetruſcum bellum, in quo Romana virtus ſummopere emicuit. Flexerat enim Lartem Porſennam Tarquinius præter auxilia, quæ gener dabat Mamilius; *nè orientem morem*, inquiens, *pellendi Reges inultum ſineret. Satìs libertatem ipſam habere dulcedinis, niſi quantâ vi Civitates eam expetant, tantâ Regna Reges defendant. Æquari ſumma infimis: Nihil excelſum, nihil, quod ſuprà cætera emineat in Civitatibus fore. Adeſſe finem Regnis, rei inter Deos, hominesque pulcherrimæ.* Horatius Cocles in eo bello ſuſpicitur ſolus Sublicii Pontis aditum occupare, hoſtiumque impetum ſuſtinere, donec eo rupto, iter omninò præcluderetur, tum ille in Tiberim deſiliens, *Tiberine Pater*, inquit, *te ſanctè precor, hæc arma, & hunc militem propitio flumine accipias.* Nec tantæ virtuti præmium defuit: *quod ſi tollas, virtutes ipſas evertes, ſubit enim otii, atque inertia dulcedo, quæ tandem, ſublatis ad virtutem ſtimulis, amatur.* Statua enim Horatio in Comitio poſita, agerque, quantùm uno die circumarari potuit, datus. Spectata quoque, atque admirabilis Mutii Scevolæ audacia, conſtantiaque, Agro quoque trans Tyberim donatus; nec Cleliæ auſum honore caruit, Statuâ Equeſtri decoratâ. Agitur inde de pace, ſed omnis Tarquinios reducendi Porſennæ ſpes adimitur: *Non enim in Regno*, ajebant, *Populum*

lam Romanum, ſed in libertate eſſe. Ità induxiſſe in animum, hoſtibus potiùs quàm Regibus portas pateſacere. Eam eſſe voluntatem omnium, ut qui libertati erit in illa Urbe finis, idem Urbi ſit. Proinde ſi ſalvam eſſe vellet Romam, ut patiatur liberam eſſe, orare. Quibus Rex permotus, Tarquinios etiam aliò abire juſſit, pacemque cum Romanis coluit.

De Fœdere cũ Porſenna Rege ičto.

Secuta inde cum Sabinis bella, Dictatorque primùm Romæ creatus; de cujus poteſtate pauca dicere neceſſe ducimus.

De Dictatoria Poteſtate.

Dictatura igitur *ſumma Poteſtas erat extra ordinem definito tempore conceſſa ad Rempublicam moderandam*, primùmque, ùt diximus, Titio Lartio Flavio anno Urbis 252. collata eſt ob metum Latini, Sabiniquè belli, & quia ſeditio inſtabat propter Plebem, quæ, cùm eſſet ære alieno oppreſſa, videretque impotenter adversùs eam fœneratores ſe gerere, & in nervum abducere obæratorum corpora, quibus non aliter utebantur quàm emptitiis, delectui nomen dare recuſabat. Atque hæc quidem prima, præcipuaque fuit Dictatorem creandi cauſa, licèt poſteà variis aliis de cauſis Dictatores creati fuerint, ùt Comitiorum habendorum, Senatus legendi, quæſtionis exercendæ; interdum etiam ludorum inſtaurandorum, aut Clavi figendi causâ dictus eſt. Quod fiebat in dextro latere Ædis Joves, dum peſtis graſſabatur, aut ad aliud avertendum imminens Reipublicæ infortunium. Nec ut reliqui Magiſtratus Populi ſuffragiis creabatur, ſed jubente Senatu alter Conſul, quem vellet è Conſularibus Viris Dictatorem dicebat; quod noctu fiebat, captisque ritè auſpiciis, unde videtur à dicendo dictus, vel potiùs à dictando, cùm multa ediceret. Alio quoque nomine Magiſter Populi, & Prætor maximus dicebatur. Sed & Populus aliquando jubebat, quem Dictatorem à Conſule dici vellet, quod anno Urbis 543. in Quinto Fulvio Flacco accidiſſe videtur; ſed & Sulla & Julius Cæſar Comitiis creati Dictatores fuère, ille Inter-Rege ea celebrante, Cæſar verò Prætore.

Ea verò Poteſtas etiam *Regiâ* major fuit; omnium namque rerum arbitrium penès Dictatores erat, deque capite, & bonis Romani Civis etiam ſinè provocatione ſtatuebant ante Legem Duilliam anno Urbis 304. latam, quâ vetitum, Magiſtratum aliquem *ſinè provocatione* creari. Omnes propterea Magiſtratus cùm Dictator eſſet, abdicabant, Tribunisplebis exceptis, cunctaque Re-

gum

Digitized by Google

gum inſignia præferebat, & 24. Lictoribus utebatur, & *faſcibus*, ac *ſecuribus* etiam in Urbe.

Sed ſemeſtri finiebatur tempore, nè majori diuturnitate in Tyrannidem verteretur, licèt aliquando fuerit prorogata, ùt Camillo contigit, & Papyrio Curſori. Nec aliquid pecuniæ publicæ poterat impendere *ſinè Senatûs authoritate*, *aut Populi juſſu*, nec cum Imperio extra Italiam ire licebat, licèt in Attilio Calatino ſemel violatum fuerit. Imò equum aſcendere, niſi ad bellum iturus, nequibat, quod Fabio Maximo honoris causâ duntaxat permiſſum fuit. Qui etiam Prodictator à Populo creatus fuit, quoniam Conſul aberat, & Dictatorem Populus creare nequibat, licèt Dictator poſteà ob rerum geſtarum Gloriam fuerit nuncupatus. Dictator autem Magiſtrum Equitum dicebat, eique aderat, ùt olim Regi Tribunus Celerum, atque ſicut ille univerſo Populo præerat, ità Magiſter Equitum Equitibus, ſed debebat *Dictatoris dicto* audiens eſſe, eademque gerebat inſignia, quæ Prætor, *Lictores* nempe 6. *cum faſcibus*, *prætextaque*, &c. unde meritò Marcus Minutius ille Fabii Magiſter Equitum Metilii Tribuniplebis rogatione æquatus Dictatoris Imperio, cùm Legiones in maximum diſcrimen adduxiſſet, easque vidiſſet Dictatoris virtute liberatas, milites alloquitur, *ſæpè*, inquiens, *audivi milites*, *eum primum eſſe virum*, *qui ipſe conſulat*, *quid in rem ſit*: *ſecundùm eum*, *qui benemonenti obediat*: *qui nec ipſe conſulere*, *nec alteri parere ſcit*, *eum extremi ingenii eſſe*. *Nobis quoniam prima animi*, *ingeniique negata ſors*, *ſecundam ac mediam teneamus*, *& cùm imperare diſcimus*, *parere prudenti in animum inducamus*, *Caſtra cum Fabio jungamus*, *&c.* atque ad Dictatorem: *Parentibus*, inquit, *meis Dictator*, *quibus te modò nomine*, *quo fando poſſum*, *æquavi*, *vitam tantùm debeo*; *tibi cùm meam ſalutem*, *tum omnium horum*: *itaque Plebiſcitum*, *quo oneratus magìs quàm honoratus ſum*, *primus antiquo*, *abrogoque*, *& quod tibi*, *mihique*, *quod meo Exercitui*, *tuoque conſervato*, *ac conſervatori ſit felix*, *ſub Imperium*, *auſpiciumque tuum redeo*, *& ſigna hac*, *Legionesque reſtituo*. *Tu*, *quæſo*, *placatus me Magiſtrum Equitum*, *hos ordinibus ſuis*, *quemque teneri jubeas*. Sed L. Papirii Curſoris cum Fabii Magiſtri Equitum Patre ad Populum provocante, cùmque ipſo Populo contentio, reſponſumque Romano Dictatore dignum, quo precibus dumtaxat Populi Magiſtrum Equitum damnatum capite dare faſſus eſt, ſatìs nos & virtutis, & militaris Ro-

Romanorum diſciplinæ, & quanta fuerit Dictaturæ poteſtas admonet, quamvis ad Popu um provocatio poſt dictam Legem ferri poſſet.

Bis autem viſi fuêre Dictatores ſinè Magiſtris Equitum, ut N. Fabius Puteo anno Urbis 537., & Julius Cæſar anno Urbis 705., licèt poſteâ Magiſtrum Equitum dixiſſet M. Antonium, qui etiam perpetuam fecit, retinuitque, donec interficeretur; ſed cur ille Leges cuſtodiret, cùm palàm eo nomine Rempublicam invaſiſſet, adeò ut Sullam irrideret, qui eam depoſuerat?

De prima ſeceſſione Plebis in Montē ſacrum.

Sed victoriam de Volſcis, Sabinisque, ac tandem de Auruncis ſequebantur dira Plebis certamina, quæ tandem eò erupêre, ut in Montem ſacrum ſecederet; quæ quoniam prima ingens ſeditio fuit, eaque primùm Plebs ſuos nacta Magiſtratus, Tribunos nempe plebis, qui *Sacroſancti eſſent*, quibusque *auxilii latio adversùs Conſules eſſet*, nec *Patriciis capere liceret*, adeoque Reſpublica alterari cœpta; ideò prolixiùs, quam par eſſet, cauſas referre placuit. Et profectò Fœneratorum avaritia, ſævitiaque Rempublicam corrupêre ab initio; fremebat namque Plebs ſe foris pro libertate, & Imperio; domi à Civibus opprimi: tutioremque in bello, quàm in pace; inter hoſtes, quàm inter Cives ejus libertatem eſſe. Seditionem autem unius calamitas excitavit; viſus enim ſenectâ ætate homo ſquallore obſitus, ſordidâque veſte miſerandum ſui ſpectaculum præbere; & quia ſtipendia meruerat, noſcebatur, concurſaque turba interrogabat: *unde tantus pallor ac macies, tantaque univerſi corporis fœditas?* Ille: *Sabino bello*, ait, *ſe militantem, quia propter populationes agri fructu non modò caruerit, ſed villa incenſa fuerit: direpta omnia: pecora abactâ: tributum iniquo ſuo tempore imperatum; æs alienum feciſſe. Id cumulatum uſuris, primò ſe agro paterno, avitoque exuiſſe, deinde fortunis aliis: poſtremò velut tabem perveniſſe ad corpus. Ductum ſe ab Creditore non in ſervitium, ſed in ergaſtulum, & carnificinam eſſe*; inde ut fidem faceret, tergum oſtentat, fœdum recentibus veſtigiis verberum; ità ingens fit clamor. Nexi, vincti, ſolutique prorumpunt undique, fidemque implorant *Quiritium*; quare irritata Plebs, atque ad ſeditionem excitandam diſpoſita, poſtulat, ut Senatus vocetur, qui tot malis opportunè conſuleret; cumque metu deterrerentur Patres, Plebsque eludi crederet, vix Conſularis Majeſtas iras coërcuiſſet, ſi tandem Patres non apparuiſſent, à quibus Plebs ſublevari rebatur; cùmque diſcordia eſſet inter *Appium Claudium*, qui Imperio Conſulari

ri agi oportere cenſebat, unumque aut alterum arripi, ac pœnas dare, *Serviliumque Conſulem*, qui leniter agendum putabat, Latini Equites advenêre, qui Volſcos infeſto Exercitu ad Urbem oppugnandam procurrere nunciârunt; tunc Plebs *ultores ſuperbiæ Patrum adeſſe Deos* clamitans, non reſpondere delectui deliberavit, ut penès eosdem pericula belli, penès quos prœmia eſſent. Illi autem trepidi *Servilio Conſuli* committunt Rempublicam, qui miſſo Senatu concionatur, fidemque Plebi facit, quòd opportunè ſibi conſuleretur, edicitque intereà; *nè quis Civem Romanum vinctum, aut clauſum teneret, quò minùs ei nominis edendi apud Conſules poteſtas fieret*; *nè quis militis, donec in Caſtris eſſet, bona poſſideret, aut venderet, nepotesve ejus moraretur*; ità data extemplò nomina. At poſtquàm Volſci victi, jactabat Plebs promiſſa Servilii, belli merita; acceptasque Cicatrices exprobrans rogabat, ut ad Senatum referret, atque *ut auxilio eſſet Conſul ſuis Civibus, Imperator ſuis militibus*; ille verò cunctando, *mediâque viâ incedendo*, nec Plebis vitavit odium, nec apud Patres gratiam iniit; inde primo in ambos Conſules iræ, contemptusque; cùm enim ad Populum Senatus rejeciſſet Conſulis deſignationem, qui Ædem Mercurii dedicaret, quemque Populus *juſſiſſet*, Annonæ præeſſe, Mercatorum Collegium inſtituere, ſolemniaque pro Pontifice ſuſcipere *decreviſſet*; illa, ſpretis Conſulibus, *Marcum Latorium Primipilum Centurionem* legit. Jamque majores gerebat ſpiritus, debitoresque, cùm in jus ducerentur, vi eripiebat, adeoque Conſules ſinè Imperio videbantur.

Hic erat rerum urbanarum Status, dum timor ſupervenit Sabini belli; unde licèt Conſules delectum decreviſſent, nemo tamen nomen dedit. Furens Appius, *Collegamque* arguens, quòd Rempublicam perderet, ſeque *unum Patrum Majeſtatis, & ſuæ vindicem fore* clamitans, juſſit unum arripi inſigne ſeditionis Caput: ille verò, *provoco*, inquit, ad *Populum*; quare clamor ingens exortus, jamque vis etiam parabatur, ſi Claudius vinci tandem paſſus haud eſſet, fracta etiam Primorum pertinacia. Ità corrupto Reipublicæ ordine, Senatum novi Conſules cogunt, cœtus nocturnos, rerumque ſtatum docent; tum ſententiis certatur, Conſulesque objurgantur, quòd ſegniùs molliùsque, quâm par eſſet, agerent; decernuntque, ut acerrimum delectum habeant, ſed nemo ad nomen reſpondebat, atque universè clamabatur: *ultrò decipi Plebem*

haud

haud poſſe. Nunquam unum militem habituros, nî præſtaretur fides publica. Libertatem unicuique priùs reddendam eſſe, quàm arma danda, ut pro Patria, Civibusque, non pro Dominis pugnent. Satis autem expertis inanibus Conſulum Imperiis, denuò Senatus datur urbanis tumultibus, rogatusque Publius Virginius: iis tantummodò, *qui egregiam in Volſcorum & Auruncorum bello navâſſent operam, remiſſionem Æris alieni concedendam eſſe* cenſuit. Titus Largius: *Plebi univerſæ*: Appius: *nîl Plebi largiendum, nec de his agendum, ſed de præſentaneo contrà ſeditionem remedio, Dictatoremque creadum eſſe, à quo provocare non liceret*; *Jam hîc*, ajebat, *quò nunc omnium ardet, conticeſcet furor. Pulſet tum mihi Lictorem, qui ſciet jus de tergo, vitaque ſua penes unum illum eſſe, cujus Majeſtatem violavit.* Vicit *Appius*: *Dictator* dicitur, ſed mitis ingenii Vir, Plebique gratus *Manius Valerius*, ſcilicet, *Voleſi* filius; quarecùm ex fratre Legem Plebs de Provocatione haberet, nîl ex ea Familia triſte, nec ſuperbum timuit, nec nomina detrectavit; ille namque ùt *Servilius Conſul* ſtatim edixit favore Civium, vinctorumque, donec in Caſtris eſſent. Sic cum Æquis, Volſcis, & Sabinis proſperè pugnatur; ac Valerius, ſublato jam bellorum metu, actionem habuit in Senatu pro Victore Populo, quæ quoniam *privata Conſilia, peſſimumque venenum, ſua cuique utilitas, publica ſemper peſſumdare ſolent*, rejecta eſt, Dictatorque ſpe ſuâ fruſtratus, privatus potiùs ſeditioni intereſſe malle fatetur, egreſſusque Curiâ, Dictaturâ ſe abdicat. Senatus, ut occultis cœtibus, conjurationibusque occurrat, ad Religionem confugit. In verba Conſulum, quanquam Dictator delectum habuiſſet, juraverat miles; eo propterea teneri ratus, non dimitti Exercitum, ſed prætextu ab Æquis renovati belli, extra Urbem peſſimo conſilio educi jubet. Ità univerſis, atque armatis coëundi facultas datur, agitantque primò, Conſules interficere, ut Sacramento ſolverentur; ſed moniti, *nullam Religionem ſcelere ſolvi*, tam nefarium Conſilium omisêre. Rapiunt igitur ſigna, Tribunos ſibi conſtituunt, reique ſummam ad *Sicinium* quendam *Bellutum* deferunt, occupantque montem ad Anienem haud procul ab Urbe ſitum.

Atque hæc prima fuit Reipublicæ Romanæ labes, quâ procedentibus temporibus adeò contacta fuit, ut denique pateretur interitum; *ita rerum humanarum orbe motu quodam perpetuo cuncta circumagente, ut nîl firmum diù conſervari queat.* Erat enim adeò temperata, ut & Populus, & Patricii nexu quodam conjungi viderentur,

tur, Senatusque ità inter utroſque medius ſe gereret, ut nec Plebs invideret Patriciorum Magiſtratibus, cùm naturâ ſuâ non detrectet meliorum Imperia, nec illi abuterentur. Sed Patricii *ex inæqualitate honorum, ac divitiarum omnia ipſis tribuenda rebantur*, cæterosque *ùt vile & abjectum Vulgus* exiſtimabant, atque *ſervorum ad inſtar* cum iis agere cupiebant. Quare ad Oligarchiam inclinatâ Republicâ, effectum eſt, ut & Plebs quoque ex *libertatis æqualitate æqualem ſe in omnibus putaret*. Miror autem Patriciorum adeò fuiſſe obcæcatas mentes, ut pro parva re, qualis erat *feneratorum nexu Plebem ſolvere*, qui jure iniquo ſæviebant in corpora, tanquam à ſcintilla, quæ facillimè exſtingui poterat, adeò magnum excitari incendium paſſi fuerint; nec enim parvi momenti erat *nôſſe Plebem, & exequi arcanum, quo Patricios in ordinem redigeret*; quod adeò exercuit, ut illis tandem dominaretur, donec ad unum rediret *Summa rerum*, atque in validiſſimum, ingensque Imperii corpus coaleſceret, quod etiam armatæ Legiones labefactarent, evulgato arcano: *poſſe alibi Imperatorem quàm Romæ fieri*. Debebat profectò Senatus æquâ Lege Plebi conſulere, Patriciorumque ſuperbiam coërcere, imò eam arripere occaſionem, ut majorem ſibi in dies conciliaret authoritatem, Patriciosque adeò cum Plebe conjungeret, ut meliorum Imperia nedum ſponte ſuâ ferret, ſed exoptaret. Plebs enim, quoniam pro Republica militare debebat, æquiſſimis oportebat inſtitutis moderari.

Trepidâ interim eâ ſeceſſione universâ Civitate, novi Conſules *Sp. Caſſius*, & *Poſthumus Cominius* Magiſtratum inière, & confeſtim habuêre Senatum. Sed iterum ſententiis certatum; ac ſi moderatiùs antehâc fuiſſet *Appii* ingenium, *ut Plebi*, priusquàm hoſtis fieret, *æris alieni*, & *judiciorum remiſſionem largiri curâſſet*, ex ſententia, quam armatâ jam Plebe protulit, fuiſſe maximum certè Virum fateri cogeret; nullam enim ad deſertores Legationem mittendam cenſuit, nec æs alienum remittendum, nec aliud quidquam faciendum, quod aliquam timoris aut trepidationis ſpeciem præſeferret, ſed tunc moderatè de illa ſtatuendum, cùm poſitis armis in Urbem reverteretur: externo hoſti ſi ingrueret, obvios Patricios ire, clientelas aſſumere, cæteramque Plebem, quæ adhuc erat in Officio, eique viritim remiſſionem æris alieni largiri. Erant enim in aperta ſeditione cuncta priùs pertentanda, quàm cum armatis Civibus velut Reipublicæ parte fœde paciſcendum;

&

& quidem ſi Dictatorem ùt anteà Conſules dixiſſent, Plebi acceptum Virum, qui redeuntibus ad Urbem Civibus remiſſionem æris alieni edixiſſet, cæteris ùt refractariis, & Reipublicæ hoſtibus bellum indicendo, Senatumque Plebi feriò conſulturum promiſiſſet, diſſoluta profectò fuiſſet armata Plebs, ac ſeditio nulla cum Reipublicæ jactura compoſita.

Sed Legatos placuit mitti, quos inter Agrippa Menenius; jamque eorum adventum prævenerat rumor, cùm *Lucius Junius* Plebejus vir, acri ad providendum ingenio, pollicetur, ſe cauſam acturum Plebis, Præfectumque Caſtrorum docet, per commentum difficilem oſtendi Plebem oportere, ut optimas Leges adipiſceretur, blioremque ſui conditionem faceret. Cùm Legati jam adveniſſent, multæ habitæ orationes ad ſuadendam Plebem; ſed *Lucius* ille *Junius* prodiit, qui *Bruti** poſteà cognomen uſurpavit, quaſi Brutus verè alter, qui Tarquinii tyrannide Cives liberavit, jactabat namque ſe Patriciorum tyrannide Populum liberâſſe; graviique oratione in Patricios invectus, cunctaque exprobrans Populi geſta, quibus coactæ Gentes Imperium Urbis agnoſcere, unum poſtulavit, *ut*, nempe, *liceret parvos liberos, & Parentes, uxoresque recipere, dum nullimodè in Patriciorum Poteſtatem venire tutò permittebatur: quis enim*, ajebat, *ſponſor erit, pacta non fore irrita? utrùm credemus futuro Senatûs Conſulto? nam nondum ullum ſuper hoc negotio factum eſt, & quid vetat id antiquari poſterioribus, quando Appio, & ejus factioni viſum fuerit? An dignitati Legatorum ſuam fidem interponentium? atqui per hoc deceperunt nos etiam antehàc? An Diis teſtibus jurejurando firmatâ fide? at hæc mihi magìs quàm humana ſuſpecta eſt, quando eam à Poteſtatibus contemni video. Et Societates, quæ inter imperandi avidos, & libertatis tenaces non ſponte coëunt, ſæpè jam didici, tantiſper durare, quamdiù eas conjungit neceſſitas. Quænam igitur hìc poteſt intercedere amicitia, ubi non ex animo colemus alteri alteros factionibus obſervantibus ſuas opportunitates temporum?* Tum *Sicinius* ex compoſito magìs exaſperabat animos. *Si vobis*, inquiens, *placet ſervitutem ſervire toto vitæ tempore, & vinculorum, verberum, ignis, ferri, famis, cæterisque injuriis atteri, quid cunctamini projectis armis, & manibus poſt terga reflexis in Urbem eos ſequi? quod ſi libertatis amore tenemini, nolite eos ferre ampliùs.* Tum loqui aggreſſus Menenius Agrippa, ſermonem clauſit fabulâ ad Æſopearum inſtar confictâ, Civitatem humano corpori ſimilem faciens; cùmque vidiſſet aliquomodo flexas

hominum mentes, conditiones profert, *ut qui ſolvendo non eſſent, iis omnibus æs alienum remitteretur, quorumque corpora elapſo jam legitimo termino Creditoribus obnoxia erant, libera eſſent, quique per Judices addicti Creditoribus forent, liberi etiam fierent. Pro futuris autem Contractibus, quidquid juſſiſſet Populus è Senatûs authoritate, ſervari æquum eſſe.* Sed ingenium *Bruti* viderat opportunum tempus, quo altiora peterentur; inde: *habenda*, inquit, *pro his, quæ offeruntur, gratia eſt; vereri ſe tamen futurum tempus, & quorundam animos tyrannicos, ne iras ſervent, quas per occaſionem in Plebem effundant. Unam porrò ſecuritatem eſſe omnibus, qui ſe potentiores timent, ſi certum ſit, etiam ſi velint lædere illi, nocendi poteſtatem eis defore. Quamdiù enim malis relinquatur poteſtas malefaciendi, adfore & voluntatem procul dubio.* Interrogatusque, *qualisnam eſſet illa ſecuritas: Concedite*, inquit, *nobis creare Magiſtratus aliquot noſtri Ordinis, qui nullam aliam poteſtatem habeant, niſi ut oppreſſis injuriâ Plebeis, & vim patientibus ſuccurrant, nec patiantur quemquam fraudari jure ſuo.* Quare cùm Plebs viro illi acclamâſſet univerſa, immota manſit, obfirmataque. Senſit fortaſſe Senatus, quò tenderent Bruti conſilia, licèt viderentur æqua in ſpeciem poſtulata, cùm nec Plebs petere Magiſtratus videretur, ſed tantùm ut auxilium haberet adversùm eos; nec enim primò inter Magiſtratus habebantur Tribuni, ſed potiùs pro impedimento Magiſtratuum. Placuit tamen rem perficere, atque decipiendi Plebem opportunum tempus opperiri, quamquam ſemper peſſimo conſilio, cùm eſſet jam corrupta Reſpublica, ùt infrà dignoſcetur.

De Concordia Patrum, & Plebis, deque Tribunis ejuſdem. Tunc igitur actum ſeriò de concordia, Plebique conceſſum, ut ſuos crearet Tribunos, quæ *Curiatis Comitiis Lucium Junium Brutum, Cajum Sicinium Bellutum* creavit, cùmque his *Cajum, & Publium Licinios, & Sp. Icilium Rugam*, vel ùt Livius ſcripſit, *Cajum Licinium, & Lucium Albinum*, atque hi tres Collegas ſibi creavêre. Sacratâ item Lege: *Tribunum invitum nemo ùt unum è vulgo quidquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare jubeto, nec occidito, nec occidere jubeto. Si quis contrafecerit, ſacer eſto, & bona ejus Cereri dicata ſunto, & qui eum occiderit, purus à cæde eſto*: Tribunis & ſecuritas parta, & ut quidlibet auderent, addita audacia eſt; nec tum alicui è Patribus, aut Patriciorum ordine capere Magiſtratum licebat. Ergo paulatim invasêre Rempublicam, poteſtatemque univerſam ad ſe traxêre, ità ut *confuſi, miſtique ordines, promiſcua*

Digitized by Google

miſcua Connubia, Sacra, Magiſtratuſque univerſi tandem forent; nec ab eo tempore, quo in *Democratiam* vergere cœpit Reſpublica, aliud quàm initia magnorum motuum cernuntur, donec inverſo Comitiorum ordine *Legislatio ipſa* ad Plebem tranſiit, ſuaque *Plebiſcita* Populum tenebant univerſum, nec Senatûs-Conſultis erat authoritas, niſi à Plebe confirmarentur, unde Tacitus: *pulſo*, inquit, *Tarquinio adversùm Patrum factiones multa Populus paravit tuendæ libertis, & firmandæ concordiæ: creatique Decemviri, & accitis, quæ uſquam egregia, compoſita* 12. *Tabulæ finis æqui juris, nam ſecutæ Leges etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpiùs tamen diſſenſione ordinum, & adipiſcendi illicititos honores, aut pellendi claros Viros, aliaque ob prava per vim latæ ſunt. Hinc Gracchi, & Saturnini turbatores Plebis, nec minor largitor nomine Senatûs Druſus: corrupti, aut illuſi per interceſſionem Socii . . . . Neque multò poſt reddita licentia, quoquo vellent, Populum agitandi. Jamque non modò in commue, ſed in ſingulos homines latæ quæſtiones; & corruptiſſimâ Republicâ plurimæ Leges*. Efficiebantur enim *Demagogi*, ſeu Plebis aſſentatores Tribuni, Legibuſque Agrariis, cæteriſque rogationibus perpetuo motu adeò Rempublicam agitàrunt, ut tandem collapſa rueret; nec aliud remedium erat, quàm bella externa; donec enim Italia univerſa Romam ùt Imperii Sedem agnoviſſet, & Gallica, Punicaque bella geſta ſunt, licèt ex Tribunitiis rogationibus, diſſenſioneque ordinum perpetuò ſeditionibus, factionibuſque Reſpublica conflictaretur, nunquam tamen ad Civile bellum deventum eſt, quod erupit ſtatim ac nîl ab hoſte timeri poterat, ut Roma victrix Gentium ſuis ipſa malis conficeretur. Tunc enim *immania bella*: *Dictatura perpetua*, *Triumviratus*, & denique *unius Dominatio* nullis certis Legibus, aut ſuccedendi ordine, ſed complexione Magiſtratuum, quorum nomina inaniter aſſumere videbatur ad *Dominationis* vim liberiùs exercendam, retinendamque. Tunc verò *Senatus Curia Judicum fuit*: *Comitia* ſublata, Populuſque ille, nîl aliud quàm ſpectacula, ludoſque celebrare, votaque facere pro Dominatore cernebatur; Patricii autem inter ſe diſſentientes variis accuſationibus ſe ipſos atterebant, certabantque *ſervitio*. Atque ità in Legionum poteſtatem cuncta devenêre, dabantque pro lubitu Imperatores, unoque ſæpè tempore plures; hinc atrocia inter Legiones ipſas bella; hinc Parentes à filiis, fratres à fratribus interfecti, cùm in diverſis Legioni-

gionibus militarent; hinc relictâ tandem Româ aliò Imperii Sedes conſtituta: diviſum Imperium: Italia à Barbaris direpta.

Sed ipſas Reipublicæ inverſiones, earumque cauſas oportet introſpicere. Quoniam verò nova ſemper Magiſtratuum vocabula deinceps occurrent, cùm ipſa Plebs nec Tribunis contenta alios petiviſſet à ſuo ordine creari Tribunis ſubminiſtraturos quidquid opus eſſet, liteſque eorum permiſſu dijudicaturos, Ædiumque ſacrarum, locorum publicorum, atque annonæ curam habituros, hocque etiam impetrârunt, eoſque tum Miniſtros, & ſocios Tribunorum, ac Judices appellabant, poſteà verò ab officiorum uno *Ædiles* dixêre, ideò nè ſæpiùs rerum ſerie interruptà de iis dicere opus ſit, nunc breviſſimo excurſu eos enumerare viſum eſt, de Tribunis ipſis incipiendo.

Tribunorum igitur nomine *Curatores*, vel *Præfectos alicui rei* ſignificari patet, adeoque *Tribuni militum*, & *Tribuni Ærarii* nuncupati, ac ſub Cæſaribus *Tribuni* etiam *voluptatum*, *Matrimoniorum*, *Scholarum*; adeoque *Plebis Tribunis* incumbebat initio contra Magiſtratus, & Patricios Plebi auxilio eſſe; unde his in prohibendo duntaxat, non autem in agendo poteſtas erat. Itaque ſupplices à vinculis liberare poterant, ædeſque eorum dies noctesque patere debebant, nec extra Urbem licebat pernoctare, neque enim ulla extra Urbem Poteſtas erat, niſi eſſent Latinæ feriæ, vel ſi Reipublicæ causâ abeſſe opus eſſet. Intercedebant igitur nedum Senatûs Conſultis, ſed omnium Magiſtratuum actis, atque etiam alter alteri ſolemni illo verbo *Veto*; unde cùm Agraria rogatio anno Urbis 309. Tribunis militum Conſulari Poteſtate *A. Sempronio Atratino*, *M. Papirio Mugillano*, *Sp. Nautio Rutilo*, *& Quinto Fabio Vibulano* à Plebis Tribunis promulgaretur, *Appius Claudius* Nepos ejus, qui Decemvir Legibus ſcribendis fuerat: *vetus ſe ac familiare conſilium domo afferre*, inquit, *Proavum enim ſuum Appium Claudium oſtendiſſe Patribus viam unam diſſolvendæ Tribunitiæ Poteſtatis per Collegarum Interceſſionem: facilè homines novos authoritate Principum de Sententia deduci, ſi temporum interdum potiùs, quàm Majeſtatis memor adhibeatur Oratio: pro fortuna illis animos eſſe, ubi videant Collegas Principes agendæ rei gratiam omnem ad Plebem præoccupâſſe, nec locum in ea relictum ſibi, haud gravatè acclinaturos ſe ad cauſam Senatûs, per quam univerſo ordini cum Primoribus ſe Patrum conciliarent*; Et quidem Appius anno Urbis 262. *M. Fabio*, & *Gneo Manlio* Conſulibus cum etiam

Digitized by Google

etiam annus ille Tribunum Legis agrariæ authorem habuiſſet, *victam*, inquit, *ad Patres Tribunitiam Poteſtatem priore anno, in præſentia re ipſâ, exemplo in perpetuum, quando inventum ſit, ſuis ipſam viribus diſſolvi. Neque enim unquam defuturum, qui & ex Collega victoriam ſibi, & gratiam melioris partis bono publico velit quæſitam. Et plures ſi pluribus opus ſit Tribunos, ad auxilium Conſulum paratos fore, & unum vel adversùs omnes ſatìs eſſe. Darent modò & Conſules, & Primores Patrum operam, ut ſi minùs omnes, aliquos tamen ex Tribunis Reipublicæ, ac Senatui conciliarent.*

Quod tandem ſenſit Tribunus Lucius Sextius, dum de Legibus promulgandis certabatur: de ære alieno; *ut deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus perſolveretur* : de re agraria, *nè quis plùs* 500. *jugera agri poſſideret*; deque Magiſtratibus promiſcuè ineundis, ut nempe *utique alter ex Plebe Conſul eſſet*; cùm enim Collegas, qui Tribunitiis hiſce rogationibus intercederent, Patricii comparâſſent: *bene habet*, inquit, *quandoquidem tantùm interceſſiones pollere placet, iſto ipſo telo tutabimur Plebem : Agite nunc Comitia, indicite Patres Tribunis militum creandis. Faxo nè juvet vox iſta, Veto, quâ nunc contendentes noſtros Collegas auditis*; adeoque ſe geſſit, ut ſolitudo Magiſtratuum præter Ædiles,
Tribunosque Plebis per quinquennium Urbem tenuerit. 380.

Tanta autem fuit *intercedendi vis, atque poteſtas*, ut qui non 381.
paruiſſet, ſive privatus, ſive Magiſtratus eſſet, extemplo per Via- 482.
torem in vincula duci juberetur, fiebatque apud Populum reus ſa- 383.
croſanctæ poteſtatis, bonaque amittebat. Cùm autem non inter- 384.
tercederent, litera *T.* ſubſcribebatur, quâ Tribunos cenſuiſſe indicabatur, adeoque licèt Conſul vetare potuiſſet, nè quid ſe invito ad Senatum referretur, Tribunis tamen hoc interdicere nequibat, imò ad Conſulis relationem aliquid addere, vel eam mutare poteſtas erat, nec ſi Conſul referre noluiſſet, Tribunus id facere, aut ejus relationi intercedere prohibebatur, nec ſi interceſſiſſet, aliud erat remedium, quàm *ad Populum referre*, licèt procedentibus temporibus adeò ſacroſanctâ illa poteſtate abuſi fuerint, ut quæ non placerent, cuncta reſcinderent, Tributorum Collationes, militumque delectum prohiberent; Senatum, Populique Comitia pro arbitrio cogerent, ac diſſolverent, Legesque, ſeu Plebiſcita figerent, quæ *poſt Legem Horatiam* anno Urbis 304. & *Legem Hortenſiam* latam anno 466. univerſum Populum tenebant, unde inquit Juſtinia-

U nus,

nus (*a*) *Sed & Plebiſcita Lege Hortenſiâ non minùs valere, quàm Leges cœperunt.* Agros etiam, Vectigalia, pecuniam publicam, Provincias, & Magiſtratus quibuſvis pro libitu dabant, adimebantque. Hinc Cicero de Legibus 3. *Plebs*, inquit, *quos pro ſe contra vim auxilii ergò creâſſit, Tribuni ejus ſunto, quodque iis prohibeſſint, quodque Plebem rogaſſint, ratum eſto. Cum Patribus, Populoque agendi jus habento, iidem ad Plebem, quod cenſuerint, ferunto. Sanctique ſunto, neque Plebem orbam Tribunis relinquunto;* quare jure optimò ibidem inquit, *natâ Poteſtate Tribunitiâ gravitatem Optimatium cecidiſſe, & convaluiſſe jus multitudinis.* Creati ergo ſemper ex Plebe fuêre, unde Patriciorum ad Plebem ex adoptione tranſire mos, ut *Tribunitiam Poteſtatem* aſſequerentur, nec in Senatum admittebantur, ſed ante valvas Curiæ ſedebant in Subſelliis, licèt Senatum habere poſſent. Poſteà verò *Plebiſcito* etiam cautum fuit, nè quis niſì Senator plebejus *Tribunus plebis* crearetur. Et licèt ab initio 5. fuerint, ùt diximus, ii tamen anno Urbis 297. ad 10. aucti fuêre, & *Comitiis Tributis* creabantur, illisque præerat unus ex *Tribunis plebis* ſorte ductus; ſi verò Comitia dirempta eſſent, antequàm Tribuni 10. crearentur, reliquos Collegæ cooptabant, licèt hoc *Treboniâ Lege* anno Urbis 305. fuerit abrogatum, & Lege cautum, ut qui *Tribunos plebis* in annum ſequentem non creâſſent, vivi cremarentur. Magiſtratum autem inire ſolebant quarto Idus Decembris.

Sylla tamen armis oppreſsâ Republicâ *latâ Lege* anno Urbis 272. ſanciri curavit, nè *qui Tribunus plebis fuiſſet alium deinceps Magiſtratum caperet, néve iis jus eſſet concionandi, vel Leges ferendi, néve ad eos provocaretur*, adeoque auxilium duntaxat, nudamque interceſſionem iis reliquit. Sed Cotta primùm Conſul poteſtatem Magiſtratûs capiendi reſtituit. Omnia verò *Pompejus* ille, qui *Magni* cognomen meruit, atque ità uſque ad Julii Cæſaris necem perſtitit. Translatâ deinceps in Auguſtum, reliquosque Cæſares Senatûs-Conſulto Tribunitiâ poteſtate, uſque ad Conſtantini Magni tempora videtur Simulacrum perdurâſſe, cùm poſteà ſubſecutos Cæſares nec vocabulo uſos fuiſſe legatur.

De Ædilibus.

Ædiles autem, de quibus diximus, ità nuncupati, quoniam *Plebiſcita* in Æde Cereris aſſervabant, ſeu etiam, quia curarent cùm publicas tum privatas Ædes, fueruntque *plebei Curules, & Cereales.* Plebei verò eodem tempore, quo Tribuni plebis creati fuêre, initio quidem

(*a*) *Inſtit.* 1. *Tit.* 2. *ſ.* 4.

quidem *Curiatis Comitiis*, ſed poſt *Legem Publiliam*, ut reliqui minores Magiſtratus, *Tributis*. *Curules* verò anno Urbis 387. creati ſunt, ut ſolemnes curarent ludos; cùm enim propter nova Plebis certamina oportuiſſet Conſulatum etiam promiſcuum reddere, Senatui placuit partâ concordiâ diem unum ludis maximis adjicere, cùmque recuſâſſent id munus plebei Ædiles, Patriciis datum eſt adoleſcentibus, qui alacres fuêre *Deorum causâ* eam curam ſuſcipere, atque ità duo *Ædiles* facti ſunt, licèt ſequenti anno & hic Magiſtratus Plebi communis evaſiſſet. Dicebantur autem *Curules*, quoniam *curuli ſellâ* ùt majores Magiſtratus utebantur. Additi hinc anno Urbis 709. à Julio Cæſare duo alii, quibus annonæ curam commiſit, unde *Cereales* dicti, ſemperque è Patriciis creati. De Ædilibus autem Cicero de Legibus 3. ità loquitur: *Suntoque Ædiles Curatores Urbis Annonæ, Ludorumque ſolemnium, ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adſcenſus eſto.*

Igitur propter curam Urbis cùm publica tum privata curabant Ædificia, Templa nempe, Porticus, &c. privata verò, nè collapſa ruerent, locaque etiam publica, vias, Balnea, &c., coërcebant luxum, libidinesque fornicum, & Popinarum, multaque alia ad tuitionem Urbis pertinentia exercebant, ritus quoque funerum curabant, utque nè *Dii*, vel *Sacra peregrina* in Urbe colerentur, ſatagebant.

Municipia etiam duos Ædiles habuêre, qui tamen Cenſorum vices obire videbantur, licèt in aliquibus nulli alii Magiſtratus crearentur, hinc *Summi Ædiles* à Juvenali nuncupantur. (*a*)

Quamvis autem inter Magiſtratus Romanorum Ædiles numerentur, non tamen vocationem, aut præhenſionem habebant, nec Lictoribus, vel Viatoribus utebantur; ſed ſervis duntaxat publicis: hinc etiam à privato in jus trahebantur, ùt infrà fuſiùs diſſeremus.

De Quæſtoribus.

Origo autem *Quæſtoribus* creandis antiquiſſima eſt, & penè ante omnes Magiſtratus; ipſum enim Romulum & Numam Pompilium binos *Quæſtores* habuiſſe, quos ipſi non ſuâ voce, ſed *Populi ſuffragio* creabant, opinio eſt. Sed ſicuti dubium eſt, an Romulo & Numâ regnantibus *Quæſtor* fuerit, ità Tullo Hoſtilio Rege *Quæſtores* fuiſſe certum eſt. Sanè crebrior apud Veteres opinio eſt, Tullum Hoſtilium primùm in Rempublicam induxiſſe

(*a*) *Satyr.* 3. *Verſic.* 179.

Quæſtores. Creati poſtmodum à Conſulibus ad annum Urbis 307. unde Tacitus : (*a*) *Sed Quæſtores*, inquit, *Regibus etiam tum imperantibus inſtituti ſunt, quod Lex Curiata oſtendit à Lucio Bruto repetita, manſitque Conſulis poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret, creatique primùm Valerius Potitus, & Mamilius Mamertus 63. anno poſt Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur: Dein gliſcentibus negotiis duo additi, qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus ſtipendiariâ jam Italiâ, & accedentibus Provinciarum Vectigalibus.* Pòſt *Lege Syllæ 20. creati ſupplendo Senatui, cui Judicia tradiderat, & quanquam Equites Judicia recuperaviſſent; Quæſtura tamen ex dignitate Candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuitò concedebatur, donec Sententia Dolabellæ velut venumdaretur.* A' Julio Cæſare verò 40. ſunt facti, quorum quidam à Populo, quidam ab Imperatore creati videntur: ex his tamen 2. tantummodò ſortiebantur Ærarium, qui Urbani dicti fuêre, reliqui verò Provinciales, ſeu militares dicebantur.

Urbanorum autem munus erat præcipuum *Ærarii cura* quod in Æde Saturni aſſervabatur. Leges quoque & Senatûs-Conſulta cuſtodiebant, ſignaque militaria ex Ærario ad Conſules dum proficiſcebantur cum exercitu mittebant; prædam ex hoſtibus, bonaque damnatorum vendi ſub haſta curabant, &c.

Provincialium verò munus erat, tum Conſules, tum Prætores in Provincias, quas ſortiebantur, comitari, utque ſtipendia, & annona Exercitui ſuppeterent, curare; omniumque rationem ad Ærarium referre; pecuniam militum privatam apud ſigna depoſitam cuſtodire, juriſdictionemque à Præſidibus mandatam exercere, unde eorum munus, quoties Provinciâ deceſſiſſent, *Quæſtores* obibant.

Quæſtores autem *Urbani* nec Lictorem, nec Viatorem habuêre, cùm vocatione, vel præhenſione carerent. Militaribus autem, ſeu Provincialibus Lictores aderant ſaltèm abſente Præſide. *Quæſturæ* autem *fides*, *Ædilitatis magnificentia*, *Præturæ diligentia & integritas* viam ad *Conſulatum* ſternebant. Gerebatur *Quæſtura* circa 27. aut 28. ætatis annum, quique eo Magiſtratu functus erat, in Senatum admittebatur, licèt nondum Senator eſſet; ſub Imperatoribus autem nunc abrogata, nunc reſtituta *Quæſtura* eſt, aliisque *Ærarii Præfecturæ* mandata, exorto alio Quæſtorum genere, *Can-*

(*a*) *Annal.* 11.

Digitized by Google

Candidati nempe Principis, qui Epiſtolas ejus in Senatu legebant; *Quæſtores* etiam Palatii, qui ferè cum Cancellariis hujuſce temporis conveniunt, de quibus tamen alibi.

De Prætore Urbano, & Peregrino.

Prator autem primò creatus eſt anno Urbis 387. Sp. Furius Camillus, nedum ut *jus diceret*, nam Conſules frequentibus bellis impliciti non ampliùs juri dicundo vacare poterant, ſed ut communicato cum Plebe Conſulatu *Patriciorum peculiaris alter Magiſtratus eſſet*; creabatur autem *Centuriatis Comitiis*, iiſdemque auſpiciis ùt Conſules. Anno autem Urbis 510. creatus eſt *Peregrinus* etiam *Prator*, qui nempe inter Cives & peregrinos jus diceret, unde alter Urbanus vocabatur, atque honoratus, jusque Edictis ejus ortum, *honorarium*. Sed anno Urbis 526 duo additi, qui Sardiniam & Siciliam jam redactas in Provinciæ formam regerent, ùt & ad Hiſpanias regundas anno 556. duo alii creati ſunt. Anno tamen 561. Lege *Bebbiâ* conſtitutum fuit, ut alternis annis 4. duntaxat crearentur, quorum duo *Urbanus* nempe & *Peregrinus* in Urbe manerent, reliqui ad ſortitas Provincias deberent proficiſci; conſtitutis autem Quæſtionibus perpetuis anno Urbis 605. *Pratores* Urbanus & Peregrinus jus dicebant in cauſis privatorum, 4. alii eas à Senatu pro temporum ſtatu decretas exercebant, primæque fuerunt *de repetundis*, *de ambitu*, *de Majeſtate*, *deque peculatu*. Sylla iis adjecit Quæſtiones *de falſo*, quod Judicium etiam adversùs monetarios exercebatur, de *Sicariis*, & *Parricidis*, & *Veneficis*. Deinceps autem plures aliæ adjectæ ſunt, ùt *de corrupto Judicio*, *deque vi publica & privata*, licèt etiam extra ordinem aliquando Populus, vel Senatus de criminibus cognoſceret.

Eaque de cauſa Syllam ad 10. *Pratores* auxiſſe ſcripsêre nonnulli, quod certè Julius Cæſar effècit anno Urbis 707. qui etiam ad 14., ac tandem ad 16. auxit. Auguſtus autem 12. primò creavit, & deinceps 16., quibus Claudius adjecit duos, ut de *Fideicommiſſis* jus dicerent, è quibus unum detraxit Titus, Nerva reſtituit, juſſitque *inter privatos*, *& Fiſcum* jus dicere. Marcus autem Aurelius Antoninus vulgò Philoſophus *Tutelarem* etiam *Pratorem* inſtituit. Sed decreſcente paulatim Imperio *Pratorum* numerus etiam minuebatur, ità ut Valentiniani, & Marciani temporibus 3. duntaxat crearentur, qui Juſtiniani ætate creari quoque deſivêre.

Utebatur autem *Prator* Lictoribus *cum faſcibus* ſaltèm extra

Urbem, duoque ad minimùm ſemper preſtò eſſe tenebantur; *togâ* etiam *prætextâ*, quam primo Magiſtratûs die in Capitolio ſumebat, *ſellâque Curuli*, quæ in Tribunali, quod erat altior locus, in Emicycli formam ponebatur. *Haſta* quoque & *Gladius* in jurisdictionis & Imperii ſignum inſignia ejus fuere.

Curabat autem quoque ludos, præſertim qui in Circo debebant celebrari, ùt *Megalenſes*, *Florales*, &c. Abſentibus verò Conſulibus eorum fermè munia obibat, nam Senatum cogebat, ſententias rogobat, Comitia, & Conciones ad Populum habebat; ſed præcipuum munus jurisdictio erat, unde Cicero (*a*) *Juris*, inquit, *diſceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, Prætor eſto. Is Juris Civilis cuſtos eſto, huic poteſtati parento.* Hinc *Juris Quiritium* cuſtos dicebatur, deque ejus edictis cùm *peregrinus Prætor*, tum *Provinciales* Leges edicebant ſuas, unde *Prætor quoque Maximus* dictus eſt, Jurisdictionemque *tribus* duntaxat *verbis* effabatur, *Do* nempe, *Dico*, & *Addico*, quibus *dandi judicii*, *ferendæ ſententiæ*, *judicatumque exequendi* poteſtas ſignificabatur; cognoſcebatque cùm è Tribunali per Decretum, tum de plano ſive per libellum in cauſis minimis, faſtis ſolummodò diebus, quaſi ſcilicet iis duntaxat *illa verba fari liceret*; conſcribebat autem ſelectorum Judicum Decurias juratus ex eo ordine, penes quem Judicia erant, ex Decuriis verò tum ipſe, tum alii Prætores ſibi Judicum Concilia ſortiebantur; atque initio magiſtratus in *Albo* Edictum proponebant, juxta quod eo anno jus dicturus eſſet, unde *Lex annua* dicebatur, juxtaque Edicta anno Urbis 686. juſſi ſunt perpetuò jus dicere, cùm quandoque ab iis diſcedere conſueſſent, quæ *Hadriani* temporibus *Salvius Julianus* in unum collegit, quod *Edictum perpetuum*, ſeu *ipſummet honorarium Jus* fuit appellatum; procedentibus verò temporibus nîl ferè præter ludorum curam *Prætoribus* relictum fuit. Quare Boëtius *Præturam* vocat *inane nomen, & Senatorii Cenſûs Sarcinam gravem.*

De Præfecto Urbi.

Præfectus verò *Urbi* initio Reipublicæ fuit, cùm enim Reges, & poſteà Conſules ad bella proficiſcerentur, aliquem ſubſtituebant, qui Regia, vel Conſularia munia obiret, & hic *Præfectus Urbi* dicebatur; nedum igitur *Senatum habere, eum conſulere, ſed cum Populo agere*, adeoque *Centuriata Comitia celebrare* poterat, quanquam *pro Comitiis Magiſtratuum* Dictator potiùs creabatur, ſi opus erat; ſed creato *Prætore*, cùm ipſe *Conſulum* munia obiret, *Simulacrum* dun-

(*a*) *De Legib.* 3.

Digitized by Google

duntaxat manſit, ob Latinas Ferias Religionis causâ, unde: *Anteà*, Tacitus inquit, (*a*) *profectis domo Regibus, ac mox Magiſtratibus, nè Urbs ſinè imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac Subditis mederetur. Feruntque ab Romulo Dentrem Romuleum, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Martium, & ab Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impoſitos. Dein Conſules mandabant, duratque Simulacrum quotiens ob ferias Latinas præficitur, qui Conſulare munus uſurpet. Cæterum Auguſtus bellis Civilibus Cilnium Mæcenatem Equeſtris Ordinis cunctis apud Romam, atque Italiam prapoſuit. Mox rerum potitus ob Populi magnitudinem, ac tarda Legum auxilia ſumpſit è Conſularibus, qui coërcerent ſervitia, & quod Civium audaciâ turbidum, niſi vim metuat*, unde quaſi Vicarius Principis erat, & omnia omninò crimina ſibi vindicavit, nec tantùm ea, quæ intrà Urbem, verùm extra quoque, ùt diſertè *L. 1. ff. de Offic. Fræfecti Urbi* continetur; Judicia porrò publica, in quibus nempe de criminibus quærebatur, olim à Quæſtoribus extra ordinem à Populo conſtitutis exercebantur, quoniam *de Capite Civis Romani injuſſu Populi non erat Lege permiſſum Conſulibus jus dicere*, unde *Quæſtores parricidii* appellabantur, quorum etiam meminit Lex XII. Tabularum. Verùm anno Urbis 605. conſtitutis Quæſtionibus perpetuis, ùt diximus, *quatuor Prætores* eas exercebant, licèt aliæ etiam, vel ob atrocitatem, vel ob criminis novitatem tum à Populo ipſo in Comitiis, tum â Quæſtoribus ab eodem extra ordinem conſtitutis exercerentur; nam de inceſtu Veſtalium extra ordinem quæſivit Lucius Caſſius Longinus, & de nece Clodii Lucius Domitius Ænobarbus, & Marcus Æmilius Scaurus à Quinto Vario Hiſpano accuſatus, quòd Socios ad arma concitaverit, cauſam dixit apud Quæſitorem extraordinarium Quintum Cœpionem, dixitque: *Quintus Varius Hiſpanus Marcum Scaurum Principem Senatûs ſocios in arma ait concitâſſe; Marcus Scaurus negat, teſtis eſt nemo, utri vos convenit credere?* Unde dimiſſus eſt. Cùm autem aliquis ad Populum, ſeu à Tribuno-plebis, ſeu ab alio Magiſtratu accuſabatur, *è roſtris* Populo ipſo per Preconem convocato, *dies dicebatur* ad audiendum objectum crimen, atque ſi capitale eſſet, *Vades*, ſi autem mulctam merebatur, *Prædes* à Reo petebantur, quos ſi dare neglexiſſet, uſque ad indictam diem in Carcere ſervabatur; die autem Judicii Reus per preconem è roſtris citari debebat, & ſi non comparuiſſet, neque excuſatus eſſet, nullusque par, aut major Magiſtratus interceſſiſſet, *mulcta ei dicebatur.* Eo autem com-

De Judiciis Romanorum.

(*a*) *Annal.* 6.

comparente Accuſator per Teſtes, aut ex Tabulis accuſationem inſtituebat, eamque intermiſſâ die peragebat, pœnamque aut mulctam pro arbitrio dicebat, quæ *Anquiſitio* appellabatur; poſteà verò rogationem ſcriptam, quâ crimen & pœna continebatur, per tres nundinas promulgabat, ipſiſque tertiis nundinis quartam accuſationem peragebat; tumque poteſtatem reus habebat ad dicendum, poſt quæ Magiſtratus, à quo accuſatio inſtituebatur, diem Comitiis edicebat, vel ſi *Tribunusplebis* eſſet Accuſator de crimine *perduellionis*, diem Comitiis à majore Magiſtratu petebat; tumque ſordidatus reus cum amicis ſupplex Populum prenſabat; Judicium namque ſuffragiis peragebatur, & reus vel majori ſuffragiorum numero abſolvebatur, vel damnabatur, niſi interceſſio ſecuta eſſet. Judicium autem aliquando *auſpiciis*, vel *excuſatione aliqua morbi*, *exilii*, aut *funeris causâ* differebatur, ùt etiam, ſi diem accuſator produxiſſet, aut accuſationem deſeruiſſet. Aliquando autem Pater ipſe privatum Judicium peragebat, ùt alibi diximus, & quidem *Titus Manlius Torquatus* Juris-Conſultus ſervato Judicii ordine cauſam filii *Junii Syllani Prætoris* cognovit, audivitque domi per biduum Legatos Macedonum, qui conquæſtum venerant apud Senatum, quòd acceptis pecuniis Provinciam ſpoliâſſet; tertiâ autem die hanc protulit Sententiam: *Cùm Syllanum filium meum pecunias à ſociis accepiſſe mihi probatum ſit, & Republicâ, & domo meâ indignum judico, protinusque è conſpectu meo abire jubeo*; cùmque ſuſpendio vitam finiiſſet, nèc funeri interfuit, ſedensque domi eos audivit, qui eundem ex inſtituto conſulebant.

De ordine autem publici Judicii coram *Prætoribus*, deque privatis Judiciis inane duximus verba facere, cùm apud Authores paſſim de iis ſermo habeatur.

Eſſet nunc de cæteris Romanorum Magiſtratibus mentio facienda, quoniam verò major eorum pars ad Provinciales refertur Magiſtratus, & alii florente Imperio viguêre, eos verò, qui Reipublicæ temporibus creati ſunt, partim commemoravimus, partim etiam infrà ipſorum originem, progreſſumque agnoſcemus, ideò è diverticulo redeuntes in viam, nedum Reipublicæ motus, ſed interitum à *Tribunitia Poteſtate* tunc primùm adeò levi de cauſa in Rempublicam invecta proceſſiſſe fatendum eſt; nec propterea duntaxat *Agrariæ Leges*, quæ effectus erant Tribunitiæ Poteſtatis, ſed *Tribunorum* creatio ob illam ſeceſſionem Plebis in Sacrum Mon-

tem

tem propter Creditorum ſævitiam, cui *Optimates* mederi fas erat, Rempublicam labefactavit, atque propterea dum *Optimates* Plebe abutebantur, eorumque potentiam ſtudebant intendere, ad *Oligarchiam* vergentes, totam fermè amisêre, paulatimque in Plebis poteſtatem incidiſſe viſi ſunt. Quæ quantùm inviſa Patriciis fuerit, *Martius Coriolanus* datâ occaſione, dum Caritas annonæ Urbem oppri- meret, demonſtravit: *Si annonam, inquiens, veterem volunt, jus priſtinum reddant Patribus. Cur ego plebejos Magiſtratus, cur Sicinium potentem, pollentemque video ſub jugum miſſus, tanquam à latronibus redemptus? Egone has indignitates diutiùs patiar, quàm neceſſe eſt? Tarquinium Regem, qui non tulerim, Sicinium feram!* immaneque præbebat conſilium, Plebem, ſcilicet, adeò fame premendam eſſe, frumento ex Sicilia advecto denegato, ut extortâ ſeceſſione, ac vi Patribus jura reddere adigeretur, quod erat in deſperationem Plebem ipſam vertere, ut pejora etiam auderet atque immania; jamque irata clamitabat: *fame ſe ſicut hoſtes peti, cibo victuque fraudari: peregrinum frumentum, quæ ſola alimenta ex inſperato fortuna dederit, ab ore rapi, niſi Cajo Martio vincti dedantur Tribuni, niſi de tergo Plebis Romanæ ſatisfiat. Eum ſibi carnificem novum exortum, qui aut mori, aut ſervire jubeat.* Igitur in exeuntem è Curia impetus factus eſſet, niſi peropportunè *Tribuni* diem dixiſſent. Atque ità poteſtatem ſuam exſerere cœpit *Sacroſanctus ille Tribunatus*, Plebe ad judicandum admiſsâ, capitalia de Patriciis exercendo judicia, nec *Centuriatis Comitiis*, quibus advertebant, *Optimates* plus poſſe, *ſed Tributis* agitata, *ut Populi judicium penes Plebem eſſet*; cumque veniſſet dies, *Tribunus ille Sicinius*, quem nec ferre poſſe jactaverat *Martius*, eum accuſat *affectatæ tyrannidis*; quo crimine cùm abſolvi cerneret, aliud profertur, *prædâ*, nempe, *hoſtium fraudâſſe Rempublicam*; Lex enim erat, nè Ducem quidem Exercitûs in eam jus habere, nedum privatum aliquem, ſed *Quæſtoris* eſſe eam vendere, atque referre pecuniam in Ærarium; criminabatur autem, prædam ex Antiate Agro amicis largitum fuiſſe. Ità precantes Patres, ſupplicesque Plebs vidit pro *Martio*: *unum ſibi Civem, unum Senatorem ſi innocentem abſolvere nollent, pro nocente donarent.* Sed cùm ille judicio non adfuiſſet, perpetuo damnatus exilio in Volſcos abiit, quorum Dux factus, bellum movit contra Patriam, 5000. ab Urbe paſſuum poſitis Caſtris, miſſosque de pace Oratores reſpuit: *memorem ſe, inquiens, & Civium injuriæ, & hoſpitum beneficii, adniſurum, ut*

De Judicio Coriolani.

X *appa-*

appareat, exilio ſibi irritatos, non fractos animos eſſe. Sacerdotes quoque ſuis inſignibus velatos ſupplices repudiavit *Martius.* Tum *Mater Veturia, Uxorque Volumnia*, incertum an publico Conſilio, Caſtra adeunt cum liberis, nepotibusque; & *Coriolanus* propè ùt amens conſternatus à ſede ſua, cùm ferret Matri obviæ complexum, mulier in iram ex precibus verſa: *Sine, ſine, priuſquam complexum accipio, ſciam,* inquit, *an ad hoſtem, an ad filium veniam: captiva Mater nè in Caſtris tuis ſim. In hoc me longa vita, & infelix ſenecta traxit, ut exulem te, deinde hoſtem viderem. Potuiſti populari hanc terram, quæ te genuit, atque aluit? Non tibi, quamvìs infeſto animo & minaci pervenias, ingredienti fines, ira cecedit? non cùm in conſpectu Roma fuit, ſuccurrit:* intrà illa mœnia domus ac penates mei ſunt, Mater, Conjunx, liberique? *ergo ego, niſi peperiſſem, Roma non oppugnaretur; niſi filium haberem, in libera Patria mortua eſſem. Sed ego nihil jam pati, nec tibi turpiùs quàm mihi, miſeriùs poſſum: Nec ut ſim miſerrima diu futura ſum. De his videris* (filios, & uxorem oſtendens) *quos, ſi pergis, aut immatura mors, aut longa ſervitus manet.* Virumque jam perſonam Civis exutum, quem Legati, Sacerdotesque non flexerant, *muliebres querele vicère*; ità nec dum oportebat, ſe geſſit *ùt vir*, nec dum Romæ fuit, elatos adeo gerendo ſpiritus, *ùt bonus Civis.* Sed ille impetu, non conſilio ducebatur; quare uxorem, ac liberos amplexatus, Exercitum ex Agro Romano abduxit, exulque periit.

De Spurio Caſſio Viſcellino.

Sed fœcundior ſeditionum, Urbanorumque motuum ſeges *Spurio Caſſio Viſcellino Conſule atque Authore* orta. Is enim devictis Volſcis, atque Hornicis, Regni cupidine flagrabat; neque propterea Plebem Romanam duntaxat, ſed Hernicorum, cum quibus *authoritate Senatûs* fœdus pepigerat, atque in Societatem, amicitiamque Populi Romani inſtar Latinorum receperat, ſibi conciliare nitebatur; hinc advocatâ Concione, haud modò hoſtibus duntaxat *ademptum agrum* Romanæ Plebi, Hernicis, Latiniſque dividendum, ſed *publicum etiam* à Nobilibus, Divitibusque occupatum dividi oportere pro Concione diſſeruit: Tumque primùm occupati agri dividundi mentio facta eſt, *Lexque Agraria*, quæ nunquam ſinè maximis Reipublicæ motibus propoſita, agitataque fuit, promulgari cœpta; de qua propterea pauca præfari neceſſe ducimus. Atque abſolutè *Agraria Lex* tum in agro hoſtibus occupato dividendo inter Plebem verſabatur, tum etiam cum Colonis dividendus eſſet, nempe cum

De Lege Agraria.

Colo-

Digitized by Google

Colonia deduceretur, tunc enim Senatûs-Conſulto, & Lege nedum eorum, qui deducendi eſſent in agros, ſed quot agri jugera ſingulis aſſignari oporteret, cavebatur; limitesque in agrorum diviſione præſcribebantur; quare Magiſtratus, *Triumviri* nempe, ſeu *Quinqueviri Coloniæ deducendæ* creabantur, qui Civibus in forum vocatis dare nomina jubebant, ſique plures, ſeu pauciores nomina dediſſent, quàm *Senatûs-Conſulto*, & *Lege* cautum eſſet, recurrebant ad ſortes.

De modo deducendæ Coloniæ.

Hi autem *accepto Imperio*, *captisque auſpiciis*, Cives ex Urbe in agrum ſub vexillo deducebant, quaſi Exercitum ducerent, alterque eorum præerat ùt ſummus Dux. Agrum autem circumſcribebant aratro junctis ad jugum *Tauro*, & *Vaccâ* albicoloribus; poſteà verò dividebant deſignatis limitibus, ſtatutisque terminis.

De Limitibus.

Limites autem aut *Decumani* vocabantur, qui Orientem, & Occidentem reſpiciebant, aut *Cardines*, qui Meridiem, & Septentrionem, aliàs etiam dicti Prorſi ab Occidente in Orientem, atque à Septentrione ad Meridiem Transverſi, priùs namque Decumanos à menſura 10. actuum nuucupabant, erantque multarum ſpecierum, ùt *Actuarii*, *Auguſtei*, *Auſtrinales*, *Cardines*, *Colonici*, *Cultellarii*, *Decumani*, *Diagonales*, *Duodecimani*, *Egregii*, *Gallici*, *Gracchani*, *Hypothenuſeles*, *Interciſivi*, *Juliani*, *Linearii*, *vel Subruncivi*, *&c.* ùt quoque *Termini*, quorum præſertim nominantur *Area* in quadrifinio, *Botontones*, *Canabula* *Congeries Carbonum*, qui mixti eſſent cum Calce, *Ciſterna* cum termino ex vivo lapide, *Cypreſſus*, *flumen*, *foſſa*, *glarea fluminis*, *Ermula*, *Imbrices*, *Lapis*, *Cumulus lapidum*, *Lapis intrà lapidem in Triſinio*, *Laterculus quadrangulus*, *&c.*

De Terminis.

Ponebantur autem *Termini* adductis victimis ſinè macula, latisque lapidibus, quos erant conſecraturi *igne*, *thure*, *omnique frugum genere*; tunc faciebant foſſas, proximaq; loca *unguento*, vel *oleo* ungebant, ac mactatâ victimâ ſacrificabant *Deo Termino*, ponebantque faces ardentes in foſſis, quibus coopertis inſtillabant ſanguinem victimæ, projectisque *thure*, ac *frugibus*, dum omnia Ignis conſumpſiſſet, lapides ponebant ſuper calidas reliquias, eosque firmabant. Lapides autem ſecundùm numerum agros poſſidentium, qui ſe vicinitate attingebant, ponebantur; unde ſi tres erant, *Triſinium* dicebatur locus, ùt *Quadrifinium* ſi 4., omnesque ſacrificabant, renovabantque Sacrificium ſingulis annis; Lapides autem diverſimodè nuncupabantur, alii enim erant *ſiliceni*, alii *gallienſes*, *aſpratiles*, *auguſtei*, *ceſales*, *cromatici*, *ullagores*, *cultellati*, *decuſſati*, *dolati*, *egregii*, *formales*, *grammati*, *gemelli*, *Iſoſcelles*, *Iſopleuri*, *muti*, *paralelogrammi*, *rhombi*, *rhomboides*, *rigores*, *ſarcophagi*, *ſcalenii*,

ſcutellati, ſigniferi, trapecii, trigoniligonii, trigomontagonii, oſſigonii, &c. Eos autem literis ſignificabant, quarum A. *finem in proximam*, vel *aquam vivam* notabat. B. *Bifurtium*, vel *Trivium.* C. *Centuriam.* D. *Decimanum.* E. *Vallem ante ſe rivum, ſeu flumen, ſuperque ſub loco rectiore limitem per planitiem.* F. *Terminum in longinquo.* G. *Limitem tortuoſum auctorem ſui termini.* H. *grandes longitias Limitum, & ſigna rariora in fine.* I. *viam, vel rigorem collis, ſeu collem.* K. *Cardinem.* L. *terminum grammatum, & Aream finalem in longinquo, & Convallia in fine ejus fundi.* M. *fines quadras, & ſigna finalia in proximo.* N. *aquam proximam, fines quadras, & Aream marmoream à Septentrione*; O. *Sylvam à parte Septentrionali, & rivum currentem per ipſam Sylvam, & ſigna trans rivum.* P. *Pedaturam.* Q. *Rivum à limite.* R *terminos per Collicellum.* S. *multas aquas vivas ſuprà poſſeſſionem, quæ transirent alveum.* T. *trifinium.* U. *terminum in collem meridianum per limitem Orientalem.* X. *quadrifinium, & finem pro Decumano.* Y. *fontanam proximam ſub ſe.* Z. *denique fontem à parte ſiniſtra.*

De Legibus limitaneis.

Fueruntque de Terminis, ac Limitibus latæ Leges, quarum celebriores *Peducæa*, *Alliena*, ac *Flavia* fuêre; earumque primâ ità cavebatur: *Quæ Colonia hàc Lege deducta, quodve Municipium, Præfectura, Forum, Conciliabulum conſtitutum erit; qui ager inter fines eorum erit, qui termini in eo agro ſtatuti erunt, quo in loco terminus non extabit, in eo loco, is cujus is ager erit, terminum reſtituendum curato, utique rectè factum eſſe velit, idque Magiſtratus, qui in ea Colonia, Municipio, Præfectura, Foro, Conciliabulo, juri dicundo præerit, facito ut fiat.* Allienâ verò: *Qui limites Decumani hàc Lege deducti erunt: quæcunque foſſæ in eo agro erunt: qui ager hàc Lege datus, aſſignatus erit, nè quis eos limites Decumanos, nè obſepito, neve eos arato, neve eas foſſas obturato, neve quis ſepito, quo minùs aqua ire fluere poſſit. Si quis adversùs ea quid fecerit, 4. viris Colonis, Municipibusve ejus, in quorum agro id factum fuerit, damnas eſto.* Et Lege Flaviâ: *qui hâc Lege Coloniam deduxerit, Mancipium, Præfecturam, Forum, Conciliabulum conſtituerit in eo agro, qui ager intrà fines ejus Coloniæ, Municipii, Fori, Conciliabuli, Præfecturæ erit, limites Decumani ut fiant, curato, quique fines ità ſtatuerit, ſi fines eorum ſunt, dum nè extra agrum colonicum Territorium fines ducat, quique termini hâc Lege ſtatuti erunt, nè quis quem eorum ejicito, neve commoveto, ſciens dolo malo. Si quis adversùs ea fecerit, is in terminos ſingulos, quos ejecerit, locove moverit, ſciens dolo malo, 25. in Publicum eorum, quorum intrà fines is ager erit, dare damnas eſto, deque ea re Curatoris, qui hâc Lege erit, jurisdictio,*

Digitized by Google

ctio, Recuperatorumque datio, addictio eſto. Cùm recuperator hac Lege non erit, tunc quicunque Magiſtratus in ea Colonia, Municipio, Præfecturâ, Foro, Conciliabulo juridicundo præerit, ejus Magiſtratus de ea re juriſdictio, judiciſque datio, addictio eſto. Inque eam rem is, qui hâc Lege judicium dixerit, teſtibus publicè duntaxat in res ſingulas 10. *denuncianti poteſtatem facito, ità ut è Republica, fideque ſuâ videbitur. Et ſi is, unde ea pecunia petita erit, condemnatus erit; eam pecuniam ab eo, deve bonis ejus primo quoque die exigito, ejuſque pecuniæ, quod receptum erit, partem dimidiam ei, cujus unius operâ maximè is condemnatus erit, partem dimidiam in Publicum redigito. Quo ex loco terminus aberit, ſi quis in eum locum terminum reſtituere volet, ſinè ſua frande liceto facere, nève quid, cui, is ob eam rem hâc Lege damnas eſto.*

De prima Romani Agri diviſione.

Urbis autem *Agrum*, ùt diximus, primus diviſit *Romulus*; poſteà verò *Numa* aſſignavit etiam *novis Civibus*, cùm ex eo, quem *Romulus* poſtremò cœperat ex hoſtibus, tum ex eo, quem in uſum Reipublicæ ſervaverat. *Tullus* verò *Hoſtilius* etiam partem aſſignavit, quâ *Romulus* & *Numa* pro Regis Patrimonio, proque ſumptibus Regiæ Familiæ utebantur. *Servius* autem *Agros* Cæritibus, Tarquinienſibus, Vejentibus *ademptos* diviſit *novis Civibus*. Sed anno Urbis 246. *exactis Regibus Senatûs-Conſultum* in Sententiam *Lucii Junii Bruti* factum eſt, *ut Ager Tarquinii Superbi* divideretur in Plebem, uno tantùm Campo exempto, qui ſitus erat inter Urbem & Fluvium, qui jam anteà *Marti* ſacer erat, & Juventus in eo armis exercebatur. *Tarquinius* autem, *Religione contemptâ*, ſuis ſegetibus oppleverat; manſitque deinde *ſacer*, nam nec fruges aſportari permiſſum fuit; effuſæque in Tyberim, cùm vadis adhæſiſſent, illitæ limo Inſulam effecêre, quæ, *Æſculapio* ſacra, adeò crevit additis molibus, ut *eminens Area*, firmaque *Templis*, ac *Porticibus ſuſtinendis* evaſiſſet.

Cùm igitur Patricii *publici Agri* partem occupâſſent Magiſtratuum incuriâ, Caput illud Agrariæ Legis, quo Poſſeſſoribus agros eripi, atque in Plebem dividi jubebatur, ſeditiones excitabat, ùt & illud anno 385. latum *Lucii Sexti, & Caji Licinii Tribunorum plebis* rogatione, *nè quis ultrà* 500. *Agri jugera poſſideret, pecoris majoris* 100. *capita*, 500. *minoris*; cætera enim *Agrariæ Legis* Capita, quibus quis Ager, quibuſque hominibus, & quomodo dividi oporteret, jubebatur, ſinè ullo Civitatis motu ferebantur. *Caſſius* igitur primus eam peſtem in Rempublicam invexit; cùm enim *homines naturâ omnia concupiſcere apti ſint; nec quæ cupiunt, aſſequi*

 detur,

detur, ideò in eo, quo fruuntur bono nunquam acquieſcunt; hinc proptereà Romana Plebs nec creatione Tribunorum contenta, quam *neceſſitate* obtinuit, ſtatim cupiditatem exeruit, æquandi cum Patriciis fortunas ac Magiſtratus. Contentio autem fortunarum *quoniam plùs afficit hominum animos*, Rempublicam perdidit; propter eam namque ad arma tandem ventum eſt, adeò ut bellis Civilibus attrita Reſpublica in *Demagogorum* primò incidit poteſtatem, poſteà verò interitum pati debuit.

Erat cum *Sp. Caſſio Proculus Virginius Conſul*; utrique autem, licèt diverſâ incederent viâ, Plebi nimiùm indulgebant; Virginius namque *Civibus* tantummodò *Romanis* agros aſſignari cenſebat; ſed de publico, qui à privatis poſſidebatur, tempus non ferebat loqui, nimìs enim erat antiquatum malum, nec proptereà poterat ſinè Reipublicæ motu corrigi. Addidit *Caſſius*, ut magis ſibi reconciliaret Plebis animos, acceptam pecuniam pro Siculo frumento Plebi reſtituendam eſſe, adeò ut ſuſpicionem Regni moverit, ſuamque proptereà mercedem Plebs aſpernata, eum deſeruit; atque illi, poſtquàm *Magiſtratu* abivit, diem dixêre *Cæſo Fabius, & Lucius Valerius Quæſtores*, quâ *affectatæ tyrannidis* reus à Populo habitus, damnatus, ductusque in foro è rupe ſpectante Populo præceps datus; licèt alii ipſummet *Caſſii* Patrem cognitâ causâ domeſticâ animadverſione verberatum necâſſe ſcripſerint, peculiumque filii *Cereri* conſecrâſſe; unde ſignum ex ære factum, inſcriptumque: *Ex Caſſia familia datum.* Sed Ædes publicè dirutæ *judicium Populi* fuiſſe arguunt. Interim tamen *Senatûs-Conſultum* ſcriptum erat, ut *Decemviri creati è Conſularibus natu maximi*, terminato agro publico, pronunciarent, *quantum ejus locandum fuerit, quantum dividendum Populo; utque Sociis Jus Civitatis adeptis, ſi quis poſthâc ager communi militiâ partus fuerit, ſua cuique portio ex fœdere contingeret. Electionem autem Decemvirorum & agrorum diſtributionem, & quidquid curandum erat, curarent futuri Conſules*; quod cùm neglexiſſent, dempto authore, *illius exequutio vehementiùs ſubibat animos*; hinc nullum præter bella externa remedium aptiùs videbatur; & proptereà bellum paratur in Volſcos & Æquos; quibus confectis Vejentes aggreſſi ſunt, nec eò tempore contentionibus ceſſatum; cùm *Spurius Licinius*, & ſequenti anno *Tribunus alter Tiberius Pontificius* neceſſitatem *Agrariæ Legis* injungere Patribus conati ſunt, impediendo delectum, ſed Patres, *Appii* Conſiliô, ùt ſuprà diximus, *Interceſſione Sociorum* vicêre,

De Senatûs-Cõſulto Agri dividundi

cêre, nè Lex perferretur. Adeò tamen concitati erant Plebis animi, ut in bello adverſùs Æquos *Fabius Conſul* pedites viderit nec inſtructos ſtare, injuſſoſque ſigna referre, execrantes Imperatorem, navatamque ab Equite Operam; ſolô enim Equitatu emiſsô Exercitum fugarat; quod, cùm ſenſiſſent Hetruriæ Populi, Vejos undique auxilia conveniunt, cùm in ſpem veniſſent, *diſcordiâ inteſtinâ diſſolvi rem Romanam poſſe*; quare Principes fremebant in Conciliis: *Æternas opes eſſe Romanas, niſi inter ſemetipſos ſeditionibus ſæviant. Id unum Venenum, eam labem Civitatibus opulentis repertam, ut magna Imperia mortalia eſſent. Diù ſuſtentatum id malum, partim Patrum Conſiliis, partim patientia Plebis, jam ad extrema veniſſe. Duas Civitates ex una factas: ſuos cuique parti Magiſtratus, ſuas Leges eſſe. Primùm in delectibus ſævire ſolitos, eosdem in bello tamen paruiſſe ſuis Ducibus, qualicunque urbis ſtatu, manente diſciplinâ militari ſiſti potuiſſe; jam non parendi Magiſtratibus morem in Caſtra quoque Romanum militem ſequi. Proximô bellô in ipſo certamine conſenſu Exercitûs traditam ultrò Victoriam, victis Æquis; Signa deſerta. Imperatorem in Acie relictum, injuſſu in Caſtra reditum; profectò ſi inſtetur, ſuo milite vinci Romam poſſe. Nihil aliud opus eſſe, quàm indici, oſtendique bellum; cætera ſuâ ſponte fata, & Deos geſturos.*

De rerum Urbanarũ Statu.

Hæc quidem retuli, ut rerum Urbanarum Statum velut antè Oculos exhiberem; tantùm enim Magiſtratibus Plebi conceſſis malorum ſibi arceſſivêre Patricii, ipſam ad eam neceſſitatem redigentes, ut armata ſecederet, utque proprios Magiſtratus pro ſecuritate peteret; miror autem, *Oligarchiam* intendiſſe *Optimates*; *unde invertendæ Reipublicæ causâ*, dum Urbano milite, ipſaque propterea Plebe uterentur ad gerenda bella, quare ipſis oportebat *Ariſtocratiam* æquiſſimis Legibus temperare; atque è Plebe Magiſtratus aliquos cooptare, qui tamen ſub Authoritate *Patrum*, & *Conſulum* Imperio eſſent; ſatis enim libertati cautum erat, dum Populus *Centuriatis Comitiis* Summa Reipublicæ negotia expediebat, adeoque ſuffeciſſet, Plebejos non adeò negligere, ut fermè pro ſervis empticiis haberentur. Ære autem alienô oppreſſis opem ferre debebant, illamque Legem, quâ in Corpora ſæviebatur, temperare; præſertim cùm Ære alienô obſtricti eſſent, quoniam pro Republica ſinè ſtipendiis militare debebant.

A creatione igitur *Tribunorum* non ampliùs manſit regularis ille Reipublicæ ſtatus, ſed in corruptam abivit formam, cùm Magiſtra-

Digitized by Google

giſtratus ipſi ſe mutuò impedirent, *Tribuniq́ue* nullis tenerentur Legibus, ſuisq́ue Interceſſionibus turbarent univerſa.

Sed Plebem advertemus ab eo tempore majores ſemper cupiditates explicantem, & nunquam ceſſantem, donec cuncta Reipublicæ munia invaderet; ac nisì Vejens hoſtis, Hetruſciq́ue laceſſendo ad pugnam, convitiaq́ue jactando, militum animos incendiſſent, ut ipſi frequentes in Prætorium convenirent, pugnare poſcerent, ſignumq́ue dari poſtularent; vera dixiſſe Primores Hetruſcorum, eventu rerum fuiſſet comprobatum; tunc autem ſummâ virtute, arreptâ occaſione *Conſul Fabius*, cùm non ultrà contumeliam pati milites poſſe animadverteret, tergiverſatur, ut iram magìs acueret, utq́ue Religione vinciret animos; creſcente igitur tumultu verſus ad Collegam *Manlium: Ego*, inquit, *iſtos Gn. Manli poſſe vincere ſcio; Velle, nè ſcirem, ipſi fecerunt. Itaq́ue certum atq́ue decretum eſt, non dare ſignum, nisì Victores ſe redituros ex hac pugna jurent. Conſulem Romanum miles ſemel in acie fefellit, Deos nunquam fallet.* Acerrimè deinde pugnatum, viciſſentq́ue Hetruſci, nisì & milites ità accenſi fuiſſent, & Conſules, pugnando potiùs, quàm adhortando, Ducum ſimul ac militum Officia impleviſſent.

De Bello Hetruſco, & cum Vejentibus.

De Cæſonis Fabii Virtute.

Sed operæ pretium eſt audire, qui externis duntaxat vanisq́ue rerum inflati nullum ſolidæ Virtuti, decoriq́ue relinquunt locum. Cecidit in acie nedum *Gn. Manlius Conſul*, *ſed Quintus Fabius Conſularis Vir*; alteri autem *Cæſoni Fabio Conſuli* triumphum Senatus decrevit; Ille verò: *ſe Familiâ funeſtâ Quinti Fabii morte, Republicâ ex parte orbâ, Conſule alterô amiſsô, publicô privatoq́ue deformem luctu, lauream non accepturum* reſpondit; *Omniq́ue actô triumphô diſpoſitus triumphus clarior fuit*; adeò ſpreta in tempore gloria interdum cumulatior redit, quod egregiè indicavit Tacitus, dum in funere Juniæ ſequentibus longô ordine conjunctarum familiarum imaginibus eô *Caſſium, atque Brutum illuſtriores fuiſſe*, inquit, *quia non viſebantur.* Et Germanicus *devictis intrà Albim Rhenumq́ue Nationibus trophæa Marti, Jovi, & Auguſto* Exercitûs nomine *ſacravit. De ſe nihil addidit, ratus conſcientiam facti ſatìs eſſe.* Devictis autem hoſtibus, licèt internecione penè univerſæ *Fabiorum* gentis, qui à Vejentibus circumventi ad Cremeram cecidêre, iterum inteſtinæ diſcordiæ ex *Lege agraria*; erantq́ue Authores *Tribuni Q. Conſidius & Genutius.* Illi cùm ſemel judicia uſurpâſſent, reſiſtenti *Tito Menenio*, jam anteà *Conſuli* diem dixêre, accuſatus, quòd Præſidio ad Cremeram opem non tuliſſet, cùm

De Diſcordia Patrum & Plebis.

cùm haud procul ſtativa eſſent, damnatusque, animi ægritudine abſumptus eſt. Sequenti tamen anno 268. iterùm *Conſules* nihil Menenii damnatione, nihil periculo deterriti *Servilii*, cui poſt Conſulatum etiam *Tribuni* diem dixerant, ſummâ vi agrariis rogationibus reſiſtebant; cumque Magiſtratu abiviſſent, *Genutius* etiam *Tribunus* ad Populum reos facere nititur; tunc illi circumeuntes ſordidati non Plebem magis quàm juniores Patrum ſuadent, monentque: *Honoribus, & adminiſtratione Reipublicæ abſtineant: Conſulares verò faſces, Prætextam, Curulemque Sellam nihil aliud quàm pompam funeris putent, claris Inſignibus velut Infulis velatos ad mortem deſtinari. Quòd ſi Conſulatus tanta dulcedo ſit, jam nunc ità in animum inducant, Conſulatum captare, & oppreſſum à Tribunitia Poteſtate eſſe. Conſuli velut apparitori Tribunitio omnia ad nutum, Imperiumque Tribuni agenda eſſe. Si ſe commoverit, ſi reſpexerit Patres, ſi aliud quàm Plebem eſſe in Republica crediderit, exilium Caji Marcii, Menenii damnationem & mortem ſibi proponat ante Oculos.* Accenduntur his dictis Patrum animi, Conſilia privatim agitant, deque medio *Tribunum Genutium* tollere ſtatuunt. Domi necatur *Genutius* peſſimô Conſiliô; licèt enim cùm veniſſet judicii dies, *Tribunumque* mortuum Plebs audiviſſet, *Duce amiſsô* dilapſa foret, volvebat tamen animo iras, quæ occaſione datâ erumperent; nec *Conſules, Patresque* tractare animos ſciebant, cùm publicè lætarentur, palamque ferrent, ità coërcendam *Tribunorum* audaciam. Senſerat namque *Plebs* Vires ſuas, & Legibus armatos habebat Magiſtratus; quare *cùm nil contemptiùs, neque infirmiùs, ſi ſint, qui contemnant*, eorum propterea quemque ea mala atque horrenda ſibi inferre murmurabant. Sed malum malo addunt Conſules, delectum enim edicunt, atque exequuntur aſperè; unde nova labefactandæ Reipublicæ origo, augendæque Plebjs potentiæ. Erat quidam *Volero Publilius* plebejus homo, qui ordines duxerat; ea de cauſa negabat ſe militem fieri debere; Conſules Lictorem mittunt: Volero *Tribunos* appellat; cùmque nemo opem ferret, *Conſules* nudari hominem, virgisque cædi jubent; dum ille: *Provoco*, inquit, *ad Populum; quoniam Tribuni Civem Romanum in conſpectu ſuo virgis cædi malunt, quàm ipſi in lecto ſuo à vobis trucidari*; repulſoque Lictore, clamitans ubi Turba frequentior erat: *provoco*, ajebat, *& fidem Plebis imploro: adeſte Cives, adeſte Commilitones! nihil eſt, quòd expectetis Tribunos, quibus ipſis veſtro auxilio opus eſt.* Tunc autem furere Plebs viſa eſt, nil ampliùs ſanctum, nil tutum, nec

De Voleronis Audacia.

ipſa quidem *Conſulum* majeſtas: pulſati *Lictores*: fractæ faſces; ejectique è foro *Conſules* in Curiam compelluntur; certatum ibi, an vi agere oporteret? Patres autem, periculoſum eſſe, Plebis temeritatem ulteriùs provocare rati, rem omnem ſilentio tranſigunt; tum *Volero* eminere inter cæteros, Plebisque *Ductor* eſſe conſpicitur, proximisque Comitiis *ſacroſanctâ* illâ munitur *Tribunitiâ Poteſtate*, nîlque curans præteritorum Conſulum injurias, quos ad Judicium vocare credebatur, augendæ tantùm *Plebis* potentiæ intentus, rogationem illam tulit, quâ *Patriciis* omnis poteſtas adempta eſt, per Clientium ſuffragia aſſumendi, quos vellent, Plebejos ad *Magiſtratus*; ii namque ut *Tributis Comitiis* fierent, rogabatur. Hinc nova *Plebis, Patriciorumque* certamina, reque in novum annum dilatâ, Plebs *Voleronem* denuò *Tribunum* creat, Patres verò *Appium Claudium Plebi* infeſtiſſimum, veſtigiis enim Appii Patris inhærebat, *Conſulem* faciunt; tunc *Voleroni* Legis Inventori *Tribunus* alter *Latorius* adjungitur, acerrimèque pro ferenda Lege contendit; cumque ille moderatè ageret, nec præter Legem aliud loqueretur, Lætorius ferociendo & *Conſules* Convitiis inſectabatur, præcipuè verò *Appium*, quem velut Carnificem ad vexandam lacerandamque Plebem datum eſſe contendebat; versus inde ad *Populum*: *quandoquidem*, inquit, *haud tam facilè loquor*, *Quirites* (erat enim militaris homo expers eloquentiæ) *quàm quod locutus ſum preſto, craſtino die adeſte. Ego hîc aut in conſpectu veſtro moriar, aut perferam Legem.*

De Creatione Tribunorũ Tributis Comitiis.

Tunc ſpectaculum præbuête *Conſulum*, *Tribunorumque* certamina; aderant cum *Conſulibus* Nobiles in *Concione*, ut Legem impedirent; hinc *Latorius* omnes abire, præter eos, qui ſuffragia ferrent, jubet; cùmque non parerent, præhendi mandat: *Appius* jus negat eſſe *Tribuno* in quemquam nisì Plebejum; non enim *Populi*, ſed *Plebis* Magiſtratus erat, nec pro Imperio ſubmovere Poteſtas erat, *more Majorum*, qui: *Si vobis videtur diſcedite Quirites*, pronunciabant; *Latorius* autem haud de Jure diſputandum ratus, iràque percitus, *Viatorem* mittit ad Conſulem: *Appius* Lictorem ad *Tribunum*; tunc autem multitudo concitatur, ventumque eſſet ad manus, nisì tempeſtivè *Conſul* alter mandâſſet *Viris Conſularibus*, ut *Collegam* vi etiam è foro abducerent, Plebisque leniſſet animos, *Patres in Populi, Conſulem in Patrum eſſe Poteſtate* clamitans; dimiſsâ Concione *Senatus* cogitur, ubi ſententiis mirè certatum; ſed mitiora Conſilia placuêre. Ad *Appium* igitur verſi Patres ſuadent, ut *tan-*

tam

tam Conſularem Majeſtatem eſſe vellet, quanta in concordi Civitate eſſe poſſet. Dum Tribuni, Conſulesque ad ſe quisque omnia trahant, nihil relictum eſſe virium in medio; diſtractam laceratamque Rempublicam per Magiſtratus magis, quorum in manu ſit, quàm ut incolumis ſit, quæri; Appius autem Deos, atque homines teſtabatur, *Rempublicam per metum prodi, ac deſeri; non Conſulem Senatui, ſed Senatum Conſuli deeſſe: graviores accipi Leges, quàm in Sacro monte accepta ſint.* Ità Lex perfertur; tumque primùm *Tributis Comitiis* creati *Tribuni* fuêre, tresque alii additi. Erat intereà à Volſcis, Æquisque cauſa belli præbita; vaſtaverant quippe agros eo conſilio, ut ſi qua ſeceſſio Plebis fieret, ad eorum Caſtra recipi deberet; compoſitis tamen rebus, *Appius Claudius* in Volſcos mittitur, Conſul alter *Quintius* in Æquos. Exercitus verò, non ùt Fabianus alter vincere noluit, ſed *Appii* odio vinci paſſus eſt, licèt ille Imperium in Caſtris exercuerit, *decimo quoque milite ſecuri percuſſo*; Æqui verò pugnare non auſi, agros populari permisêre, prædaque omnis à *Quintio* militi data eſt, cui Exercitus acclamabat, ſibique *Parentem*, alteri verò à Senatu *Dominum* datum memorans. Nec *Tribuni* diem *Appio* dicere deſtiterunt; ille verò conſtans adeò fuit, ut & *Tribunos*, & Plebem, & ſuum judicium pro nihilo haberet; nec ergo *ſordidatus* prehenſavit homines, nec ex conſueta Orationis aſperitate aliquid remiſit, ut potiùs accuſator videretur, quàm cauſam ſuam agere, unde virtute ſuâ *Tribunos* obſtupefecit, & Plebem. *Tantùm præſtat in adverſis erectus animus, ut vel odium, & hoſtiles iras in admirationem vertat;* dies igitur *Tribunorum* voluntate productus eſt, atque antequàm ſtatus alter veniſſet, *Appius* morbo periit; tunc verò *Plebs ipſa* mortui laudes tàm æquis auribus audire, quàm vivi accuſationem, ejusque funus celebrare viſa eſt.

De Colonia Antium deducta.

Sed certamina erant perpetua ob Legem Agrariam; *Antioque* capto, viſum eſt, *Coloniam* eò deduci poſſe; ità enim ſinè quærelis Poſſeſſorum Agri publici, in Agrum Antiatem *Plebs* itura, Civitasque in concordia manſura videbatur. *Triumviri* igitur agro dando *Titus Quintius*, *Paulus Virginius*, *Publius Furius* creantur; *Plebs* verò, quaſi ablegaretur à Patria, ingratum habuit; adeò ut pauci nomina dediſſe viſi fuerint, Latinosque & Hernicos addere ad explendum Coloniæ numerum neceſſe fuerit.

Sed nè in rebus aliis præter ipſum Civitatis ordinem hæreamus, ſtatim maximam rerum mutationem advertere datur; jam

enim, cùm ampliùs *Plebs* non timeret, ſuiſque tuta Magiſtratibus viveret, cùm *Agrariis Legibus*, tùm *honorum æquandi deſiderio* perpetuis motibus agitabatur; hinc poſt ſecundas bellorum res cum Æquis denuò & Volſcis, poſtque ceſſatam peſtilentiam, quâ eo tempore Urbs afflicta fuerat, extemplo Urbanos motus excitavit; *Cajus* enim *Terentillus Arſa Tribunus* in *Conſulare Imperium* invehi cœpit: *nomine enim*, inquiens, *tantùm minùs invidioſum, re ipsâ propè atrociùs quàm regium eſſe, quippe duos pro uno Domino acceptos, immoderatâ, infinitâ poteſtate, qui ſoluti, atque effrænati ipſi, omnes metus Legum, omniaque ſupplicia verterent in Plebem. Quæ nè æterna illis licentia ſit, Legem ſe promulgaturum, ut Quinque Viri creentur Legibus de Imperio Conſulari ſcribendis. Quod Populus in ſe Jus dederit, eo Conſulem uſurum: non ipſos libidinem ac licentiam ſuam pro Lege habituros.* Quæ adeò turbarunt Patres, ut Senatus à *Præfecto Urbis Quinto Fabio* vocaretur, ipſeque *Fabius* nîl reliquit, ut *Tribunum* deterreret; poſteà ad interceſſionem confugiens, verſus ad alios: *Vos*, inquit, *cæteri Tribuni oramus, primùm omnium cogitetis Poteſtatem iſtam ad ſingulorum auxilia, non ad perniciem Univerſorum comparatam eſſe: Tribunos plebis hos creatos, non hoſtes Patribus. Nobis miſerum, invidioſum vobis eſt, deſertam Rempublicam invadi; non Jus veſtrum, ſed invidiam minueritis; agite cum Collega, ut rem integram in adventum Conſulum differat, nè Æqui quidem ac Volſci, morbo abſumptis priore anno Conſulibus, crudeli ſuperboque nobis bello inſtetêre.* Sic differtur in ſpeciem actio, quæ re ipsâ evaneſcebat. Anno tamen altero *Aulus Virginius ex Tribunorum Collegio* delectum in Volſcos & Æquos denuò Exercitum inſtruentes impedire aggreſſus causâ Legis, rixas excitavit inter *Patres* & *Plebem*, adeò ut *vi* utraque pars non *Jure* ampliùs agere videretur; initiumque fuiſſet magni motûs, ni *Cæſo Quintius* cunctis juvenibus ferocior in medio *Patrum* agmine conſtitiſſet, & cùm voce, tùm manu plebejos illos impetus cohibuiſſet, quare dies *Capitis* illi dicitur à *Virginio*; cùmque veniſſet, nihil profuêre *Titi Quintii Capitolini*, *Patriſque Lucii Quintii*, cui *Cincinnati* nomen erat, nec *Lucii Lucretii Conſulis* officia; imò *Volſcius* quidam *falſus teſtis* adeò Plebem concitavit, ut non multum abfuerit, quin *Cæſo* ipſe impetu Populi interiret; ajebat enim *noctu incidiſſe cum fratre in Cæſonem, catervâ juvenum ſtipatum, eoſque nulla de cauſa aggreſſum eſſe, fratremque pugnis*

De Cajo Terentillo Arſa, deq; Legibus Imperio Conſula ſcribendis.

De Cæſone Quintio

gnis & calcibus necâſſe, eum verò ſemianimem reliquiſſe. Vix igitur differri potuit Judicium, impetrarique, nè in vincula duceretur, uti *Virginius* juſſerat, *datoque Vadimonio* dimitti; illeque primus *Vades publicos* dedit; *Caſo* autem *Judicium* ſimul & *Vadimonia* deſeruit, adeò ut Pater nihil proficiens excuſatione, quòd *ſolùm vertiſſet* exilii causâ, divendere bona fuerit coactus univerſa, transque Tiberim in quodam ſuo rure, humilique tugurio habitare.

Sed *Caſonis* exiliô magis irritata juventus reſiſtit apertâ vi, nè lex perferatur; atque per integrum annum differtur. *Tribuni* autem cupientes Plebem in nobiles concitare, recurrunt ad dolos: initô enim priùs inter ipſos *remotis arbitris* conſilio, *Senatum* cogunt; tum *Virginius* inſtare Urbis ruinam fatetur, conjuratâ in Plebem Juventute *Caſone Duce*: *adventare Caſonem cum valida hoſtium manu, vel jam in Civitate eſſe: armis jam eſſe inſtructos cateros ad perdendam Plebem: Deorum ope detecta eſſe nefaria Conſilia: literas interceptas, ex quibus negotium omne patefcit; Quærere ergo, Tribunorum Collegia totum negotium committi, ut authores, totumque conjurationis Ordinem inquirant, atque adeò pro atroci crimine pœnas luant.* Permota eò Sermone Plebs impetum feciſſet in Juvenes, nî *authoritate Senatûs* coërcita fuiſſet; *Senatus* autem trepidus, quô ſe verteret neſciebat; dum *Appius Claudius*, illâ tempeſtate *Civis optimus*, dolos adeſſe fatetur, demonſtratque impoſſibilia, quæ à *Virginio* aſſerebantur eum ob finem, ut juvenes indemnatos arriperent cum Plebe ſua, *Legemque* ſinè ullo impedimento perferrent; adeoque efficaciter locutus fuit, ut cordatiores è Plebe omnes vanum timorem eſſe crederent; *peſſimus quiſque* non tantùm ſuſpicione conjurationis, ſed quia rumores malebat, ſeditionis excitandæ occaſionem haud omittere videbatur, cùm alternæ auditæ voces: *ad Arma*, & *hoſtes in Urbe eſſe*, ingentem pavorem excitârunt. Trepidi *Patres*, nec quis eſſet hoſtis, nec quô numerô, conſilioque adveniſſet, noctu ſcire poterant, nec *Plebi* ſatìs fidebant; interim tamen nè poſſet hoſtis totam Urbem pervagari, munita loca præſidiô firmare deliberant, dantque arma; dies tamen ſtatim oſtendit bellum, Ducemque; Is erat *Herdonius Sabinus*, qui noctu Arcis occupandæ conſilium cæperat, cumque ſat valida Exulum atque Servorum manu intempeſtâ nocte cum navibus fluvialibus appulerat ad ripam *Capitolio* proximam, perque portam *Cementinam*, quæ ſacrata erat, & ex Oraculo quodam patens, *Capitolium*, *Arcemque* occupaverat, eô animô, ut Exules recipe-

De Tribunorũ plebis calumnia.

De occupato, recuperatoque Capitolio.

 ret,

Digitized by Google

ret, ſervosque vocaret ad *pilea*, *obaratis* remiſſionem polliceretur, inopesque Cives, atque ob id Potentioribus *iniquos*, oblatâ rerum novandarum occaſione, commodorum faceret participes; tantus autem *Tribunos* furor invaſerat, ut imaginem eam belli dicerent; atque ad avertendos ab *Legis* cura Plebis animos, *Patriciorum* hoſpites, clientesque veniſſe, majorique ſilentio, ſi *Lex* perferatur, abituros. Tum *Publius Valerius Conſul* ſe ex Curia proripuit, indeque in Templum ad *Tribunos* venit, eosque objurgatus acriter, ad multitudinem orationem vertit: *Se arma capere, vocare omnes Quirites ad arma; ſi quis impediat, jam ſe Conſularis Imperii, jam Tribunitiæ Poteſtatis, ſacratarumque Legum oblitum, quisque ille ubicumque ſit, in Capitolio, in Foro, pro hoſte habiturum. Juberent Tribuni, quoniam in Appium Herdonium vetarent, in Publium Valerium Conſulem ſumi arma: Auſurum ſe in Tribunis, quòd Princeps Familiæ ſuæ auſus in Regibus eſſet*; nec tamen Tribuni ceſsêre, noxque oppreſſit cœpta certamina; *Patres* autem circumibant Plebem, ſermonesque tempori aptos ſerebant; cùm interim *Lucius Mamilius* cum Tuſculana Juventute Romam advolavit, ut adversùs hoſtes in tam turbato Civitatis ſtatu auxilio eſſet; ità *Valerius* cum iis, qui ſequebantur, *Mamiliusque* Arcem invadunt, pugnâque commiſsâ, in qua *Valerius interfectus eſt*, Capitolium recuperatur, luſtraturque.

De Conſulatu L. Quintii Cincinnati.

Suffectus autem in locum *Valerii Lucius Quintius Cincinnatus* gravi oratione in *Tribunorum* licentiam invehitur; cumque delectum habere edixiſſet contra Volſcos & Æquos, *Tribuni* eludebant velut vana dicta, nec delectum habere patiebantur; tum verò *Quintius*: *nobis* inquit *nihil delectu opus eſt; cum quo tempore Publius Valerius ad recipiendum Capitolium arma Plebi dedit, omnes in verba juraverint, conventuros ſe juſſu Conſulis, nec injuſſu abituros; Edicimus itaque, omnes, qui in Verba jurâſtis, craſtinâ die ad locum Regillum armati adſitis*; ac licèt Tribuni cavillari non deſierint, privatum eo tempore *Quintium* fuiſſe, adeoque *Religione* Populum exſolutum; *non dum tamen*, Livius inquit, *hæc, quæ nunc tenet Sæculum, negligentia Deûm venerat, nec interpretando, ſibi quisque jusjurandum, & Leges aptas faciebat; ſed ſuos potiùs mores ad ea accommodabat.* Ità cùm eos terruiſſet, nec Exercitum ex hoſtico deducturum affirmâſſet, nisi exacto Magiſtratûs tempore, Plebs remitti ſibi eam militiam petebat; ille verò nunquam quievit, nisi *Tribuni* ſe *in authoritate Patrum* futuros pollicerentur. Tunc verò relatum *in Senatu* eſt de *Tribunorum & Plebis*, poſtu-

poſtulatis, factumque *Senatûs Conſultum, ut neque Tribuni Legem eo anno ferrent*, nec *Conſules ab Urbe Exercitum educerent : In reliquum Magiſtratus continuari, & eoſdem Tribunos refici, judicare Senatum contra Rempublicam eſſe.* Sed eo non obſtante *Tribuni* refecti ſunt, unde & Patres *Lucium Quintium* Conſulem reficere tentârunt: ſed ille haud paſſus eſt; *ea inerat animi altitudo, ut potiùs Senatûs-Conſultum ſervatum, gloriamque ex ſpreto honore capeſſere, quàm Conſulatum continuare maluiſſet.*

Sub novis ergo *Conſulibus* Volſci & Æqui victi fuêre; pax autem petentibus Æquis data, *Cenſusque* actus, idque luſtrum ab Origine Urbis decimum conditum Liviûs affirmavit, fueruntque eo anno cenſa Civium Capita 132409. Sed Æqui Gracchο Clelio Duce *fœdus* rupêre, quo tempore tranquillæ res in Urbe videbantur; licèt enim *Virginius Tribunus* maximè de Lege contendiſſet, *Conſulibus* tamen ſpatium datum fuit ad inſpiciendam Legem, ut cùm Populum edocuiſſent, quod occultæ fraudis ineſſet, tunc demùm ſuffragia iniri deberent. *De Volſcorum, & Æquorum bello.*

Populati ergo Graccho Duce Lavicanum, Tuſculanumque Agrum Æqui, Caſtra in Algido locârunt; ibi venêre *Romanorum Legati* quærentes injurias, resque *ex fœdere* repetentes; tunc ſuperbè *Æquorum Imperator*, quæ mandata habebant ab Senatu Romano *ad Quercum* juſſit dicere, ſe *alia interim acturum* affirmans; Quercus enim ingens Prætorio imminebat; ad quæ Legatorum unus, *& hæc* inquit, *ſacrata Quercus, & quidquid Deorum eſt, audiant fœdus à vobis ruptum; noſtriſque & nunc querelis adſint, & mox armis, cùm Deorum, Hominumque ſimul violata Jura exequemur.* Duo poſteà Conſules, *Minutius* nempe in Algidum Exercitum ducere, *Naucius* populari Æquorum fines juſſi. Sed cùm Sabini propè ad Urbis mœnia infeſtâ populatione veniſſent, juſſus *Naucius* contra eos Exercitum ducere, nec enim Plebs nomina detrectaverat, reclamantibus *fruſtrà Tribunis.* Caſtra tamen *Minutii* noctu ab hoſtibus adorta, obſeſſaque, quod antequàm intercluderetur exitus, Romæ nunciatum eſt, ubi tanta fuit trepidatio, ut nec major eſſe potuerit, ſi Urbs ipſa obſeſſa foret; placuit igitur dicere *Dictatorem*, nec alter obverſabatur, qui rem poſſet reſtituere, quàm *Lucius* ille *Quintius*, qui trans Tiberim degebat, quatuorque jugerum colebat agrum; Legatique miſſi, arantem, ſeu foſſam fodientem bipalio innixum invenêre, ſalutatumque, rogârunt; *ut quod bene verteret ipſi, Reique*

Reique publicæ, togatus mandata Senatûs audiret. Ille verò admiratus, rogitansque, *ſatin ſalva eſſent omnia*? Uxori jubet togam è tugurio proferre, quâ, poſtquàm pulverem, ac ſudorem abſterſiſſet, indutus, *Dictator* ſalutatur, eique res integra exponitur, Urbemque Navi publicè inſtructâ advectus, *Lucium Tarquitium Patritium* Virum *Magiſtrum Equitum* dixit, ſcriptoque illico Exercitu, cuncti enim ad Edictum Dictatoris preſtò fuêre, in Algidum mediâ nocte pervenit, nocteque ipsâ initum prælium eſt, victique Æqui ſub jugum miſſi fuêre, nudique remiſſi; præda tamen à Dictatore ſuo tantùm militi data, *Conſularem Exercitum*, *ipſumque*] *Conſulem* increpans: *carebis*, inquiens, *prædæ parte miles ex eo hoſte, cui propè prædæ fuiſti, & tu Luci Minuci, donec Conſularem animum incipias habere, Legatus his Legionibus praeris.*

De Decemviris. Sed jam tempus erat, quo priſca Reipublicæ forma interitum pateretur; finis enim certaminum pro *Lege Terentilla* fuit, ut Athenas mitterentur Legati, inclytasque *Solonis* Leges, aliaque Græcarum Urbium Inſtituta, mores, juraque noſcerent, miſſique fuêre *Sp. Poſthumius Albus*, *Aulus Manlius*, *Publius Sulpitius Camerinus*, qui cum *Atticis Legibus* redivêre; útque *Leges ipſæ* in 10. Tabulis proponerentur cuilibet cognoſcendæ, placuit *Decemviros* creare *ſinè provocatione*, creatique ſunt *Centuriatis Comitiis Appius Claudius*, & *Genutius*, cumque his *Publius Seſtius*, qui erat ejus anni *Conſul*, treſque Legati, qui à Græcis Leges attulerant *Publius Poſthumius*, *Servius Sulpitius*, *Aulus Manlius*, & *Titus Romulius*; *Cajus Julius*, *Titus Veturius*, *Publius Horatius*, abrogatis ad tempus cunctis omninò Magiſtratibus, omneſque fuêre *Patricii*, quibus honor conceſſus, dummodò *Lex Icilia* de Aventino, aliæque *ſacratæ Leges* firmæ manerent;] primoque anno optimum *Decemvirale Imperium* viſum fuit, nam & *Appius* novam perſonam induerat, próque truci, ac ſævo inſectatore Plebis, *Cultor* ejus evaſerat; decimo quoque die *Jus* Populo *ſinguli* reddebant, peneſque Juris *Præfectum* eo tempore faſces erant, & reliqua poteſtatis Conſularis Inſignia; cæteris *Collegis* ſinguli *Accenſi* duntaxat apparebant. Iſque *Senatum* convocabat, Decreta confirmabat, cunctaque cætera agebat pro *Imperio.*

Quomodo autem moderatè primo anno ſe geſſerint, docet Livius, dum *Decemvirum Cajum Julium* diem pro atroci crimine *Seſtio* dixiſſe, accuſatoremque ad Populum extitiſſe ſcripſit, cùm *Judex* ille legitimus eſſet. Sed hoc eo arcano fiebat, ut ſicut & *Regum*,

gum, & *Conſulum* eo tempore inviſum nomen erat; ità *Decemvirorum* acceptum ſuis initiis fieret, nec *Tribunitio auxilio* videret *Populus* opus eſſe, cùm cederent invicem appellationi *Decemviri.* Conſcriptis ergo eo anno *in decem Tabulis Legibus*, Populum ad *Concionem* vocârunt, & : *quod bonum, fauſtum, felixque Reipublicæ ipſis, liberisque eorum eſſet, ire, & legere Leges propoſitas, juſsêre : ſe quantùm* 10. *hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus Summis Infimisque Jura æquâſſe. Plùs pollere multorum ingenia, Conſiliaque : verſarent in animis ſecum unamquamque rem, agitarent deinde ſermonibus, atque in medium, quid in unaquaque re plùs minusve eſſet, conferrent. Eas Leges habiturum Populum Romanum, quas conſenſus omnium non juſſiſſe latas magis, quàm tuliſſe videri poſſet.* Poſteà verò cùm ſatis ad examen revocatæ eſſent *Leges ſingulæ*, placerentque univerſis, *Centuriatis Comitiis* perlatæ ſunt; *quæ*, ùt Livius inquit, *in immenſo aliarum ſuper alias acervatorum Legum cumulo fons omnis Juris Romanorum cùm publici tum privati fuêre.*

De Appio Claudio.

Sed *Appius* ambitione corruptus jam animo volvebat ſuo quomodo authoritatem illam nedum diù retinere poſſet, ſed Rempublicam opprimere, atque *Statum illum in Dominationem* vertere. Ejus igitur arte percrebuit per Urbem rumor, *duas* deficere *Tabulas*, quæ ſi adderentur, tunc demùm Romani perfecto abſolutoque Jure in omnibus fruerentur, eàque opinione ducti, *Decemviros* iterum creari ſtatuerunt; *Comitiis* igitur *Decemviris* creandis *in trinundinum* indictis ambitio inceſſit omnes eum Magiſtratum capiendi; inter alios autem *Appius* ipſe *Decemvir* adeò exarſit, ut inter *Candidatos* cùm in Magiſtratu eſſet, videretur. Quare ſuſpectus *Collegis*, haud enim credebant, *gratuitam in tanta ſuperbia eam Comitatem fore*, eà arte *Comitiorum* habendorum munus injungunt, nè ſemetipſum crearet; apertè enim conatibus ejus reſiſtere dubitârunt Ille autem, *impedimentum pro occaſione arripiens*, nedum ſe *Decemvirum* nominat, ſed alios ſuæ factionis creat; tumque primùm finem *alienæ Perſonæ* ferendæ fecit, initiumque ſuopte ingenio vivendi; *Collegas* enim nefariis inſtruebat conſiliis, cùmque præterito anno 12. duntaxat *Lictoribus* uterentur, *Appius* ut terreret Populum, unicuique 12. adeſſe voluit, ut ità 120. *Lictores* forum implerent cum totidem faſcibus ſecures illigatas præferentibus; tum verò timere cuncti, nec enim ullum relictum videbatur auxilium, cùm nulla eſſet *provocatio*, irritaque interceſſio; quoniam ſi ab uno ad

Z alium

alium appellaretur, pejus malo remedium experiebatur; *Appius* autem, inſito ſuæ familiæ in Plebem odio, à Patribus abſtinere, in cæteros libidine ſævitiàque graſſari videbatur, ſuoſque in mores cæteros formaverat. Territa inde Plebs, tacita *Patriciorum* Vultus intuebatur, quaſi eorum opem imploraret, et inde *libertatis captaret auram, unde ſervitutem timendo in eum ſtatum Rempublicam adduxerat*; Patres autem odio *Plebis*, atque ut majori in dies Conſulum deſiderio flagraret, nihil movebantur. Jamque annus labebatur, *duæque Tabulæ* ad alias adjectæ erant; quapropter debebant ſolummodò *Centuriatis Comitiis* perferri, nilque ampliùs eo *Magiſtratu* opus erat. Tum verò *Appius in Tyrannidem* vertere Rempublicam aggreſſus; *vi* namque *Decemviri* dominari cœpêre, nec *Comitia* habentes, nec *Senatum* cogentes ampliùs, Patriciorum ſtipati juvenum Satellitio, qui licentiam ſuam, quàm omnium libertatem malebant, cuncta namque proi arbitrio agere, libertateque ac bonis ſuorum Civium abuti, eaque inter ſe partiri conſueverant.

De Contentionibus Decemvirorum in Senatu.

Sed illati à Sabinis, Æquisque belli terror *perculit Decemviros*, qui tunc primùm infirmas vires nöſſe cœperunt; nec enim proviſum erat, quomodo bella, cæteraque *Dominorum* munia obirent ſinè *Senatu*; illum autem cogendo, periculum imminebat amittendæ poteſtatis. Neceſſitate tandem victi *Senatum* convocârunt, atque ex agris, quò indignitate rerum ceſſerant, venêre *Patres*; nec defuêre, qui *Decemviros* totidem *Tarquinios* nuncupârent, præcipuè *Lucius Valerius Potitus*, & *Marcus Horatius Barbatus*; quare *Cajus Claudius* monere *Appium* precarique, *ut per fratris ſui, Parentisque manes Civilis potiùs Societatis, in qua natus eſſet, quàm fœderis nefariè icti cum Collegis meminiſſet; multò id magis ſe illius causâ orare, quàm Reipublicæ; quippe Rempublicam ſi à volentibus nequeat, ab invitis Jus repetituram; Sed ex magno certamine magnas excitari fermè iras, earum eventum ſe horrere.* Nil igitur profuit *Decemviris* prohibuiſſe Patribus, præterquàm de quo retuliſſent dicere; alii namque inter quos *Claudius* ipſe, nullum fieri *Senatûs-Conſultum* cenſuêre, nè *Decemviris* paruiſſe viderentur, èoſque jam privatos eſſe; alii coire *Patricios* ad prodendum *Inter-Regem*; ſed *Lucius Cornelius Malucinenſis Marci Cornelii Decemviri frater, junioresque Patrum* labantem eorum cauſam reſtituebant; quare nec ultrà vocem *Valerii, Horatiique* libertas exceſſit, quoniam Senatus malebat *Decemviros* voluntate ipſorum abire, quàm rursùs Plebem exſurgere, leniterque agendo, *re-*

ſtituto

ſtituto Imperio Conſulari oblivionem *Tribunorum* inducere. Decreto igitur bello delectus edicitur, dataque ſunt nomina, quoniam nullum erat *provocationis* auxilium. Ità conſcriptis Exercitibus ad bellum profecti, Sabinorum *Quintus Fabius* (quem pacis belliique artibus egregium ità corruperat ambitio, ut *Appii*, quàm ſui ſimilis eſſe maluerit) *Marcus Rabuleus*, & *Quintus Petilius*; Æquorum verò *Lucius Minutius*, *Titus Antonius*, & *Cæſo Duillius*; Appius autem cum Sp. Oppio *ad exercendum in Urbe Imperium* mansêre; atque ut eadem cauſa eſſet amittendi *Decemviralis Imperii*, quæ *Reges* expellendi fuerat, *Appius* caſtiſſimæ Virginis, cui nomen *Virginia Lucio Virginio Patre* recti exempli Viro genita, qui eam *Lucio Icilio Tribunitio* Viro deſponderat, amore capitur, tentatque omnia ad expugnandam pudicitiam; poſtquàm autem ſeptam undique animadvertit, dolos meditatur, datque *Clienti* negotium, ut *Virginem* in ſervitutem aſſerat, neque cederet *vindicias poſtulantibus juxta libertatem*; ità ad Tribunal *Appii* puella per vim trahitur, fœdoque judicio miniſtrum ſuæ libidinis velut *Ancillam* Dominum ſequi jubetur. Ingens fit rumor, *Legem* ab ipſo latam, *quà vindicias dari ſecundùm libertatem ſanciebatur*, turpiter ità diſſolvi cuncti querebantur, magìſque movebat *Legis Cavillatio*; quare frementibus Univerſis *Publius Numitorius* Avunculus, atque Sponſus *Icilius* intervenêre, vociferantes: *non ſi Tribinitium auxilium*, & *provocationem duas Arces Romanæ libertatis Plebi ademiſtis*, *ideò in liberos quoque noſtros*, *Conjugesque Regnum veſtræ libidini datum eſt*; nec clamare deſinebant, præſertim *Icilius*, adeò ut jam univerſam concitâſſe multitudinem videretur; cùm *Appius* periculoſum ratus eo tempore rem exequi, prætextu abſentis Virginii, decretum eo die differt, inque poſterùm *accito Patre* Jus de ea re dicturũm aſſerit; moratusque tantiſper, nè duntaxat ejus rei cauſa *ad Tribunal* veniſſe videretur, domum ſe recipit, ſcribitque *Collegis*, nè Virginio darent Commeatum, imò etiam in cuſtodia haberent.

De Appii Claudii ſcelere.

Icilius autem nîl cunctatus fratrem, *Numitoriusque* filium citatis equis mittunt ad *Patrem*, qui confeſtim Romam advolavit; quare *Appii* literæ irritæ fuêre, cùmque ad *Tribunal* veniſſent, *Appius* amore in furorem verſo *vindicias* decernit *contra libertatem*; admiratioque rei cunctos penè obſtupefecerat; cùm *Virginius* dolore furens manus in *Appium* intentando clamabat: *Icilio*, inquiens, *Appi, non tibi filiam deſpondi*, & ad *nuptias, non ad ſtuprum educavi.*

 Pla-

Placet pecudum ferarumque ritu promiſcuè in concubitus ruere? Paſſuri-ne hæc iſti ſint, neſcio, nec ſpero eſſe paſſuros illos, qui arma habent; Decemvir autem prorſus amens minas addit, cumque armatis deſcendere fatetur, ut pro *Majeſtate* Imperium detrectantes coërceret, jubetque *Lictoribus* ſubmovere turbam, quæ ſuâ ſponte viam dabat *Domino* ad prehendendam Virginem, quaſi mancipium eſſet; tunc *Virginius*, nihil cernens relictum ſpei, *Appium* alloquitur, oratque ut patrio dolori ignoſceret, utque coram Virgine Nutricem percontari ſineret, ut *ſi falsò Pater* dictus eſſet, æquiore animo cauſam ejus deſereret, datâque veniâ *Filiam* ac *Nutricem* propè lanionis officinam ducit, cultrôque ex improviſo arrepto: *hoc te uno*, inquiens, *quo poſſum modo filia in libertatem vindico*, pectus ejus transfigit, verſusque ad *Appium*: *Te*, inquit, *Appi, tuumque Caput ſanguine hoc conſecro*; ferroque ſibi viam faciens, ipſaque proſequente multitudine defenſus, ad caſtra confugit; cùmque reſperſus cruore eſſet, ſtrictumque adhuc teneret telum, concurrente undique milite, quærenteque, quid rei eſſet, flens diù ſilvit, poſteà verò collecto ſpiritu rem totam expoſuit; cùm interim in Urbe nec impigri *Icilius*, *Numitoriusque* multitudinem concitabant, ſublatumque exſangue Corpus *Populo* oſtentantes; cùm *Appius* extrema tentanda ratus, ſtipatusque Patriciorum juvenum turbâ eos in Vincula Duci juſſit; ſed jam multitudo *Duces* nacta erat *Lucium Valerium* & *Marcum Horatium*; atrox hinc oritur concertatio, *faſces* franguntur, ſubmoventur *lictores*; *Appius* in Concionem aſcendit; ſequuntur *Horatius*, *Valeriusque*, eisque multitudo acclamat univerſa; quare jam animum deſpondet *Appius*, inque domum obvoluto capite ſe recipit.

Quæ cùm in Caſtris eſſent nunciata, ad arma conclamatum, raptisque ſignis ad urbem Exercitus properat, atque Aventino inſidet; tunc legati à *Senatu* miſſi, qui audirent poſtulata; ille verò *Lucium Valerium*, & *Marcum Horatium* petere dixit, quibus reſponſum daret; tum *Virginius* eum admonet, ut *de Duce* ſibi provideat, *Decemque* creantur, qui *Summæ rei* præeſſent, *Tribunique* militum nuncupati.

De Seceſſione Exercitû, & Plebis à

Sed non minori animorum motu ſeceſſio à *Decemviris* in Exercitu adversùs Sabinos facta eſt; ibi enim & aliud facinus accendebat animos, nec deerant Authores *Icilius, Numitoriusque*; Lucius namque Siccius à *Decemviris*, quoniam *ereptæ libertatis* querebatur, ſcelere doloque interemptus ante omnium oculos obverſa-

verſabatur, illum enim ſpeculatum ire juſſêrant, militibusque, qui ejus Comites erant negotium dedêre, ut opportuno in loco interficerent, nunciarentque, ab hoſtibus cæſum eſſe; ille adortus egregiè ſe defendit, ità ut inſidiatorum aliquot interfecerit; adhibitam primò in caſtris fidem profecta ad ſepeliendum cohors ſuſtulit; cùm enim nullum eorum, qui ceciderant ſpoliatum corpus, *Sicciumque* in medio jacentem armatumque, verſis in eum Corporibus vidiſſet, nec veſtigia abeuntium hoſtium eſſent, ab ſuis interfectum agnovit; peſſimeque pro ſcelere *Decemviri* audiebant; Eâ igitur occaſione arreptâ Urbem intravit ſub ſignis, atque in *Aventino* alteri Exercitui ſe conjunxit, *Decemque alii Tribuni* militum facti, qui cum aliis 10. duos conſtituêre *Duces*; deliberatum inde in Sacrum montem tranſire, ibique caſtra metari; nec manſit Plebs Urbana, Exercitum etiam ſecuta cum Uxoribus, liberisque; *nephas* in ea Ube degere, in *qua nec pudicitia, nec libertas* ſancta eſſet, affirmando. **Decemviris.**

Tunc autem primùm cognovit *Appius*, nullam tuendo Magiſtratui ſpem ſibi relictam fore, & ſicut ea *Tyrannis* ob Plebis impotentiam, nimiúmque libertatis ſtudium orta fuerat; ita ſuâ, cæterorúmque ambitio atque ſuperbia jam finem dediſſe videbatur; Urbem enim vidiſſes ſinè civibus: deſerta omnia: forum, templa, cunctaque frequentiora Urbis loca; vocati igitur Patres, non tantùm *Horatius* ille, atque *Valerius*, ſed penè omnes *Decemviris* exprobrabant Imperium: Victi ergo potiùs reipsâ, quàm *Patrum* vocibus, ſe in *Senatûs* poteſtate eſſe fatentur; orare tamen, ut ſibi à Plebis furore caveatur; miſſis igitur *Horatio, Valerioque* ad Exercitum, expoſuit *Icilius* poſtulata: *poteſtatem* nempè *Tribunitiam, extremamque provocationem; atque ut Decemviri dedi deberent*, quos igne vivos concrematuros jactabatur, & *nè cui Plebis ſeceſſio fraudi eſſet*; ad ea tamen *Legati* laudibus celebrantes Exercitum, quoniam adeò æqua poſtulâſſet, de Supplicio *Decemvirorum* reſpondêre, nihil proponendum eſſe, quoniam crudelitatis odio in crudelitatem ruere viderentur, atque in adverſarios impotenter dominari; ſatis igitur illis eſſe, ſi *depoſito* jam *Magiſtratu* æquo jure in Civitate vivant, nec inferendo injuriam, nec patiendo. Aſſensêre cuncti; priùs enim firmandam libertatem, recuperandáque judicia eſſe agnoſcebant; quare cùm *Legati* rediiſſent, renunciatâ Plebis voluntate, *Senatûs Conſultum* factum eſt, ut *Decemviri ſe primo quoque tem-*

 pore

De nova forma Civitatis.

pore Magiſtratu abdicarent: Marcus Papyrius Pontifex Maximus Tribunos Plebis crearet, & nè cui fraudi eſſet Seceſſio militum, Plebisque. Ità redeunt in Aventinum, armati per Urbem incedentes, ſtatimque *Pontifex Maximus Comitia* celebravit, creatique fuêre Tribuni Plebis, omnium primus *Lucius Virginius, Lucius Icilius, Publius Numitorius,* qui Authores Seceſſionis exſtiterant propter diram *Appii* libidinem; tùm, *Cajus Sicinius, Marcus Duillius, Marcus Titinnius, Marcus Pomponius, Cajus Apronius, Publius Villius, Cajus Oppius*; Conſulibus enim Cajo *Horatio* & *Quinto Minutio* Plebs obtinuerat numerum *Tribunorum* dupicari, *ſuadente Lucio Quintio*, qui faciliùs paucos conſpirare, quam plures oſtendit; nec aliud eſſe remedium contra ejus Magiſtratûs Violentiam, quàm ſi *Collegium* diſſideat inter ſe; factumque erat *Senatûs Conſultum, licere Plebi* 10. *Tribunos quot annis ſibi creare, modò nè quis reficeretur qui anno proximo Magiſtratum geſſiſſet*, quod parùm obſervatum.

Lucius autem Icilius, cui *Virginia* deſponſa erat, quique *Marco Valerio* & *Sp. Virginio* Conſulibus Senatum convocare auſus fuerat præter morem, cùm tantùm in Concionibus poteſtatem ſuam exercerent *Tribuni*, Senatum autem vocare, aut ſententiam dicere non licebat, ſed Conſulum is honor erat, quique etiam Aventinum ad ædificandum Plebi concedi Author fuerat, *latâ Lege, ut quæ privati homines bono jure parta poſſiderent, ea manerent penes priſtinos Dominos. Quæ per vim aut fraude occupâſſent ædificiis, ea, reſtitutô ex arbitrorum Sententia pretio ædificationis, Populo addicerentur. Quæ verò publica eſſent, ea ſinè pretio Plebi dividerentur*; Statim *novô Tribunatu* inito Plebem *rogavit, & Plebs ſcivit, nè cui fraudi eſſet Seceſſio à Decemviris facta. Marcus* autem *Duillius* rogationem pertulit, ut Conſules *cum provocatione* crearentur, eaque omnia in pratis Flaminiis, quæ poſteà Circum Flaminium nuncupârunt, *Tributis Comitiis* acta fuêre.

Ità *Appius*, qui tyrannidem ſpirabat, privatus rediit, novamque Potentiam Plebi adjectam vidit; cumque illo tempore ea rerum mutatio ſecuta fuerit, ut fractâ Patriciorum authoritate Reſpublica in *Democratiam* evaſerit, haud abs re erit, Cauſas ipſas penitiùs rimari, ut omnia cum iis, quæ Exercitatione de Civili diſciplina diſſervimus, exemplis comprobata videantur. Diſſidiis, inteſtinâque Ordinum diſcordia, prætextu æqui juris, ad *Decemviros* ideò ventum eſt, quoniam *Conſules* inviſi Plebeis, Patriciis autem *Tribuni*

Digitized by Google

buni erant. *Appius*, ut Magiſtratum retineret, *alienam perſonam induit*, plebiſque *Cultor* apparuit, quare *Plebs* illi favere cœpit; jamque nactam Ducem rebatur, quô *Patriciorum* ſuperbiam coërceret; *Appius* verò finem aſſecutus, *nimis citò vivere ſuo ingenio cœpit*, deque uno extremo ad aliud provolavit; cùm enim ſtudio Plebis Magiſtratum denuò arripuiſſet, licèt *Decemviros* ſuæ factionis nominâſſet, nullis tamen firmatus propriis Viribus, peſſimo conſilio Plebis cœpit *Adverſarius* eſſe, eamque Potentiam, quæ vi ſuâ haud nitebatur, *quàque proptereà nil inſtabiliùs*, vel ab initio in diſcrimen adduxit. Graviter autem in *Decemvirorum* electione peccatum à Senatu fuerat; nunquam enim Magiſtratus in Republica creari oportet, qui *nihil timeant*: illi autem Romæ creati ſunt abrogatis Magiſtratibus univerſis *abſque provocatione*: ſed is cunctos invaſerat furor, Plebem nempè propter *Conſulum*, Patres propter *Tribunorum* odium, ut haud periculum libertatis agnoverint.

Videamus autem, quomodo in *Plebis* Reſpublica venerit Poteſtatem; nedum enim Tribunis aucta, & *provocatione* tuta erat, cùm eodem tempore Conſules ſortita populares *Lucium Valerium* & *Marcum Horatium*, qui per *Inter-Regem* creati fuêre, Legem & quidem *Centuriatis Comitiis* latam vidit, *ut quod tributim Plebs juſſiſſet, Populum teneret*; *quâ Lege*, ùt Livius inquit, *Tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum eſt*; eo enim pervenêre *Tribuni*, ut rogationibus ſuis *Legem* dicerent univerſis, cùm *Plebem* ad ſciſcendum quæ vellent, facillimè flecterent; videbantur enim Plebis ſtudiô rogationes ferre; cùm autem licèt totius Populi eſſent *Centuriata Comitia*, *Tributis* tamen Leges ferri poſſent, quæ univerſum Populum tenebant, & *his Comitiis* Plebs ſuos ſibi crearet Magiſtratus, exerceretque *capitalia judicia*, Senatum vocarent *Tribuni*, cunctiſque intercederent *Magiſtratibus*, quis profectò Rempublicam in *Plebis* cecidiſſe *poteſtatem* non viderit? *De nimia Plebis Poteſtate.*

Provocationem autem novâ Lege munivêre, ſanciendo: *nè quis nullum Magiſtratum ſinè provocatione crearet: qui creâſſet, eum jus faſque eſſet, occidi; neve ea cædes capitalis noxa haberetur*; ipſos deníque *Tribunos* Sacroſanctos iterum cùm Religione, relatis quibusdam ex magno intervallo Ceremoniis, tùm Lege reddere viſum eſt.

Tum verò tempus *Decemviros* aggrediendi rati, diem *Appio* dicunt, ad quem *Virginius*: *omnium* inquit, tibi *Appi Claudi*, *quæ impiè, nefariéque per biennium alia ſuper alia es auſus, gratiam facio*;

unius

per Populum actum, ſemperque æſtimationem, arbitriumque ejus honoris penes Senatum fuiſſe; nè Reges quidem Majeſtatem ſummi ordinis imminuiſſe; nè ità omnia Tribuni Poteſtatis ſua implerent, ut nullum publicum Conſilium ſinerent eſſe: ità demùm liberam Civitatem fore, ità æquitas Leges, ſi ſua quisque jura, ordo ſuam Majeſtatem teneant. Sed *Geganio Macerino, & Cajo Julio Conſulibus*, cùm Plebs quieſceret, nullaque rogatione *Tribuni* eam excitarent, Patricia juventus vexare cœpit injuriis, quaſi *ità comparatum ſit à natura, ut ex una in cupiditatem aliam neceſſariò mortalibus ſit tranſeundum*; nec enim *Patriciis* timor abeſſe ſufficiebat, quod priùs quæſiverant, ſed extolli adeò nitebantur, ut deprimerent *Plebem*, repulſamque injuriam, tanquàm *aut facere àut pati neceſſe ſit, aliis injungerent*; quare *omnia mala exempla bonis initiis orta fuiſſe*, egregiè Cæſar inquit; videmus enim in Civitatibus primùm quærere homines, ut nil à privatis, parùm etiam à Magiſtratu timeant; hinc amicitias atque affinitates quærunt, opes augent, artibusque honeſtis uti videntur, nam & ſubveniunt plurimis, multos ab injuriis Potentiorum vindicant, adeoque dexteritate quâdam per virtutem progredi videntur, ut tandem & privati eos timeant, & Magiſtratus plurimi facere cogantur; tunc autem impunè graſſari incipiunt, ſuoque ingenio vivere, eumque in modum ipſis Magiſtratibus abutuntur, ut pro ſuo arbitrio jus reddere videantur.

Plebs igitur iis accenſa ſtimulis, nec nomina, imminente Æquorum & Volſcorum bello, dabat, nec diem alicui Nobilium dicere negligebat; donec tantiſper *Titi Quintii* gravi oratione permota concorditer egiſſe viſa eſt; victisque hoſtibus, iterum rogationes Tribunorum auditæ, fœdo priùs ſecuto judicio *Scaptio* quodom *Authore*, quo Agrum inter Ardeates, atque Aricinos controverſum, cùm judex factus eſſet ab utrisque Populus Romanus, ſibi adjudicavit, qua de cauſa bellum imminere videbatur. *De fœdo Populi Romani judicio Scaptio Authore.*

Sed nequibant ampliùs *Tribuni, cùm jam Legis ferendæ Poteſtatem* arripuiſſent, intrà modum ſe continere, oderantque *Patricios* vel propter diſcrimen ſortemque naſcendi. Erat in 12. Tabulis Lex illa: *Patribus cum Plebe Connubii jus nec eſto.* Receptumque jam erat, Conſules è Patricia duntaxat gente creari. Igitur nec unum, nec alterum ferentes Tribuni, fert *Canulejus Plebis Tribunus Legis rogationem de Connubiorum promiſcuitate*; Collegæ, *ut alter Conſul etiam è Plebe fieret.* Acriter reſiſtunt Patres, nec jam ultrà *De Canuleis Tribui & Colle-*

garum rogationibus. ferri poſſe *furores Tribunitios* affirmant, nec in eadem Urbe *Tribunos plebis & Patres*; *atque aut hunc ordinem, aut illum Magiſtratum tollendum eſſe.* At fortiter urget *Canulejus*, minaturque, neminem arma capturum, neminemque dimicaturum, niſi quod æquæ libertatis eſſe jactabat, *invicem annuis Magiſtratibus parere, atque imperitare liceret*; tunc verò cùm *nec in Republica honorum*, nec *privata Connubiis Societas eſſet*, ajebat, *Superbos velut Dominos* ſe gerere *Patricios*, quibus opportunè neceſſe erat reſiſtere. Vicit igitur *Canulejus*, latâ jam Lege, *ut Connubia promiſcua eſſent.* Nec minore vi cæteri *Tribuni* certabant pro Conſulatu, eoque res deducta erat, ut vel arma capienda eſſent, quò tendebat *Caji Claudii* Sententia, vel cedendum *Tribunis.* Quare ut Simulacrum aliquod honorum penes *Patricios* remaneret, aliud invenêre Magiſtratûs nomen, nullâ *de Conſulibus creandis* mentione adjectâ, ut nihil in *Conſulum* creatione mutari videretur; Placuit igitur promiſcuè creari ex Patribus ac Plebe *Tribunos militum Conſulari Poteſtate*, contentáque Plebs cum Tribunis fuit. Vis enim quærebatur *Magiſtratûs*, non autem *nomen*, parùm æſtimantes honores, qui pro nomine & titulo *Conſulum* largiebantur, dummodò eâ authoritate pollerent, licèt non negaverim Patricios ea in neceſſitare prudenter egiſſe *adinvento illo Magiſtratûs nomine*, quo nulla fuit data facultas gerendi *Conſulatûs*, licèt enim *inane ac vanum ſit ſinè vi ac poteſtate dignitatis nomen*, magnum tamen diſcrimen intercedit inter vim & nomen, ac nomen, ſimulque vim habentem; Cùm ergo diverſi eſſent *Conſules*, & *Tribuni militum Conſulari poteſtate*, licèt nominetenus; *Conſulatûs* nomen illibatum & integrum Patriciis remanebat, ut ad eam dignitatem, vimque ſimul, aditus datâ occaſione Patriciis tantummodò pateret. Quare *artis* uſus fuit opportunus, & ſemper utilis, ſemperque neceſſarius, cùm ubi deſideria ac motus eorum, qui hactenus à præcipuis dignitatibus excluſi imponunt eorum vim communicandi neceſſitatem, tùm ubi eorum miniſterio & virtute opus, quos ejuſmodi dignitatibus ornare per Leges Reipublicæ non licet, & ubi magnifico nomine, & ſic ſimul pompa magnæ Poteſtati detractis, Ærario conſulitur.

De Tribunis militum Conſulari poteſtate.

Comitia igitur *Tribunis Conſulari Poteſtate* Tribus creandis indicuntur, omneſque è Patriciis, ùt alibi diximus, creati; qui etiam tertio menſe, quàm Magiſtratum inierunt, *Augurum* decreto perinde ac vitio creati, honore abivêre, quod *Cajus Curtius*, qui *Comitiis*

tiis eorum præfuerat, parùm rectè Tabernaculum cœpiſſet. Iterumque reditum ad Conſules, quoniam *Plebs* ea *Comitia* maluit, quibus ſui ratio haberi nequiret, quàm quibus ut indigna præteriretur, *Tribuniq́ue* certamen ſinè effectu in beneficio apud *Primores Patrum* reliquêre.

Manſit tamen Magiſtratus ille in Republica 80. fermè annorum ſpatio, auctusq́ue identidem numero fuit, interpoſitâ nonnunquam ordinariâ Conſulum Poteſtate, prout Plebs, vel Patres contentionibus prævaluiſſent, donec anno Urbis 387. *Lucius Sextius* primùm de Plebe *Conſul* factus eſt, conceſſumq́ue ab Nobilitate Plebi de *Conſule* : Nobilitati *de Prætore uno*, qui jus in Urbe diceret, ex *Patribus* creando; fuitq́ue, ut plerumque ſolet, parva rem adeò maximam perficiendi; cauſa, quâ Plebs tandem eum ſibi honorem peperit; cùm enim *Quintus Fabius Ambuſtus* è *Patricia Gente* filias nuptui dediſſet, alteram *Servio Sulpitio* Nobili, *Cajo Licinio Stoloni* Plebejo alteram, conveniſſetq́ue *Stolonis* uxor ad ſororem, *Lictor* fortè venit *Sulpitii*, qui tum in Magiſtratu erat, foresq́ue de more percuſſit virgâ; cùmq́ue ea expaviſſet, non aſſueta *Lictores* in plebeja domo videre, riſit altera, explicuitq́ue, dignitati Viri eos adeſſe oportere; indignata hinc ſoror, quòd Plebejo nupta eſſet, quòdq́ue honores non capeſſeret, quæſta eſt ad Patrem, Virumq́ue; unde agitandi conſilia origo, placuitq́ue primùm *Licinium ipſum Stolonem*, *Luciumq́ue Sextium* acerrimi animi juvenem, cuiq́ue nihil ſpei præter *Genus Patricium* deerat, *Tribunos plebis* creari; Qui peropportunum rati ſub *Tribunatûs* initiis ſibi Plebem conciliare ære alieno fermè oppreſſam, uno eodemq́ue tempore, *agri*, *pecuniæ*, *honorum* rogationes promlgârunt; *ut*, nempe quoad æs alienum, *deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus perſolveretur, utq́ue nè quis plùs* 50. *jugera agri poſſideret, & denique nè Tribunorum militum Comitia fierent, ſed Conſulum, & ut utique alter è Plebe crearetur.* Hinc contentiones acerrimæ, certatumq́ue ad 9. fermè annos, ſemperq́ue iidem *Tribuni* refecti, ut cœpta perficerent, adeò ut quinquennio integro propter *Tribunorum* interceſſiones, ad quas confugiebant *Patricii*, *Conſulum* Magiſtratu Reſpublica vacaverit, quoniam *Licinius*, *Sextiusq́ue* nulla permittebont celebrari *Comitia* præter *Ædilium*, *Tribunorumq́ue Plebis*, ùt alibi dictum eſt. Nec profuit Dictatorem dicere Furium Camillum; nam *Tribuni* tulerunt ad Plebem,

De Conſulatûs Magiſtratu Plebejis etiam promiſcuo.

Plebsque ſcivit, ut ſi *Marcus Furius* pro *Dictatore* quid egiſſet, 500000. *æris ei multa eſſet*, quare *auſpiciorum vitii prætextu* Magiſtratu ſe abdicavit; nec interceſſione quidquam ampliùs profici poterat, cùm *Tribus ipſæ, uti rogas*, reſponderent, & *Tribuni* cæteri memores erant *Aulii Virginii*, & *Quinti Pomponii* casûs, quibus quod *rogationi Tribunitiæ*, quâ præcipuè *Vejos* migrare Plebem ferebatur, interceſſiſſent, die dicta, damnatique denis millibus gravis æris fuêre; hinc acriùs inſtare *Licinius*, *Sextiusque*, donec per ingentia certamina, licèt Dictator quintùm idem *Marcus Furius Camillus* metu Gallici belli dictus eſſet, decimo tandem anno *Senatus Dictatorque victi*, rogationibus Tribunitiis ceſsêre; quapropter & *Comitia* Conſulum habita, ipſeque *Sextius Conſulatum* adeptus eſt.

De præcipuis Romanorum bellis.

Is erat Reipublicæ ſtatus, cùm ingentia orta bella, *Gallicum* præcipuè, *Samnitium*, *Punicumque*, rebus novandis occaſionem ademêre; quibus confectis *Victrix jam Gentium* Roma adeò creverat, ut nedum Italiæ, totique Græciæ, ſed ampliſſimis Africæ Regionibus dominaretur; jamque nullus alter, ſeu Princeps Populus, ſeu Rex eſſet, par eſſe Romanis poterat; donec confectis etiam bellis aliis, ùt Hiſpanico cum Viriato, & Numantino, Siculoque à Servorum defectione moto; ſublato quocunque hoſtium metu ſuis ſe demùm opibus ipsà conſumpſit; nam Aſia quoque, Attali Regis teſtamento, Romanorum facta, vitia etiam ſua Romam cum opibus tranſmiſit; eoque tempore cœptæ denuò ſeditiones, quibus primò ad arma ventum eſt;

De Gracchanis ſeditionibus.

Tribunus namque plebis Tiberius Gracchus, ſeu Senatûs, ac Patriciorum odio, ſeu ut impotenter dominaretur, obliteratam *Agrariam Legem* poſt adeò longum temporis intervallum denuò renovare tentavit, nec exſequi tempus ferebat ampliùs; unde non jam ambitione duntaxat certare ordines videbantur, ſed neceſſitate, eratque *Patriciorum ac Divitum* Potentia adeò aucta, ut Legibus coërceri nequiret.

Ille autem quoniam impetu ducebatur, nec Rempublicam eo tempore ſuis rogationibus peſſumdari cogitabat, *Legem* tulit, nè quis amplius 500. poſſideret agri jugera, ſeque & fratrem *Gracchum*, & *Appium Claudium* Socerum *Triumviros* ad dividundum Agrum creat, additque *Legi* Caput, *ut iidem Triumviri, ſi quis latiùs agrum pateſeciſſet, judicarent, quà publicus, quà privatus ager eſſet, atque iis, qui Semproniâ Lege agrum accipere deberent, pecunia Regis Attali divideretur*; adeòque furore exarſit, ut intercedenti *Collega Otta-*

Digitized by Google

Octavio Magiſtratum *Tributis Comitiis* Lege latâ abrogâſſet; cumque denuò in ſequentem annum refici tentaret, ut Legem exſequeretur, adeò Senatus, Patritiique commoti ſunt, ut in Capitolium, quò ſe receperat, *Publio Cornelio Naſica* Authore, interfectus fuerit, cumque aliis, qui in ea Seditione occiſi fuêre, in Tiberim projectus fuit.

Sed *Cajus* frater ejus veſtigia ſequens, decennio poſt, *perniciosas etiam tulit Leges, frumentariam nempe, ut Semiſſe & Triente frumentum Plebi daretur; eandem Agrariam; aliamque*, quâ Equeſtri Ordini omnis authoritas in Senatu acceſſit, nam 300. Senatoribus 600. Equites admiſcuit, adeóque *judicia* è Senatu ad Equites transtulit, pluréſque Colonias in Italiam deduxit, aliamque in Solo dirutæ Carthaginis Triumvir ipſe creatus; cumque cœptis ejus, Collegarumque *Fulvii Flacci, & Caji Carbonis Publius Scipio Africanus* adverſaretur, mortuus in Cubiculo inventus fuit, licèt priùs fortis, validúsque domum ſe receperit; quare de Sempronia Uxore ſuſpicio habita fuit, quoniam Soror Gracchorum erat. Cùm autem ex Africa reverſus eſſet, *Opimiumque Conſulem* inveniſſet molientem abrogare, quæ jam ipſe ſtatuerat, Seditionem magnam excitavit; quare *Opimius* convocato Senatu effecit, ut telum illud acerrimum explicaret, *videant* Conſules, *nè quid Respublica detrimenti capiat*; quo armatus *Conſul Opimius*, coëgit Populum etiam arma capere, *Grachumque*, qui Aventinum occupaverat, cum armata Plebis multitudine adortus, ejecit ab urbe, interempto Collegâ *Fulvio*, ipſumque adeò perſecutus eſt, ut cum nulla effugii ſpes eſſet, ſervo ſe occidendum dederit, à quo jugulatus, caputque *Opimio* allatum, qui auri pondus idem largitus eſt; Eâ tamen Seditione Civium occiſa plus quàm 3000.

De Cajo Mario Conſule.

Jamque nec Jura, nec Patrum authoritas valebant; tantúmque poterat Civili bello vacare Reſpublica, quantum externo implicita eſſet. Victis igitur Cymbris, Numidisque, cùm *Cajus Marius Conſul* è Plebe homo iis bellis penè Rempublicam ſervaſſet incolumem, ſemperque victor, *Patriciorum* etiam invidiam in admirationem ſuæ virtutis convertiſſet, jam ſextùm Conſul, cùm Respublica in pace eſſet, eam ingenti motu adeò concuſſit, ut penè everteret; ſtudebat enim tantam ſibi parare potentiam, ut repugnante *Senatu, Patriciiſque* Conſul denuò fieret, atque adverſæ factionis homines in ordinem cogeret; unde utrùm bello melior,

an pace pernicioſior fuerit, difficile judicium videtur; tantæ enim in bello fuêre virtutes, ut penè ad Exemplar veræ gloriæ natus videretur; ea tamen in pace vitia, ut flagitioſiſſimum quemque triſtiſſimumque antecelleret; quare cùm *Gneum Apulejum Saturninum Tribunum Plebis* creari curâſſet, Aulo Numio Competitore per milites occisô, ut denuò agrariæ Legis peſtem in Urbem inveheret, effecit, adeóque *Tribunus ille* Marii Potentiæ innixus impotenter ſe geſſit, ut *Quintus Metellus Numidicus*, qui authoritate Patribus cunctis anteibat, urbem derelinquere ſatiùs judicaverit, inque Rhodum Inſulam receſſerit. Sed irritatus Populus *Caji Memmii* Cæde, qui Conſulari dignitati proximior erat, quemque è medio ſublatum à Tribuno viderat, ut ſuarum partium viro eam dignitatem compararet, eundem in foro, Senatu quoque adjuvante, adortus eſt; quare *Marius* ipſe adverſus eum arma capere conſultum putavit, nè Populo inviſus redderetur, cuncta enim ſua ex utilitate metiebatur, unde Quintus Cecilius Metellus ab exilio cum ingenti totius Urbis gaudio revocatus eſt, *Senatuſque* vigebat authoritas; qui propterea cùm *Tribunus* eſſet *Marcus Livius Druſus*, isque cauſam ejus ſuſtineret, omni vi ad ſe judicia transferre niſus eſt, impotentiam Equeſtris Ordinis in iis exercendis haud amplius ferens, eo namque tempore *Publium Rutilium* ſummæ innocentiæ Virum, Legatumque *Quinti Lucii Proconſulis* ob id inviſum Equeſtri Ordini, quoniam Publicanorum, qui potiſſimùm Equites erant uſurariam pravitatem in Aſia ultus erat, *repetundarum* damnaverat; Druſus autem, ut vires ſibi majores compararet, perniciosis iisdem *Agrariæ Legis*, *frumentariæque* largitionibus, ſpéque ſociis factâ de *jure Civitatis obtinendo*, Rempublicam corrupit, quamvis tuliſſet de judiciis *Legem*, ut æquâ parte pænès *Senatum* & *Equeſtrem Ordinem* eſſent; cùm enim Senatus, Conſuleſque *Philippus* ac *Quintus Cæpio* conatibus ejus ſe opponerent, Seditiones ortæ ſunt, *Tribunusque Druſus* Conſulem ipſum *Cæpionem* ex arce Tarpeja præcipitem dare minabatur; *Philippo* autem in *Comitiis* adeò Collum detorſit, ut ſanguis è naribus continenter efflueret. Cumque tandem veniſſet dies, quo perferri Lex *de jure Civitatis Sociis dando* deberet, adeo commota eſt Civitas univerſa ut parum abfuerit, quin accerrimè in Urbe dimicaretur; *Druſus* autem cùm domum ſe reciperet, gladio confoſſus eſt; hinc Socialis belli origo, cùm Italici Populi, *Picentes nempe*, *Veſtini*, *Marſi*, *Peligni*, *Marrucini*,

De Agrariis, & frumentariis Legibus.

De Belli Socialis origine.

cini, *Lucani*, *Samnites* ſpe Romanæ Civitatis fruſtrati, defectionem maturaverint, quo nec dum confecto occaſione Mythridatici belli, tunc primùm ſummis bellorum Civilium motibus agitari Reſpublica cœpit; cùm enim Lucius Sylla, qui Nolam obſidebat, contrà Mythridatem Dux belli gerendi creari deberet, *Cajus Marius*, Publio Sulpitio *Tribuno Plebis* Authore, qui perniciosas etiam alias Leges promulgaverat, effecit, ut ipſe *poſthabito Lucio Sylla*, quanquam 70. annum agens Dux fieret, illatâ etiam Pompejo Conſuli vi, occiſoque filio, qui erat Syllæ gener; cumque Syllæ juberetur, ut Exercitum dimitteret, ille nedum recuſavit, ſed Romam cum ipſo Exercitu venit, adverſusque factionem Sulpitii & Marii in ipſa Urbe pugnavit, eamque ejecit, hoſteſque à Senatu declarari curavit *Marium ipſum*, *ejusque filium Publium Sulpitium*, *cæterosque novem alios* è Senatu ſibi adverſantes; quare *Sulpitius* rure abditus, cùm à Servo detectus eſſet, occiſus fuit; ſervus autem habuit quidem promiſſum indicii præmium, manumiſſionem nempe, ſed poſteà ob ſcelus in Dominum cunctis inviſus proditionis ſuæ pœnas luit, deque *Saxo Tarpejo* præceps miſſus eſt; *Marius* verò *Filius* in Africam trajecit, Pater in agro Minturnenſi abditus, detectusque, Majeſtate, famâque nominis Servum natione Gallum ad eum occidendum miſſum adeò terruit, ut infectâ, necdum tentatâ re deceſſiſſet; quare in Africam delatus eſt, ut exul ibi cum filio eſſet. Ità Sylla rerum potitus, ordinato ſtatu Civitatis, ad Mythridaticum bellum profectus eſt, Mythridates namque intereà Aſiam occupaverat, *Quinto Oppio Pro-Conſule*, *Legatôque Aquiliô* in vincula conjectis, profligatisque Romanis Exercitibus; Italis etiam omnibus ad condictum diem per totam Aſiam interfici juſſis; Macedoniam quoque, Thraciam, Græciam & ipſam Athenarum Civitatem in ditionem ſuam redegerat.

De Bello Civili Syllanarum & Marianarum partiũ.

Sed incendium diù excitatum erupit tandem adeò vehementiùs, ut Romana Civitas univerſa conflagrari videretur, nam abſente *Sylla*, atque tunc temporis Athenas obſidente *Cornelius Cinna Marianarum* partium, & *Gneus Octavius Syllanarum* Conſules facti; ſtatimque *Cinna* Legem, quâ Marius, cæterique Reipublicæ hoſtes declarati erant, abrogare, eosque ab exilio revocare tentavit; reſtitit Octavius, & quamvis *Cinna* armatus proceſſiſſet, *Senatu Octavio* favente ex Urbe pulſus eſt, aditque Marium, ad cujus partes *Appium Claudium*, qui præerat Exercitui ad Urbem Nolam, multasque

que Italiæ Civitates adjungit; quibus auxiliis, copiisque freti, conſilium capiunt belli gerendi, atque Italiam petunt, inſtructoque Exercitu Urbem rectâ tendunt; G. autem *Pompejus* priùs neutrarum partium *Octavio* ſe adjungit, nec cum Senatûs Exercitu prælium detrectat; ità ante portas ipſas Civitatis atrox committitur pugna, in qua duo fratres, alter ex Pompeji Exercitu, alter ex Cinnæ ignorantes concurrunt, victorque demùm, dum mortuum ſpoliat, fratrem agnoſcit, adeóque dolori ſuccumbit, ut eodem rogo, quem ſuprà ſe transfoderat, & eodem igne conſumi voluiſſet; licèt autem tunc nemo victor evaſerit, opprimi tamen inter ea initia poterant *Mariani*, nî *G. Pompejus* fraude utramque partem foviſſet, donec confirmati tandem *Cinna* & *Marius* quadrifariam partitis copiis, adjunctisque *Carbone* & Sertorio nedum Urbem caperent, Civesque *G. Octavii*, ac *Syllanarum partium* interficerent, ſed Urbes etiam cæteras faventes hoſtibus diriperent, prædasque inter ſe partirentur. Tandem cùm Cædes, Proſcriptio, Bonorumque direptio inter *Cinnam*, & *Marium*, *Sertorium*, atque *Carbonem* in Commercium venire viſa eſſent, quo *Magiſtratus* ſpecie liberiùs graſſarentur, *Conſulatum* arripuêre *Marius* atque *Cinna*; verùm paulò poſt ſenio confectus Marius morbo exſtinctus eſt. *Sylla* verò cùm eſſet certior factus de iis, quæ acciderant, Mythrydatico bello finem impoſuit, pacemque ità fecit, ut Rex ceſſerit *Aſiâ*, *Bythiniâ*, *Cappadociâ*; interim verò *Lucius Cinna* Lucium Flaccum miſit, ut *Syllæ* ſuccederet; qui tamen à Legato ejus Fimbriâ interfectus eſt, cumque copiis in Aſiam trajecit, deſertusque ab Exercitu, qui tranſivit ad *Syllam*, à Servo, cui Cervicem præbuit, quemque rogaverat, ut omninò interficeret, necatus eſt. *Lucius* tamen *Cinna*, & *Gneus Papirius Carbo* Conſules ſemetipſos per biennium renunciàrunt; ac licèt de pace agi Senatui opportunum viſum fuiſſet, Legatique ad Syllam miſſi eſſent, *Cinna* tamen deliberavit migrare in Græciam, ibique contra *Syllam* bellum gerere; cùmque invitum cogeret Exercitum naves conſcendere, lapidibus obrutus periit, unde ſolus *Carbo* Conſulatum geſſit; Cùmque *Sylla* Legatis futurum ſe in Poteſtate Senatûs reſpondiſſet, ſi *qui Cives ad ſe confugerent*, *quique alibi exularent*, *reſtituerentur*; juſtumque id videretur; *Carbo*, *factioque ſua*, quoniam bellum magis appetebat, tractationem omnem diremit, violatis etiam, quos *Sylla*, cùm jam Italiæ eſſet, miſerat, quare acriter in Campania propè Capuam

pugna-

pugnatum eſt, *Cajus Norbanus Conſul* eo prælio victus. Exercitus autem *Lucii Scipionis* alterius Conſulis ſollicitatus à *Sylla* militibus ſigna ad eum tranſtulit, pænès quem Nobilitas omnis ſe recipiebat; interim verò *Cajus Marius Caji Marii filius* 20. annorum Juvenis per vim *Conſul* creatus Nobilitatem omnem, quæ in Urbe morabatur trucidari jubet, è cujus numero *Quintus* etiam *Mutius Scævola* Pontifex Maximus in veſtibulo Ædis Veſtæ occiſus eſt; cùmque ad Sacriportum cum *Sylla* pugnâſſet, victus, in Oppidum Præneſte ſe recepit, ubi à *Lucretio Aſella* obſeſſus, cùm per Cuniculum tentâſſet erumpere, cum *Pontio Theleſino* Samnitium Duce fugæ comite, præclusâ evadendi ſpe, ſtricto utrinque gladio concurrit, eoque occiſo, ſaucius ipſe à ſervo, quem propterea rogaverat, interfectus eſt. *Sylla* verò *Carbonem* ad Cluſium, Faventiam, Fidentiamque vicit, atque omninò Italiâ ejecit, debellatiſque Samnitibus, Romam intravit, *Dictatorque* creatus, victoriam pulcherrimam immani crudelitate inquinavit; ad octo enim millia deditorum interfecit in via publica, multa Civium millia proſcripſit, atque fermè bis mille in Urbe trucidari juſſit; Præneſtinos etiam interfici mandavit univerſos; Spoletinos autem, Interamnesque, aliarumque Urbium accolas *Marianarum partium* ſub Corona vendidit: *Sulmona* Urbem à fundamentis diruit, æquavitque ſolo. *Carbonem*, qui ad Siciliam fugerat, miſſo ad eam Inſulam *G. Pompejo*, occidi imperavit, captúsque, nomen etiam moriendo inquinavit, cùm muliebriter fleret, vilémque atque abjectum animum oſtenderet; *Marium* autem Senatorium Virum *Caji Marii* fratrem cruribus, brachiiſque fractis, auribus præſectis, & effoſſis oculis necari juſſit. Tandem Reipublicæ componendæ operam dedit, *Poteſtatemque Tribunitiam* adeò minuit, ut ad ſua Inſtitutionis initia revocaretur, omni jure ferendi Leges adempto: *Senatum* ex Equeſtri ordine ſupplevit: *Pontificum* atque *Augurum* Collegia ampliavit: proſcriptorum liberis jus petendorum honorum ſuſtulit, bonáque diripuit: *Colonias militares* è Legionibus deduxit, agrúmque diviſit, unde *Samnii* præcipuè Urbes Coloniæ militares ſuêre. Tandem cùm Dictaturam 6. menſium ſpatio exercuiſſet, eà ſe abdicavit, Comúmque ſe recepit, ibíque privatus, parùm tamen, vixit, morbóque pediculari exſtinctus eſt. *Lepidus* autem, cùm acta ejus reſcindere tentâſſet, novum bellum excitavit, & à *Collega Quinto Catulo* Italiâ pulſus, Sardiniam appulit, ubi fruſtrà bellum moliens periit. Sed non de-

De L. Syllæ Dictatoris Inſtitutis.

 fuit

Digitized by Google

De Sertoriano bello. fuit *Marianis partibus* Dux alter, & quidem cæteris præſtantior, *Sertorius* nempe, qui nunquam vinci potuit, & Hiſpaniæ, ubi bellum gerebatur, plures fudit Exercitus, donec tandem dolo in Convivio quodam à *Marco Antonio*, & *Marco Perpenna* fuerit interfectus; Quare Provinciam facilè recepit *Pompejus*, qui adversùs eum parùm proſperè pugnaverat; tunc autem bellum oportuit Mythridaticum conficere, quod vivo adhuc *Syllâ* denuò cœptum erat, eóque mortuo, fœdus etiam cum *Sertorio* Rex pepigerat, *Bythiniamque*, quam teſtamento Regis Nicomedis Populus Romanus acquiſiverat; inque Provinciæ formam redegerat, armis occupaverat; adversùs quem *Lucius Lucullus* equeſtribus, ſecundiſque præliis pugnavit, atque in *Pontum* primò, deinde in *Armeniam* ad Tigranem Regem fugere coëgit; quo etiam flagrante *Servile bellum* exortum eſt; cùm enim 74. Gladiatores è ſpectaculo, quod à Lentulo Capuæ parabatur, confugiſſent, *Spartaco Ænemeo*, *&* *Criſſo Ducibus*, collecta Servorum, & Ergaſtulorum haud parvâ manu, *Veſuvium* occupâſſent, *Claudium* pulchrum, & *Prætorem Vatinium* prælio vicerunt, aliósque etiam fugarunt Exercitus, donec à *Marco Craſſo Prætore*, *&* *Pompejo* profligati fuêre, cæſis primò fugitivis Gallis, Germaniſque 35000., eorúmque Duce *Cranico*; poſteà verò debellato *Spartaco*, cum eóque cæſis 40000. *Lucullus* autem ſubacto *Ponto* cum ambobus Regibus *Tigrane*, ac *Mythridate* congreſſus, acie cæſis Peditum 200000., Equitum verò 60000. utroſque debellavit, Urbésque maximas cæpit *Tigranocertam* Armeniæ Caput, ac *Niſibem*; Sed cum *Manilii Tribuniplebis* rogatione Lex lata eſſet, ut *Pompejo* Mythridaticum bellum mandaretur, ægrè ferente Nobilitate, quoniam *Marco Craſſo*, ipſóque *G. Pompejo* Conſulibus Legiſlatio *Tribunisplebis* ea fortaſſe de cauſa reſtitnta fuerat; *Lucullus* laborum ſuorum, victoriarúmque fructum amiſit, nam adventanti Pompejo cedere coactus, Exercitúmque dimittere, nec ampliùs Rempublicam capeſſere deliberavit, unde otio & luxu diffluens, conviviáque celebrans, vixit deinceps ùt *ignavum animal*, adeò ut nomen ipſum in adagium tranſire viſum ſit; *Pompejus* autem Mythridaticum bellum confecit, ampliavítque Rempublicam, ampliſſimis namque partis Regionibus, potentiam mirificè Romanorum auxit, quoniam *Tigrane* in deditionem accepto, ſolâ contentum *Armeniâ* eſſe juſſit, *Syriam*, *Phœniciam & Ciliciam* ademit, *Iberos & Albanos*, Mythridatem perſequendo, vicit, ac Romano adjecit Imperio, *Pontum* in Provinciæ

De bello Servili.

De bello Mythridatico.

Digitized by Google

ciæ formam redegit; quare *Mythridates* undique pulſus, deſperatis jam rebus, fugam in Gallias meditans, ab Exercitu deſeritur, *Pharnace* filio ſolicitante, à quo obſeſſus, cùm veneno hauſto parùm profeciſſet ad mortem, militem Gallum nomine *Bitocum* oravit, ut interficeret, à quo propterea necatus eſt; quare auctus gloriâ *Pompejus* nondum eo confecto bello, ſed quia breviſſimo tempore *Pyratas* univerſos, qui Maria omnia, & oras infeſtabant, exraordinarium *Lege Gabiniâ* nactus Imperium, perdomuerat; *Judæos* quoque ſubegerat captâ Urbe *Hieroſolymâ*, Templúmque inviolatum ante id tempus cœperat, Romam reverſus, *Magni* cognomen meruit.

De Pompeji virute.

Dum autem foris adeò Pompejus Romanorum amplificabat Imperium, *Lucius Catilina* bis repulſam paſſus in petitione Conſulatûs, cum *Prætore Lentulo*, *Cethego*, *aliiſque Senatoribus*, conjurat de cæde Conſulum & Senatûs, déque inflammanda ac diripienda Urbe, opprimendáque Republica, Exercitúmque hac de cauſa in Hetruria comparat; ſed nephariâ conſpiratione *Ciceronis Conſulis* induſtriâ detectâ, *Catilina* Urbe pellitur, de *reliquis* ſupplicium ſumitur.

De Conjuratione Catilinæ.

Eminebat quoque præ cæteris in Urbe *Cajus Cæſar*, & *Marcus Craſſus*, qui adeò dives erat, ut Exercitum ſuo ſumptu alere poſſet, jactabátque, neminem re verâ divitem eſſe, qui alendo Exercitui per integrum annum non ſufficeret; *Cæſar* autem ex Urbana Prætura *Luſitaniam Provinciam* nactus, ob res ibidem præclarè geſtas triumphum quidem obtinere potuiſſet, ſed *Conſulatûs* honori poſthabere voluit; ità *Conſul* cum *Vibulo* creatus, *Leges* quoque *Agrarias* invito Senatu, *Collegáque* tulit, *ut*, nempe, *divideretur omnis Ager, qui eſſet publicus Populo Romano, excepto duntaxat Campano Agro*, quem propter amænitatem, ubertatémque, Reipublicæ proprium fecit; *utque ager privatus emeretur ab iis, qui vellent vendere, pecuniâ publicâ*, cujus magna erat copia partim ex præda Pompeji, partim ex *Tributis*, & *Vectigalibus annuis*; *quâ Lege* aditum ad *Rempublicam invadendam* ſibi faciebat.

De Triumviratu M. Craſſi, & Pompeji.

Pompejus autem eodem tempore, cùm acta ſua ab Senatu rata fieri vellet, adverſantibus *Lucullo*, *aliiſque* Primoribus, cum *Cæſare*, *Craſſoque* conſpirationem iniit, adeò ut *Triumviratus* diceretur, adeóque in eorum incidit *Reſpublica* poteſtatem, firmatâ magis amicitiâ cum *Cæſare* nuptiis *Juliæ filiæ*, quam *Pompejus* duxit. Ità inter ſe *Conſulares Provincias* divisêre, datæque *Pompejo* Hiſpaniæ, *Craſſo* Syria, & Parthicum bellum, *Cæſari* Gallia & Germania; cúmque

que in quinquennium prorogari. *Lucius Cajus Trebonius Tribunusplebis* promulgâſſet, *Marcus Cato*, quoniam Legem impedire nitebatur, in vincula ductus eſt; Parthicum tamen bellum *Gabinio* contigit, qui Romæ accuſatus, atque à *Cicerone* defenſus, evaſit quidem pœnas, ſed juſſus Exercitum dimittere, ſucceſſorem habuit *Craſſum*, qui eo bello periit, deleto etiam Exercitu, adverſus quem Parthi etiam exanimem *propter Viri odium* ſæviêre, liquatoque auro os ejus implevêre, ut inſatiabilem auri cupiditatem exprobrarent, atque ità irriderent, cùm apud Parthos eam expleviſſe ſignificarent.

Jam igitur is erat rerum Status, adeóque Magiſtratus Univerſi *Cæſaris atque Pompeji* arbitrio ſuarum partium Viris demandari videbantur; dum autem *Cæſar* Gallicum bellum gerebat, *Pompejus* occultis artibus adeò progredi ſtatuit, ut tandem ſolus rerum potiretur, nec enim ampliùs parem ferre poterat, agnoſcebatque, nec Superiorem à Cæſare ferri poſſe, Juliæque obitu diſſoluta erat affinitas; Igitur adeò tegebat animum, ut nîl aliud cogitare videretur, quàm *Reipublicæ* incolumitatem, undè Criminationes in *Cæſarem* ejus arte ferebantur, quòd in Gallia, Exercitúque *Supremum Principem* ageret; Romæ autem, cùm jam nulla eſſet Legum authoritas, homines Cupiditatem, ambitionemque ſuo arbitrio explere patiebatur, ut ad eum Senatus, Populusque univerſus verteretur, qui Rempublicam reſtitueret, eâque ſpecie *Summam rerum* aſſequeretur; nec enim *Cæſare melior, ſed occultior erat*; jamque vi & armis Magiſtratus invadebant, palamque Rempublicam lacerabant, undè *Clodius*, quoniam cum Tito Annio Milone de Conſulatu contendebat, ab eodem occiſus fuit, & *Ipſæus*, *Scipio*, aliique in forum armati proceſſêre, *Populum* cogentes, ut *Magiſtratus* daret, quos ipſi ambire fatebantur; quare *Pompejum* omnes intueri, rogâre, ut tertiùm *Conſul* eſſet, utque *Collegam*, quem voluerit, cooptaret; Hinc ſpes *Cæſari* Conſulatum arripiendi, nec enim adhuc *Pompejus* in ſuſpicionem venerat, adeò conſilia, ſenſusque abditi erant; ille verò *Scipionem Conſulem* declaravit, *Cæſarisque* habendam rationem in *proximis Comitiis* dixit, etiam ſi abſens eſſet; quâ de causâ licèt ægrè tuliſſet *Cæſar*, neglectum eo tempore fuiſſe, credidit tamen, quòd *ſequentibus Comitiis* Conſul omninò eſſet, nec intereà belli Gallici ſtatus aliud tentare patiebatur; *Pompejus* contrà nedum aditum ad Conſulatum, augendamque magìs potentiam *Cæſari* intercludere, ſed eum opprimere in animum

animum induxerat, cùm jam ſciret, haud repulſam denuò laturum; igitur nîl omittit, quod firmandæ Potentiæ, augendisque viribus conducere putat, *Senatum*, *Patriciorum Præcipuos*, *totamque fermè Nobilitatem* ad partes trahit, *Conſulesque Cajum Claudium Marcellum*, *& Lucium Lentulum* creari curat, quorum operâ Legiones duas à Gallico Exercitu, prætextu Parthici belli, Italiam revocat, *Senatumque* ad Decretum illud adigit, quo *Cæſar* Exercitum antè certam diem dimittere jubebatur; *Cæſar* tamen cum factione ſuâ fruſtrà, ut idem *Pompejus* faceret, nitebatur; Quâpropter *Tribuni plebis Antonius & Caſſius*, nequidquam intercedentes, ad ipſum Cæſarem fugere coguntur, Senatusque telum illud explicat, quo armari Conſules, ipſéque *Pompejus* jubebantur, cùm nedum Conſulibus, ſed eidem mandaverit, ut *viderent*, nè *quid Reſpublica detrimenti caperet*; cùmque fruſtrà de Concordia actum eſſet, cùm nullæ *Cæſaris* conditiones placerent, ille diù cunctatus, *Rubiconem* tandem cum Exercitu pertranſivit, & *Patriæ hoſtis* à Senatu declaratus, bellum intulit, quo nullum atrocius unquam fuit, quóque Reſpublica adeò agitata, concuſſaque, ut tandem omninò everſa remaneret; cùm enim nedum Româ, ſed totâ Italiâ *Pompejum* recedere, atque in Græciam navigare coëgiſſet, Hiſpaniamque ſubegiſſet, victis *Afranio ac Petrejo* Pompejanarum partium, eorumque Exercitibus in deditionem acceptis, *Dictator* primùm à *Marco Lepido* renunciatur, poſteà vero cùm *Servilio* ſeipſum Conſulem creat, bellumque proſequitur, *ejus Virtutem adeo Comitante fortunâ*, ut licèt priùs ad Dyrrachium à Pompejo ſuperatus videretur, eum tamen adeo in Pharſalicis Campis attrivit, ut in Ægyptum fugere coëgerit, ibique Ptolomæi Regis juſſu interfectus fuerit, miſsô *Cæſari* Capite, ad cujus adſpectum lachrimâſſe *Cæſarem* fertur; Iterumque *Dictator* dictus, ipſum Ægypti Regem aggreditur, confectóque *Alexandriæ* periculoſiſſimo prælio, *Regnum* Cleopatræ permiſit; altero autem anno Aphricanum etiam bellum expedivit, cum *Juba Rege Scipione ſimul & Catone de victis*, unde *Cato* mortem ſibi apud Uticam conſcivit; cæterique etiam; *Petrejus* namque *Jubam*, *ſeque* interemit, & *Publius Scipio* in navi circumventus, cùm ab hoſtibus quæreretur, ſeque ipſum interficeret, reſponſum dedit, *Imperator*, inquiens, *bene ſe habet*; adeò immani odio contra *Cæſarem* ferebantur, horrebantque venire in ejus poteſtatem; Romam inde reverſus, ſummóque gaudio exceptus, cuncti enim ordines *ad*

De bello Civili Cæſaris, & Pompeji

fortunam mutati erant, 4. triumphos egit, ex Gallia nempe, Ægypto, ex Ponto & Africa, epulumque, atque omnis generis ſpectacula edidit, cenſumque egit, quo Civium Capita 150000. cenſa fuêre. Quoniam verò *Pompeji* filii Hiſpaniæ bellum renovare conabantur, profectus adversus eos, poſt varias expeditiones ſummam Victoriam non ſinè maximo diſcrimine apud Mundam urbem adeptus eſt, quo in prælio *natu major Pompeji filius* acerrimè dimicans occubuit; *Sextus autem Pompejus* effugit. Ità Romam triumphans rediit, cunctique ei à Senatu honores decernuntur, interque eos ut *Pater Patriæ* appellaretur, utque *Sacroſanctus*, ac perpetuùm *Dictator* eſſet, atque hìc tandem Reipublicæ imago ipſa concidit, cùm *Solus Cæſar* Summum Imperium ſub *Dictatoris* nomine acceperit, nec oſtendere poteſtatem abſtinuerit, cùm *Senatui* eos honores deferenti antè Ædem Veneris Genitricis ſedens minimè aſſurrexerit, *Marcum Antonium* Capiti ſuo Diadema imponentem haud objurgaverit, ipſumque Diadema in Sella repoſuerit; *Tribunis* autem Plebis Epidio *Marullo*, & *Ceſonio Flavo* invidiam, tanquam Regnum affectanti, moventibus poteſtatem abrogavit.

Di Victoria Cæſaris atque Triumpho.

De Cæſaris Dictatura.

En igitur Reipublicæ Romanæ orbem usque ad *Dictaturam*, ſeu potiùs *Tyrannidem* Cæſaris perductum! vidimus enim initia ſub *Romulo*, qui eam æquis adeò Legibus, ordinùmque ac Munerum diſtributione temperavit, ut vel *infans* hoſtium in medio adoleſcere potuerit, donec ambitione ſimul ac nefario ſcelere *Tarquinii Superbi* corrupta, concidiſſe viſa eſt. Surrexit autem & quidem robuſtior *Bruto Authore*, manſitque, donec ambitio atque ſuperbia *Optimatium* animos invaſit, corrupitque, ut è Populo *Plebs diſcreta* ſuos Magiſtratus obtinuerit. Vulnerata inde Respublica, morbis ſemper & languoribus obnoxia, adeo tandem jactata eſt, ut nunc *Patriciorum* impotentiam, nunc *Plebis* furorem experta, 10. tandem debuerit ferre *Tyrannos*; è quorum manibus evaſiſſe quidem viſa eſt, ſed in *Plebis poteſtatem* adeo incidit, ut ab eo tempore perpetuis concuſſa motibus continuum ſui ſpectaculum præbuerit; donec tandem inverſo rerum ordine *Plebs* ipſa *Legis ferendæ* poteſtatem nacta à *Demagogis* dominari, eorumque ambitioni deſervire cœpit; cùmque unus alterum non pateretur, nullàque amplius *Legum* eſſet authoritas, quoniam ad ipſorum nutum figi ac refigi videbantur, ad arma ventum eſt; hinc Civilia bella orta, hinc *Mariana Syllanaque* factiones cædibus proſcriptionibúsque attricæ.

tritæ. Hinc *Triumviratus* primò *Cæſaris*, *Craſſi* atque *Pompeji*, poſteà verò *Civile bellum*, immane adeò, ut plus ſanguinis eo quinquennio, quo duravit, effuſum fuerit, quàm integro 50. annorum ſpatio in bellis aliis, ipſæque *Syllanæ* atque *Marianæ* Clades umbra tantùm atque imago fuerint, donec alter eorum rerum potitus Rempublicam ſuſtulerit adeóque authoritate gauderet ſuâ, ut *Syllæ* magnanimitatem, qui *Reipublicæ formam* reſtituit, atque *Dictatura* exacto tempore ſe abdicavit, derideret, id ideo effeciſſe inquiens, quoniam literas neſciviſſet, licèt *Cæſar* ipſe, quod pejus fuit, *nec ſciverit uti*; cùm vel debuiſſet *eo Magiſtratu* ſe abdicare, vel armatum militem ad Corporis cuſtodiam adhibere, nec fidere Univerſis.

Nec tamen tunc temporis negaverim omnem Poteſtatem *ad unum* conferri pacis interfuiſſe; *cum non aliud diſcordantis Patriæ præſentius remedium*, quando jam ſine *Legibus* & *Magiſtratibus* in Republica vivebant, nec propterà in libertate erant, cùm nomen tantùm & imaginem *Reſpublicæ* haberet; In partes namque tot per annos diviſa, *diſſolutio* potiùs *ſocietatis* videbatur & *Ordinis*; ſed *Cæſar* uno omnia momento mutare aggreſſus, inviſo perpetuo *Dictatoris* nomine, amotiſque Corporis cuſtodibus ſibi ruinam arceſſivit; nam *paulatim inſurgere*, ac vel Inſtituta veteris Reipublicæ firmare melioremque formam reſtituere debebat, vel ſi dominari malebat, libertatemque præripere, ipſamet Reipublicæ Inſtituta pedetentim oportebat invertere, nec unquam armatos Corporis Cuſtodes amovêre. Reus igitur *affectatæ Tyrannidis Optimatium* judicio, cùm nullum ex legibus ſupereſſet auxilium, de eo interficiendo conſpirant ſimul præcipuè *Marcus Brutus Prætor*, *Cajus Frebonius*, & *Cajus Caſſius*, & ex ipſis *Cæſaris* partibus *Decius Brutus*, illúmque in Curia Pompeji 23. vulneribus confodiunt, poſtquàm confecto Civili bello, brevi 5. menſium ſpatio Romæ *Summam Poteſtatem* exercuiſſet; occupatô poſteà Capitolio, cùm factionem *Cæſaris* timerent, eum tenuerunt armati, donec *Senatus* oblivionem cædis decrevit, obſidéſque *Antonii* & *Lepidi* liberos acceperunt. *De Cæſaris nece.*

Sed *Marcus Antonius*, qui ſub *Dictatore Cæſare* Magiſter Equitum fuerat, túmque Conſul erat, in eo rerum ſtatu optimum ratus, nec Senatûs authoritatem, nec Leges curare, ſed apertâ vi atque armis poteſtatem retinere, ſuóque cuncta arbitriô moderari, ſeditioſa Concione Populum ità commovere cœpit, ut *Cæſaris* Corpus publicè concremaret, ædibúſque Civium flammam ac ferrum intentaret, *De Marco Antonio & Octaviano.*

taret; *Antonius* autem ſuam tantummodò ambitionem explere ſatagens, *Plebis* quidem ſeditionem prohibuit, ſed per vim *Legem* tulit de Provinciarum permutatione, ſibique impetrat Provinciam Galliam, cui *Decius Brutus* obſiſtit, Mutinámque Exercitu occupat.

Cajus autem *Octavianus* 18. annorum juvenis, teſtamento Cæſaris hæres ex parte dimidiâ inſtitutus, ejúſque ex ſorore *Accia* Nepos in nomen quóque adoptatus earat; jámque Romam ex Epyro auditâ *Cæſaris* morte venerat, præcipuámque ſpem in *Antonio* repoſuerat, ut ejus auxilio interjectorum *Cæſaris* ulciſceretur. *Antonius* autem ſeu inſitâ ſuperbiâ deſpiciens Juvenem, ſeu illum cupiens opprimere, nè inſurgeret, cúmque *Cæſaris* nomine gravis ſibi fieret, adeò malum animum oſtendit, ut ſagaciſſimus *Octavianus* ſtatim agnoſceret, nil ab eo nisì hoſtilia exſpectanda; adeôque licèt *Cæſaris* nomen aſſumpſiſſet, ſpe illâ ductus, nec in totum fruſtratus, quòd iis auſpiciis Veterani *Cæſaris* milites ei preſtò eſſent, ſi rerum temporiſque conditio permitteret, *Caput* eſſe partium; ea tamen cum *Conſulibus* maturitate ſe gerit, aliámque perſonam fingit, ut Senatui, diſertóque ſed parùm prudenti Ciceroni fidem faceret, ſe *Antonium* perſequi, partes Reipublicæ ſuſcipere, oblitus *Cæſaris*, ejúſque interfectorum; ità *Cicerone* ipſo ſuadente præficitur Exercitui adjungitúrque *Hircio* & *Panſa Conſulibus* cum pro *Conſulari Poteſtate*, ut adversùs *Antonium* hoſtem judicatum, Mutinámque obſidentem, ubi *Decius Brutus* erat, bellum gereret. Ità fato Romanæ jam Reipublicæ imminente, dum adoleſcens ſimulat *Pompejanarum partium* gratiam, *Reique publicæ* ſtudium, imponítque non dominandi cupidine, Veteranos per largitiones conciviſſe, ſed ut *Antonii* propulſaret injurias, tot Senes Sapientiſſimos decipit ut arma darent, quibus *Rempublicam* everteret, eâ inani *Ciceronis* conjecturâ ducti, quòd ità bellum cum *Antonio* abſolveretur, cùm ejus Exercitum ad Octavianum *Cæſaris* Nepotem atque hæredem ſigna transferre putaret. Ille autem pugnavit quidem ad *Mutinam*, quoniam non ferebat tempus *alienam perſonam ſtatim exuere*; cæſis tamen in prælio Conſulibus *Hircio & Panſâ* (*ſive hoſtis illos ſeu Panſam Venenum Vulneri affuſum, ſeu milites Hircium & machinator doli Cæſar abſtulerant*) utriúſque Copias ſibi adjunxit, tuncque demum Romam venit, ſtatímque invito Senatu Conſulatum arripuit, Legémque protulit, de *quæſtione habenda in eos, quorum operâ Pater occiſus eſſet*; qui abſentes damnati ſunt; túmque ſimul cum *Antonio* ac

De Octaviani artibus.

Lepido

Lepido conſpirat. ità ut 3. *Viri Reipublicæ conſtituendæ* per quinquennium præeſſent, atque ſui cujuſque inimici proſcriberentur, Provinciæque inter eos dividerentur; adeóque Nobilium Virorum, Equitum, Senatorúmque proſcriptiones, Cædéſque in Commercium venire viſæ ſunt; 100. enim 30. Senatores proſcripti, intérque eos *Lucius Paulus* frater *Marci Lepidi*, & *Lucius Cæſar* Antonii Avunculus; túmque *Cicero* ipſe ſimplicitatis ſuæ pœnas luit, juſſu enim *Marci Antonii*, adversùs quem Philippicas ſcripſerat, à *Popilio* quodam legionario milite, cujus Patrocinium egerat, occiſus eſt, capite quoque cum dextra manu in roſtris poſito. Tunc verò apertè arma contra Rempublicam verſa, geſto, confectóque, ſummâ felicitate, bello contra *Brutum* & *Caſſium* conjuratorum Principes, cum quibus in Macedonia ad Urbem Philippos *Octavius* ipſe & *Antonius* acie decertârunt; ac licèt utrinque dextra Cornua viciſſent, *Caſſius* tamen, qui in pulſo Cornu erat, totum Exercitum fuſum eſſe ratus, ſeipſum interfecit; *Brutus* autem victus altero prælio, mortem etiam ſibi ultrò conſcivit, annum agens 37., dumque ſe occidebat, ità exclamaſſe fertur; *O iniqua Virtus! ego te uti Dominam ſequebar, tu autem fortunæ ſerviebas!* Victis igitur hoſtibus trifariam quidem Romanum diviſêre Imperium, ſed primùm deceptus Lepidus ſpe amicitiæ, deſertusque ab Exercitu, vix abrogato Triumviratu ab *Octavio* vitam impetravit. Cùm ergo 2. eſſent, nec unus alterum pati poſſet, licèt priùs Antonium Tarentino, Brunduſinoque fœdere, ac nuptiis ſororis *Octaviæ* devinxiſſet, cauſas tamen prætexuit ſimultatum; unde cùm Ægypti eſſet, Reginamque Cleopatram adamaret, Octavii ipſius odio ſororem repudiavit, eamque duxit, prætendebatque ex Imperii diſtributione Ægyptum univerſum, Regionesque ultrà Euphratem; ille autem Reipublicæ partes agere ſimulans, ut in Urbem veniret *Antonius*, utque finito tempore Triumviratus deponeret Imperium, cauſas belli prætexebat; hinc in Epyrum cum Exercitu trajecit, & *Marcum Antonium* ad Actium navali prælio vicit, qui cùm Alexandriam profugiſſet, obſeſſusque à *Cæſare* eſſet, ſeipſum interfecit; ità in Urbem reverſus 3. triumphos egit, ex Illirico nempe unum, alterum ex Actiaca victoria, de Cleopatra alterum, quæ nè in ejus poteſtatem veniret, mortem ſibi conſciverat.

De Triumviratu Lepidi, Octaviani Cæſaris, & Antonii.

De bello adversùs Brutũ, & Caſſium.

De bello Octaviani Cæſaris, & Antonii.

Antequàm autem inverſum Reipublicæ ſtatum ſub *Octavio*, qui *nomine Principis Rempublicam ipſam ſub Imperium accepit*, advertamus,

tamus, conſiderare non diſplicebit, non minori imprudentiâ conjuratos, quàm poſteà *Senatum* ſe geſſiſſe; illi enim *Cæſarem* nihil timentem, ac ſinè armis Rempublicam tractantem aggreſſi, factionis ejus Principes, præcipuèque *Antonium* ipſa in Urbe omisêre, ut vix occiſo *Cæſare* timore correpti nedum *Rempublicam* non reſtituerent, ſed ſibi ipſis cavere tenerentur, cùm ſi rem voluiſſent opportunè perficere, erant quoque Cæſaris neceſſarii armis opprimendi; cùm enim Duces remanſiſſent Julianarum partium, nec ſolummodò Plebs ipſa ob Agrarias Leges, & quia ejus cauſam perpetuò Cæſar egerat, iisdem partibus obnoxia manſiſſet, nullo modo poterat res perfici, adeoque majores excitari motus viſi ſunt; *Senatus* autem cùm *Octavianum* videret Cæſaris Nepotem eo nomine ſuperbire, animum ejus, occultaque conſilia rimari tenebatur, nec fronti, quam conditio temporum effingebat, fidem habere. Quod ſi effeciſſet, *Antoniumque* omnibus copiis opprimi juſſiſſet, vetus Reipublicæ forma reſtitui potuiſſet. Sed jam nimia felicitas, vitia, factionesque adeò Rempublicam laceraverant, ut nunquam potuiſſet ritè coaleſcere, adeoque fatis Reipublicæ Romanæ debebatur, ut ex ea maximum prodiret Imperium, cujus juvenis ille, qui Senatum decepit, quique hoſtes debellavit univerſos, nec tantùm armis, ſed conſilio, doloque, fundator eſſet.

De Octaviani Cæſaris Principatu.

Cum igitur, nè Julianis quidem partibus niſi *Octavius* ipſe Dux reliquus eſſet, diſceptationem ſimulavit cum amicorum intimis *de forma Reipublicæ*, ut ſe pro Republica curas omnes ſuſcipere crederetur; monuit tamen liberè *Agrippa* priſtinam formam reſtituendam, libertatemque firmandam eſſe: *qui enim*, ajebat, *eandem naturam acceperunt, ex eadem Gente nati, iiſdem moribus imbuti ſunt, iiſdem Legibus utuntur, eundem corporum animorumque uſum Patriæ exhibent, quî non eos juſtum ſit, cæterorum quoque omnium honorum participes eſſe? qui enim eâdem conditione nati ſunt, æqualitatem appetunt, eâque potiti gaudent, deſtituti dolent; neque volunt ſub unius ſemper eſſe Imperio, neque ferunt, ſe laborum, periculorum, impendiorumque participes rerum meliori communione privari. Ad hæc*, ſubdit, *multi genere, divitiis, aut aliâ fortunâ excellentes Viri, alioqui boni, Principatui tamen unius hominis infeſti exiſtent. Hos neque ſi augeri patiâre, tutus vives, neque ſi opprimere coneris, juſtè ages. Si iis Exercitus ac Provincias committes, periculum erit, nè tecum Reipublicæ à te inſtitutæ ſtatus ſubvertatur. Neque enim Vir egregius ullus ſinè magno animo naſcitur.*

Digitized by Google

ſcitur. Sin autem hujuſmodi viros nullis negotiis præficias, ſed ea ignavis ac contemptis injungas, mox & ſtrenuorum iram, ob contemptam à te eorum fidem, concitabis, & maximis in rebus clades patieris. Et denique petito à Romanorum Regibus exemplo: *nos ipſi*, inquit, *Romani, cùm antè diverſo modo Republicâ inſtitutâ, Regum nempe temporibus, multa pertuliſſemus incommoda, deinde libertatem appetivimus, eamque conſecuti ad tantam hanc Potentiam pervenimus, non aliis quidem, quàm Popularis Reipublicæ adjecti bonis, cùm & Senatus author fieret, & Populus juberet.*

Sed cùm viderimus poſt arreptam à *Plebe* Leges ferendi Poteſtatem in *Democratiam* deterrimam evaſiſſe Romanæ Reipublicæ ſtatum, atque propterea Civilia bella, quæ tandem *Rempublicam* oppreſsêre, propter factionum contentiones oriri debebant; nullam hinc fuiſſe eo tempore *Reipublicæ* formam, ſed potiùs diſſolutionem Societatis, atque *Anarchiam* advertimus; potentior namque factio imagine Reipublicæ *Dominationem* impotenter exercebat; unde meritò *Caſtra*, dixerat Antonius, *Pompej, Senatum appellatis?* Poſtquàm igitur *Octavius Cæſar* debellatis undique hoſtibus eam poteſtatem nactus eſſet, ut *Reipublicæ* formam, quæ meliùs videbatur, dare potuiſſet, vel ad ſua initia debebat *Reipublicæ* ſtatum revocare, quod erat dificillimum, Plebs enim Romana nunquam potuiſſet in ordinem redigi, cùm armata eſſet, ſuiſque Magiſtratibus aſſueta, & ad eam molem *Reſpublica* creverat, ut ſinè Rectore ſtare & librari nequiviſſet; vel Principatum capere. Optimè igitur *Mæcenas* contra Agrippam ſuaſit, ut ſolus capeſſeret Imperium, quod Populo & Senatui reddere, aut permittere nîl aliud erat, quàm gladio armare, ut *Rempublicam* invaderent, diſcerperentque. Nec igitur *aliud diſcordantis Patriæ remedium fuit, quàm ut ab uno regeretur*; hinc ſapientiſſimè Auguſtus, qui ſolus difficillimam iis temporibus regnandi artem adeò calluit, ut vel exemplo docuiſſe videatur, reſtituendæ *Reipublicæ* deſiderium oſtendit, atque ùt impoſſibile omittere ſimulavit; eam autem adeò moderari cœpit, ut nîl immutare videretur; depoſito enim *Triumviri* nomine *Conſulem* ſe ferens, & ad tuendam Plebem *Tribunitio jure contentus, ubi militem donis, Populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim, munia Senatûs, Magiſtratuum, Legum in ſe trahere, nullo adverſante, cùm ferociſſimi per acies aut proſcriptione cecidiſſent: cæteri Nobilium, quanto quis ſervitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac*

novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quàm vetera & periculoſa mallent. Neque Provinciæ illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatûs, Populique imperio ob certamina Potentium, & avaritiam Magiſtratuum, invalido Legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremo pecuniâ turbabantur.

Sub initiis igitur Imaginem *Reipublicæ* reliquit, dum ipſe arcanis Conſiliis *Dominationem* exerceret, ità enim *Mecænatem* ſuaſiſſe Dio ſcripſit: (*a*) *Minimè vero*, inquiens, *priſcam Magiſtratuum Poteſtatem conſervabis, nè res in priorem ſtatum recidat; ſed honore quidem ſervato ipſis, relictoque, Potentiam in tantum diminue, ut nihil dignitatis quidem deficiat, virium autem ad moliendum res novas nihil ſuperſit. Quòd ſi Regni nomen ùt execrabile reformidas, rem ipſam amplectere; poteriſque utique omiſsô Regio nomine ſub Cæſaris Appellatione & Imperatoris, & quæ ultrò dabunt Romani Cognomenta, plenâ Poteſtate uti.* Igitur Dictaturam quóque pertinaciſſimè recuſavit, *Princepsque Senatûs* dictus eſt, ſicut cùm *libertas* & *Reſpublica* prorsùs adhuc valebant, uſu receptum erat; accepto etiam *Auguſti* nomine, quod *Senatus* tribuiſſe videtur, vel quia Imperium auxit, vel ut Sacrum, Sanctumque eſſe denotaret; nam

Sancta vocant Auguſta Patres, Auguſta vocantur
Templa Sacerdotum ritè dicata manu.

Acciſmus. Hinc etiam difficilem *Reipublicæ* partem ſuſcipere affirmavit *ſpecie recuſantis quod flagrantiſſimè cupiebat*, nec perpetuò; undè *preces & Vota decennalia.* Diſtribuit igitur Provincias, pacatasque *Senatui* commiſit; cæteras, ubi nempe Legiones adeſſe oportebat, pro ſe retinuit, ut *Reipublicæ* Vires penderent à nutu ſuo, nec, ùt *Cajus Cæſar*, armatos cuſtodes neglexit, cùm primus *Prætorianas cohortes* inſtituerit, quæ pro cuſtodia *Principis* perpetuo excubarent, eosque largitionibus devinxit; utque perpetuo ac ſinè difficultate ſumptus ad tuendos milites ſuppeterent, *Ærarium* inſtituit *militare*, novumque Vectigal impoſuit, *Viceſimam* nempe hæreditatis ac Legatorum, & *Centeſimam* rerum Venalium.

Complexione autem *Magiſtratuum* & præcipuè *Tribunitiæ Poteſtatis* in perpetuum, maximóque Sacerdotio (*Pontificatum* namque *maximum mortuo* Lepido ſuſcepit) *vim ac Poteſtatem Summi Imperii* explicabat, nè nomina videretur uſurpâſſe *Populo* inviſa; Quâpropter cùm Religionis & Legum Poteſtas, quibus Reſpublica omnis continetur, penes illum eſſet, nîl erat, quod ultrà deſiderare potuiſſet.

(*a*) *Lib.* 52

Qui

Qui igitur nec Rempublicam everſam, nec libertatem Romanam deletam ſcripsêre, vocum diſcrimina ac Juris-Conſultorum ſubtilitates & exempla proferentes, *rerum ſimulacra atque imagines* pro rebus ipſis accepiſſe, ipſamque Statûs rationem, quam Auguſtus invexit, cæterique ſecuti ſunt, tanquam *Reipublicæ* fundamentum jactitâſſe videntur; ut enim per Divina in arbitrium ſuum humana omnia redigerent, nedum *Auguratum & Quindecimviratum Sacrorum*, ſed ipſum etiam *Pontificatum maximum* exemplo *Auguſti* ad Gratianum uſque tenuêre, licèt *Imperatores Chriſtiani* animo rejeciſſent; Laus tamen *Gratiano* debetur, quoniam primus exteriorem faciem ſuperſtitioſi illius Muneris à ſe avertit. *Tribunatum* autem nedum aſſumebant, ut jura Populi univerſa ad ſe traherent, ſed ut cùm Divino jure, tùm humanis Legibus inviolabiles redderentur; undè rectè *Tacitus* id ſummi faſtigii vocabulum reperiſſe Auguſtum ſcripſit, nè *Regis* aut *Dictatoris nomen* aſſumeret, & tamen appellatione aliqua cætera Imperia preemineret.

Cenſuram etiam alio ſub nomine, ut odium, invidiamque ejus Magiſtratus averteret, *morum* nempe *Legumque regiminis*, aſſumpſit; & cæteri quoque ſecuti *Cæſares* exemplum, ut etiam famam & Statum Civium ſuæ Poteſtati ſubjicerent, quibus *Pro-Conſulare Imperium* adjunctum fuit, quod in Provinciis *Summam ac liberam denotabat Poteſtatem*; ac propterea florente Republicâ perquàm raro & paucis, atque præfinito tempore concredebatur; *Imperatores* autem perpetuò aſſumpsêre, ut *Conſules* viderentur Provinciarum omnium, eamque explicarent Poteſtatem in Provinciis univerſis, quam priùs *Pro-Conſules* explicabant in ſua, quod Imperium licèt ſtatim ac Urbe egrederentur cæteri explicâſſent ſublatis inſignibus, *Auguſtus* tamen etiam intra Pomærium ex *Senatûs-Conſulto* retinuit, atque ità nedum *Urbanos Magiſtratus* ad ſe traxit, ſed perpetuam etiam *militarem Præfecturam*, in qua Cardo Principatûs præcipuè vertebatur, cùm Exercitus univerſos ſub *Poteſtate* haberet, à quibus propterea *Auguſti*, ùt priùs cæteri Duces, *Imperatores* dicebantur; quod autem *à Senatu munera quadam Conſularia* reciperent, & quædam cum Conſulibus comunia haberent Imperatores, etiam ſi Conſules creati non eſſent, quodque *Senatum* convocarent, utque *jus referendi* ſemel, aut bis, aut ter, de una re, duabus, aut tribus haberent, atque in Senatum ipſum cooptari paterentur, Ritus erant potiùs, ut *ſimulacra* ex integro manere viderentur, cùm ipſi receptis moribus inſiſterent; quare *Patres Patriæ*

 quoque

quoque nuncupati; honores autem ad firmandam poteſtatem adeò capeſſivêre, ut etiam Divinos expeterent, atque ùt Dii coli voluerint, nam *Auguſtum* templis etiam, & effigie numinum per flamines & Sacerdotes coluêre. Quod ſi aliquam videbatur Senatus authoritatem explicare, id potiſſimùm eveniebat, dum exſtinctâ Cæſarum familiâ *Imperatores* nullo Succeſſionis ordine nunc à *Senatu* ipſo, nunc ab *Exercitibus* eligebantur, vulgato, maxima cum Reipublicæ pernicie, arcano, *poſſe alibi Imperatorem, quàm Romæ fieri*; Tunc enim nè viderentur in *Rempublicam* irrepſiſſe, cuncti Magiſtratus atque honores decernebantur, ut juxtà Leges præſcriptosque mores, ac Cæremonias legitimè inaugurati viderentur, atque tutiùs liberiusque regnarent; Ut enim ab ipſis Imperatoribus Exempla ſumamus, dic quæſo Sodes, quænam *præter ſpeciem* fuiſſet *Senatûs* authoritas, ſi Regnatrix Auguſti domus viguiſſet? quando licèt, eadem Magiſtratuum vocabula; verſus tamen adeò erat rerum ſtatus, ut nihil uſquam priſci & integri moris cerneretur, cunctique exutâ æqualitate juſſa Principis adſpectabant? *Auguſtus* namque Subſidia *Dominationi Claudium Marcellum* Sororis filium, & *Marcum Agrippam* aſſumpſit, illumque *Pontificatu* & *Curuli Ædilitate*, hunc verò geminatis Conſulatibus extulit; Genitos autem *Agrippa*, quem Generum quoque ſumpſerat, *Cajum & Lucium* Cæſares, Principésque juventutis appellari curavit, privignos quoque *Claudium & Druſum*, Liviæ artibus devinctus, Imperatoriis Nominibus auxit, *integrâ* etiam *tum domo ſuâ*; Cùmque Nepotes ipſos mors propera, vel Novercæ *Liviæ* dolus abſtuliſſet, *Druſoque* pridem exſtincto, *Tiberius Nero* ſolus è privignis eſſet, eum Imperii Collegam accepit, Conſortemque aſſumpſit *Tribunitiæ Poteſtatis*, omnesque per Exercitus oſtentavit. Ille verò, dum *Auguſti* valetudo graveſceret, properis Matris literis accitus ex Illirico, eodem tempore, quo ceſſiſſe fatis *Auguſtum* fama vulgavit, *Imperator* auditus eſt, *Poſthumumque Agrippam* Auguſti Nepotem, quem utì rudem bonarum artium & robore Corporis ſtolidè ferocem in Inſulam Planaſiam *Liviæ* artibus projecerat, occidi juſſit; cumque Centurioni, factum, quod imperâſſet, nuncianti reſpondiſſet, *neque imperâſſe ſeſe, & rationem facti reddendam apud Senatum* (quoniam *Auguſti* juſſa ſimulabat, quibus ſcilicet Tribuno ad Cuſtodiam appoſito præſcripſerat, nè cunctaretur *Agrippam* morte afficere, quandocunque extremum diem ipſe expleviſſet) monitus fuit, *nè arcana domùs*

De Tiberio Cæſare.

domûs, *nè Conſilia amicorum*, *Miniſteria militum vulgaret*, *néve reſolveret vim Principatus*, *eamque Conditionem eſſe Imperandi ſciret*, *ut non aliter ratio conſtet*, *niſi uni reddatur.* Quæ igitur Reſpublica? An enim juſtè conveniunt libertas & dominandi ratio? An dum ruere in ſervitium videbantur Conſules, Patres, Eques? An dum in Verba *Cæſaris Tiberii* jurabant *Senatus*, *Miles & Populus*, Rempublicam manſiſſe dicemus? Vel quoniam in Senatu duntaxat ambiguus loquebatur, cùm ſignum Prætoriis Cohortibus ùt *Imperator* daret, Excubiæ, arma, cætera Aulæ, miles in forum, miles in Curiam comitaretur, literasque ad Exercitum miteret tanquam adepto Principatu, veterem Reipublicæ formam excepiſſe dicemus, & *rerum ſimulachra* pro rebus ipſis accipiemus? *Tiberius* igitur Monarchiam exeruit per artes & arcana, licèt ſub Imperatorum temporibus non negaverim, Statum Romanæ Civitatis non unam ſumpſiſſe formam; nunc enim *Principatus* erat, nunc reipsâ *Monarchia*, & quanto longior à regno facie rerum videbatur, eo intentius erat, quoniam ad *Dominationem* omninò vergere cernebatur, dabatur enim famæ, ut vocati electique *à Republica* potiùs, quàm per artes factionesque militum eandem invaſiſſe viderentur. Sed nec rerum faciem *Tiberius* pati voluit, cùm *Comitia* è campo tranſtuliſſet ad Patres; ad eam namque diem licet potiſſima arbitrio *Principis*, aliqua tamen *ſtudiis Tribuum* fiebant. Neque *Populus ademptum jus queſtus eſt*, *niſi inani rumore.* Nec propterea aucta *Senatûs* Poteſtas, quoniam Senatu utebatur, dum *expedire* arbitraretur, cum ſi vim ipſam attendamus, Senatum *Curiam Judicum* effecit, nec libera ſuffragia erant, cùm Patribus metus ſemper eſſet, ſi *intelligere viderentur.* Quare ingens Annalium Taciti materia *judicia Majeſtatis*, quæ *Tiberius* reddidit, atque à Senatu exerceri voluit, undè Delatores in pretio, genus hominum publico exitio repertum, quorum ope callidâ Tiberius arte præſtantes Viros, & à quibus metuabat ſuſtulit; quare per præmia etiam & largitiones eliciebantur, quorum primus *Hiſpo* eam vitæ formam iniit, quæ *poſteà celebris calamitate temporum*, *& audaciâ hominum evaſit.* Comitia tamen Conſularia, licèt eô Principe ac deinceps fuerint, ille tamen modò ſubtractis Candidatorum nominibus, originem cujúſque, & vitam & ſtipendia deſcripſit, ut qui forent, intelligeretur; aliquando quoque eâ ſignificatione ſubtractâ *Candidatos* hortatus, nè ambitu *Comitia* turbarent, ſuam ad id curam polli-

pollicitus eſt : plerúmque eos tantùm apud ſe profeſſos diſſeruit, quorum nomina *Conſulibus* edidiſſet ; poſſe & alios profiteri, ſi gratiæ aut meritis confiderent ; *Specioſa Verbis, re inania ac ſubdola : quantòque majori libertatis imagine tegebantur, tantò eruptura ad infenſius ſervitium* ; Et dum *Piſo* ſententiam in Senatu dixit, abſente Principe *Senatum* & *Equites* poſſe ſua munia ſuſtinere, *Aſinius Gallus* contrà, quia ſpeciem libertatis Piſo præceperat, *nihil ſatìs illuſtre reſpondit, aut ex dignitate Populi Romani nisì coram & ſub oculis Cæſaris : Eoque Conventum Italiæ & adfluentes Provincias præſentiâ ejus ſervanda* ; Cùm tamen cenſuiſſet Gallus in quinquennium Magiſtratuum *Comitia* habenda ; utque Legionum *Legati* qui antè *Præturam* eà militià fungebantur, jam tum Prætores deſtinarentur, *Princeps* 12. Candidatos in annos ſingulos nominaret ; Tiberius quoniam *Sententiam eam altiùs penetrare, & arcana Imperii* tentari ſenſit, quaſi tamen augeretur *Poteſtas ejus*, favorabili in ſpeciem Oratione eluſit, *Vimque Imperii* tenuit. Poſt eum Cajus Caligula Poteſtatem ipſam in *Dominationem* vertit, nam Diademate Capiti impoſito, *Dominum* ſe juſſit appellari, admonituſque & Principum & Regum ſe exceſſiſſe faſtigium, Divinam ſibi Majeſtatem aſſerere cœpit, monentique Antoniæ Aviæ: *memento*, reſpondit, *omnia mihi in omnes licere*, tragicum illud ſubinde jactans ; *Oderint, dum metuant* ; Quare nec ſub *Tiberio* ſervus melior, nam aliàs è medio ſublatus fuiſſet, ut cæteri ; nec dum rerum potiretur, *deterior Dominus* unquam fuit.

De Caligulæ Dominatione.

Eoque ſublato licèt de reſtituenda Republica Senatus in Capitolium à Conſulibus vocatus conſultaret, ſalutatur tamen *Claudius* à Prætorianis militibus Imperator, honoreſque è more decernuntur, ſub quo Principe liberti vim *Dominationis* tenuêre ; *Callixtus* nempe, *Narciſſus*, atque *Pallas* ; cumque *Princeps* cuncta Legum & Magiſtratuum Munia in ſe traxiſſet, ingentem iis prædandi materiam patefecit. Nec aliàs *Nero* Imperium eſt aſſecutus, nam Agrippina Mater, poſtquàm *Claudius* veneno ſumpto, quòd ipſa parari juſſerat, extremum trahere ſpiritum videbatur, atque jam exanimis eſſet, dum res firmando ejus Imperio componeret, ire in melius valetudinem Principis vulgabat ; poſteà verò foribus Palatii repentè diductis, egreſſus ad Cohortem *Nero*, quæ aderat Excubiis, exceptuſque feſtis vocibus, inditus lecticæ Caſtra petiit, & congruentia tempori præfatus, præmiſſo donativo *Imperator* acclamatus

De Nerone.

matus eſt; ſecuta inde Patrum *Conſulta*, Cæleſteſque honores *Claudio* Decreti; licèt autem Curiam ingreſſus, formam futuri Principatûs præſcripſiſſet; *non* inquiens, *ſe negotiorum omnium judicem fore, ut clauſis unam infrà domum Accuſatoribus & Reis, paucorum potentia graſſaretur* (ità judicia Claudius exercuerat) *nihil in Penatibus ſuis venale, aut ambitioni pervium: Diſcretam domum & Rempublicam: teneret antiqua munia Senatûs: Conſulum Tribunalibus Italiâ & publicæ Provinciæ aſſiſterent, illi Patrum aditum præberent. Se mandatis Exercitibus Conſultorum.* Nec per quinquennium fides defuit, non enim erat *Neroni* infrà ſervos ingenium, & vividum animum *Afranius Burrus* atque *Anneus Seneca* moderabantur. Vi poſteà *Dominationis* convulſus ac in pejus mutatus eſt ob Matris præcipuè ambitionem atque impotentiam, metumque *Britannici*, quem ipſa dominandi cupida, quoniam poteſtatem minuerat *Nero*, *adultum jam eſſe, veramque ac dignam ſtirpem fatebatur*, *ſuſcipiendo Patris Imperio*, *quod inſitus & adoptivus per ſuas injurias exercebat*; & profectò haud erat inanis metus; namque *Agrippina* filium, decus, pudorem, Corpus, cuncta *Regno* viliora habebat. Exorſus igitur à *Britannici* parricidio, quem veneno aggreſſus eſt, adeò poſteà in ſævitiam, cunctaque flagitia ruit, ut immanius monſtrum vix tuliſſe orbem dignoſcatur; licèt non negaverim ob detectas Conjurationes ſævire ſæpiùs coactum fuiſſe; *Senatûs* autem ſervitutem, fœdamque adulationem ex eo conjicere licet, quod cùm literas ad eum de Matris cæde miſiſſet *Nero*, *Supplicationes* apud omnia Pulvinaria decrevit, utque Quinquatria, quibus compertæ eſſent inſidiæ, ludis annuis celebrarentur; aureum *Minervæ* Simulacrum in Curia, & juxtà Principis imago ſtatueretur: Dies Natalis *Agrippinæ* inter nefaſtos eſſet.

Defectâ verò cum *Nerone* Juliorum, Claudiorumque regnatrice domo, evulgatóque arcano *poſſe alibi quàm Romæ Imperatorem fieri* non aliam *Senatus* Poteſtatem explicabat, quàm per metum ac vim *honores* decernendo, ut ritus ſervarentur, utque auſpicata initia *Imperii* & confirmatus titulo Principatus videretur. Quæ quanti ſint extimanda ſatis liquet iis, qui ritus quoque ac cæremonias in Regum ac Principum Inauguratione animadvertunt, qui nec Populi aut Procerum approbationem omittunt; Undè Cæſarum *Dominatio* longè Romanos ipſos Reges antecellebat, cùm illi omnia ad ſe traxiſſent, nîl præter *imaginem* ac *ſimulacra* relinquentes, quæ ſæpiùs vim *Dominationis* exercendo nec quóque patiebantur;

nam ſub *Galba* afferebant venalia cuncta præpotentes liberti, quorum *manus ſubitis avidæ*, & tanquam apud Senem feſtinantes, eadem novæ Aulæ mala æquè gravia intulêre; nec melior fuiſſet adoptatus *Piſo*, niſi adoptionem ipſam, quæ arbitrio Imperatoris procedebat, libertatem intuliſſe dicamus; jactavit namque *Galba* ſub Tiberio & Cajo & Claudio unius familiæ Rempublicam quaſi hæreditatem fuiſſe, adoptionemque locò libertatis eſſe, quod eligi Cæſares cœpiſſent, quaſi adſciri ſibi Succeſſorem Adoptionis jure, haud eſſet Rempublicam dare, ac ſi ſuæ familiæ hæreditas fuiſſet? Quid autem de Othone, Vitellióque? Nec ſub Veſpaſiano licèt bono Principe *Dominatio* remiſſa eſt, quamquam *Titus* biennio, quo imperavit, *Dominationem* in Principatum vertiſſe videretur, nec duntaxat pro Republica optimus, ſed pro ſingulis, cùm diem abſque beneficiis perdidiſſe diceret, undè *delicias humani generis* nuncupârunt; *Domitianus* autem velut unô ictu Rempublicam exhauſit; quare ſub eo præcipuè ſicut vetus Ætas viderat quid ultimum in libertate eſſet; ità quid in ſervitute Roma vidit & paſſa eſt, adempto per inquiſitiones loquendi, audiendique Commercio; quo occiſo poſt 15. annorum *tyrannidem* Nerva Trajanus *libertatem* verè miſcuit & *Principatum*, ac licèt poſt 16. Menſes defunctus, diuturnam tamen felicitatem in Rempublicam invexit, *Ulpium Trajanum* adoptando, qui à Senatu Populoque Romano *Optimi* Cognomen meruit; undè ſæpiùs *intenſam Monarchiam* exercuiſſe Cæſares, raró *Principatum* agnoſcimus, licèt *jure* Senatus, Conſules, cæterique Magiſtratus ſua munia habere, Cæſares autem mandatis Exercitibus conſulere debuiſſent; Cæteri namque *Principes* fermè ſemper Legionibus poſcentibus Imperium obtinuerunt, licèt à Senatu honoribus è more decretis; Hadrianus enim poſtquàm Imperium à militibus oblatum ſuſceperat, à Senatu confirmari poſtulavit per literas; *Antoninus* autem priùs jam adoptione *Cæſar* erat, qui quoque *Marcum Aurelium* adoptavit, & in Societatem *Tribunitiæ Poteſtatis* adſcivit, re *Philoſophus* magis quàm verbo, licèt filii *Commodi* amore convulſus, monſtrum illud *Reipublicæ* dediſſet, *Cæſaremque* adhuc puerum appellâſſet, & præter Leges ante Ætatem ad Summos Magiſtratûs evexiſſet, & ad conſortium Tribunitæ Poteſtatis atque Imperium admiſiſſet. *Pertinacem* autem Præfectus Prætorio *Lethus*, *Electusque* Cubicularius deduxerunt in Caſtra; poſteà verò cùm milites acclamâſſent, *Senatum* adivit, eique Imperium acceptum

De Galba Othone ac Vitellio.

De Veſpaſiano, Tito & Domitiano.

De Nerva Trajano.

De Ulpio Trajano.

De Hadriano Antonino & Marco Aurelio.

De Comodo Pertinace, ac Didio Juliano.

ptum tulit. *Didius autem Julianus* à Prætoriano milite pecuniâ emit Imperium, factúmque inde *Senatûs Conſultum* ùt cætera. *Severus* autem cognitâ ejus ignaviâ cum Exercitu apud Illiricum, cujus Ductor erat, Romam migravit, Senatumque adegit, Imperatorem illum declarare. Atque hic eſt ille *Severus*, qui nunc Leonem ferociſſimum, nunc verò Vulpeculam quàm maximè ſubdolam egit, *Peſcenniumque Nigrum* Exercituum Aſiæ Præfectum, ab iisque Imperatorem ſalutatum aggreſſus confecit ùt Leo, *Albino* autem res novas etiam in Gallia molienti *Cæſaris* titulum miſit, atque Senatus Decreto *Collegam Imperii* fecit, ut dolis opprimeret; Expeditus enim bello Aſiatico, interfectóque *Nigro*, in Galliam migravit, Collegæque ſuo Vitam cum Imperio ademit, quod poſteà *Antonino Caracallæ*, & Gethæ filiis reliquit; Caracalla verò, ut ſolus rerum potiretur, Getham ſuſtulit, eique Cœleſtes decrevit honores, reſponditqne conſulentibus Amicis: *Sit Divus*, dummodo *non vivus*; In amicos etiam fratris crudeliter ſæviit, acutiſſimique Ingenii Juris Conſultum *Papinianum*, quoniam ejus parricidium defendere noluerat, interfici juſſit; Principatum autem in *Tyrannidem* vertit, æquiusque agere viſus eſt, dum ebrius eſſet; Cum Matre flagitioſiſſima, avidiſſimáque poteſtatis inceſtum commiſit, atque ut Concubinam habuit; cùm enim datâ ejusdem operâ nudam aſpexiſſet, illéque æſtuantem libidine animum his verbis oſtendiſſet: *quàm vellem, ſi liceret*, reſpondit Mater: *ſi libet, licet, an neſcis te Imperatorem eſſe, & Leges dare, non accipere?*

De Septimio Severo.

De Antonino Caracalla.

Eo autem *Macrini* operà ſublato; à militibus factum ignorantibus adminiſtrandum *Macrinus* ipſe ſuſcepit Imperium, literisque ad Senatum miſſis nedum ſibi, ſed *Diadumeno* filio honores omnes, atque Imperatoria Jura decerni curavit, licèt in *Macrino*: *ſciendum*, ſcripſiſſet Herodianus, quòd Cæſar fuiſſe dicatur, non autem Auguſtus *Diadumenus* puer, quem plerique parem fuiſſe Patri *Imperio* crediderunt, quibus à militibus iisdem trucidatis, lectus fuit maximo cum plauſu *Varius Avitus*, quoniam Caracallæ filius putabatur, occulto ſtupro ex Conſobrina genitus, unde *Antonini* nomen adſumpſit, *Elagabalus* quoque dictus à Sacerdotio Solis, quo in Phœnicia fungebatur. Ejus tempore adeò impotenter *Semiamira* Mater *Dominationem* exercuit, ut *Senatus fœminarum* viſus fuerit, quem *Senatulum* communiter vocitabant, qui mulierum negotia cognoſcebat; unde ipſam Auguſtorum dominationem in *Gynæcocratiam* ver-

De Macrino, ac Diadumeno.

De Vario Avito Elagabalo.

Digitized by Google

tiſſe diceres. Cùm autem ſe probris omnibus fœdâſſet, nihilque flagitii reliquiſſet quo corruptior ageret, nisì quòd uni ex illo Exoletorum grege, qui ſemper aderat, cui nomen *Hietocles*, in modum ſolemnis Conjugii denuberet, adeò militare odium excitavit, ut tandem ab iis interfectus, cadaver ejus in Tyberim præcipitarent. Succeſſit autem *Alexander* Mammeæ filius, quæ ſoror erat *Matris* Elagabali, quem ipſe adoptaverat 12. annorum puerum, cùm adoptatus ipſe 14. annorum eſſet, adeoque *Cæſar* Senatûs Decreto eo vivo renunciatus, póſtque obitum acclamatione militari deductus in Senatum, eodem die *Pontificatum maximum*, *Tribunitiam Poteſtatem*, & *Conſulare Imperium* accepit; delatum tamen *Pii* nomen recuſavit, licèt *Antoninum* etiam & *Magnum* crebris acclamationibus appellâſſent; trucidatus quoque à militibus in bello Germanico, cùm imperâſſet annis 13. quoniam ſeverior reddi videbatur, Matrique nimìs avaræ addictus eſſet.

De Alexandro Severo.

Sed eò jam deventum erat, ut nedum *Creatio Imperatorum* à voluntate Militum penderet, ſed exteris quoque ac Barbaris deferretur Imperium, nec aliam *Senatûs* partem haberet, quàm *Decreta* edendi, quibus honores è more mandabantur; quare cæſo Alexandro *Maximinus Thrax*, neglecto quoque Senatûs Decreto, *Auguſtum* appellari ſe fecit, licèt poſteà ut authoritate legitimâ regnare videretur, per literas Militum voluntatem Patribus aperuit, qui repentè timore correpti, eandem comprobârunt. Is autem primò *Bubulcus* in Thracia, cùm militiæ ſe addixiſſet, ſub *Septimio Severo* ſtipendia meruit, & propter robur, pernicitatemque Corporis cuſtos evaſit, evectúſque ſub Caracalla ad militares dignitates, ſub *Macrino*, quem oderat, militiam deſeruit; occiſo autem *Elagabalo* denuò miles in pretio apud *Severum* fuit; cùmque *Auguſtus* eſſet, impotenter, crudeliterque dominatus eſt; generis enim ſui conſcios interemit, *Alexandri* amicos ſuſtulit variis modis, & militum alios in crucem egit, alios animalibus nuper occiſis incluſit, feris alios objecit, multos fuſtibus eliſos necavit, & *Senatorum* plurimos per *delatorum* artes, quos ſubornaverat, perdidit. Filium autem ſibi *Collegam Imperii* adſcivit. Cùm verò infenſus in dies ob ſcelera evaderet, Africanus Exercitus *Gordianum* Octuagenarium maternâ origine à *Trajano*, Paternâ à Gracchis ortum, juſtum æquè ac nobilem ſenem, Imperatorem ſalutavit, plaudente Româ, ac etiam comprobante Senatu, qui immanem illum *Thracem* eâ ſpe hoſtem

De Maximino Thrace.

De Gordiano, & Filio.

hoſtem judicavit, Collegamque ſimul Imperii Gordiani filium declaravit ; quà rerum novitate commotus Maximinus, Romam magnis itineribus properabat, ut Urbem diriperet, Senatùmque trucidaret univerſum ; dum interim *Capelianus*, Maximini partes ſecutus

De Maximo Pupieno. Cœlio Balbino, & Gordiano juniore.

in Africa, Gordiani filium in pugna interimit, Patrémque ad eam deſperationem adigit, ut laqueo vitam finiat; quare trepidi Patres, atque tota Civitas *Maximum Pupienum* Præfectum Urbi Imperatorem creant, Collegámque addunt *Cœlium Balbinum*, atque Adoleſcentem *Gordianum* ſenis jam dicti Nepotem Cæſarem declarant ; *Pupienus* bellum contra *Maximinum* in ſe recipit ; profectùsque cum Exercitu, Aquilejam munit, in cujus obſidione *Maximinus* cum filio trucidatur à militibus, *ex peſſimo genere nec habendum Catulum* clamantibus. Reverſo hinc Romam *Pupieno*, ortisque inter *eum, Balbinumque* diſſenſionibus, cùm is ùt ignobilem contemneret, ille verò *Balbinum* ùt ignavum, quoniam nunquam ordines duxerat, & milites utroſque odiſſent, quia *Senatus* elegerat, ambos trucidàrunt;

De Philippo Arabe.

ſolúsque *Gordianus*, concordibus inter ſe Senatu, militibusque, *Auguſtus* ſalutatus eſt, qui tandem *Philippi Arabis* in bello Perſico dolo periit, qui poſt *Miſithei*, vel *Senatûs* elogio eminentis Viri mortem *Præfectus Prætorio*, milites ad ſeditionem concitavit, eorumque acclamatione *Imperium* arripuit, *Auguſtoſque honores* à Senatu extorſit, morbo exſtinctum *Gordianum* ſimulans, à quo ad *Valerianum* plurimi *Cæſares* intercurrunt, quos Latinorum Hiſtoria Auguſta nec memorat,

De Martio.

ſed *Caſauboni* induſtriâ ex aliis Scriptoribus ſupplentur; traditque Zonaras; *Imperatores* à Senatu declaratos primò *Martium* quendam gravem ſapientemque Virum ; poſteà verò

De Severo Hoſtiliano Gallo, atque Hoſtiliano Perpenna.

Patrum quoque ſuffragiis *Severum Hoſtilianum Auguſtos honores* aſſecutum eſſe. Sed Aurelius Victor *Gallum* quoque atque *Hoſtilianum Perpennam* Imperatores à Senatu fuiſſe declaratos affirmavit. Fluctuabat igitur *Reſpublica*, & nunc arbitrio militum jactabatur, nunc licèt *Senatus* tantiſper ſuam authoritatem exſerere videretur, majores tamen inde motus oriebantur, nam nec ullius erat apud milites momenti, nec *Principes*, quos Reipublicæ dabat, à militibus obſequium & fidem ſperare poterant; nulla igitur certa *Reipublicæ* forma : nullæ Leges, Juſque ſuccedendi prorsùs inane ; unde *rerum Summa* penès refractarios ac tumultuantes milites eſſe videbatur, quorum metu *Senatus* præter adulationem & obſequium nîl poterat è Republica decernere.

De Decio Patre, ac Filio.

Decium igitur Illiricus Exercitus Auguſtum acclamavit, & à Senatu confirmatus eſt, cujus etiam ſuaſu filium *Decium* in Conſortium Imperii admiſit; ſed ſua munia *Magiſtratibus* permittere videbatur: perpetuis autem ſeditionum motibus agitatus, vix biennio cum Collega filio imperavit; nam in Syria quidam *Jotapianus* erat, quem *Philippo* adhuc *Arabe* imperante milites *Imperatorem* ſalutaverant, & *Laucius Priſcus* Gothorum auxiliis Thraciam, Macedoniamque occupaverat; cùmque âdversùs eum *ambo Decii* proceſſiſſent, alter quoque *Julius Valerius* dictus invaſit Imperium. Cunctis autem è medio ſublatis, *Deciorum* fortunâ; tunc primùm *Gothi* Scytharum, Tartarorumque agminibus immiſſi, Romani Imperii Provincias diripere cœperunt, *Mœſiamque* occupârunt; eos igitur aggreſſus *Decius*, viciſſet protinus, ſi *Treboniani Galli* dolus, & hoſtium victoriam, & vitam non præripuiſſet; conſilio namque ejus Barbari copias diviſerunt, ut alii in inſidiis eſſent propè quandam Paludem; alii in primo congreſſu fugam paludem versùs ſimularent. Cùm ergo victor *Decius* inſequeretur, ventum eſt ad inſidias, & licèt fortiter *Deciani* pugnâſſent, loci tamen iniquitate periêre, ceciditque primò *Decii filius*; ſenior autem nè vivus in manus hoſtium veniret, in voraginem paludis ſe projecit, quæſitumque cadaver nunquam repertum eſt; tunc verò proditor ille *Gallus* fœdiſſimum *Populo Romano* cum Gothis Scythisque fœdus iniit, quo nedum eas Regiones permiſit, verùm *Tributum* etiam bis centum drachmarum auri ſingulis annis pendere ſe adſtrinxit, ut *ſolemni fœdere* jugum Scythicæ ſervitutis accipere videretur; hinc undique contemni Imperium cœpit, & Barbarorum incurſionibus infeſtari; Gothi namque ipſi Dardaniam, Thraciam, Theſſaliam, Macedoniamque diripiebant, nec Aſiæ parcebant, imò nec Italia ſatis tuta. Quorum exemplum alii quoque Populi ſequentes arma capere, imprimisque Parthi Syriam, Armeniamque occupare, Scythæque ipſi haud ampliùs pretio, prædâque contenti, Italiæ imminere videbantur; quare *Æmilianus Dux*, cùm pro Concione militibus, *ſi hoſtes viciſſent*, pretium illud iisdem diſtribuere pollicitus eſſet, eos tanto impetu aggreſſi ſunt, ut major eorum numerus ceciderit, reverſusque in Mœſiam *Æmilianus*, cùm præmia militibus largiretur, ab iiſdem *Imperator* ſalutatur; *Gallus* autem, cùm adversùs eum proficiſceretur, à ſuiſmet militibus ſimul cum filio trucidatur. Intereâ Germanicæ Legiones *Licinium Valerianum* Imperatorem

De Jotapiano, Lucio Priſco, ac Julio Valente Imperii invaſoribus.

De Treboniani Galli dolo, & Imperii invaſione.

De Æmiliano.

De Lici-

torem acclamàrunt, quarum exemplum ſecutæ Italicæ, *Æmilianum*, quem tanto ardore ac ſtudiis ad *Auguſtos honores* evexerant, nefariè trucidârunt; atque in verba *Valeriani Caſaris* jurârunt, qui ſeptuagenarius jam adeò cunctorum plauſu ſuſcepit Imperium, ut ſi poteſtas creandi Imperatorem ſingulis fuiſſet, haud alium electuri viderentur; erat enim omnium opinione integerrimus æqnè ac nobiliſſimus, refertque *Trebellius Pollio*, cùm Cenſor *Decii* temporibus eligi deberet, omnium ſuffragio digniorem illum fuiſſe judicatum, unoque ore auditum fuiſle: *Valeriani vita cenſura eſt, ille de omnibus judicet, qui eſt omnibus melior: ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen: ille de vita noſtra ſententiam ferat, cui nihil poteſt objici, &c.* Cui *Gallienum filium* priùs Cæſarem appellatum Senatus *Conſortem Imperii* dedit. Profectus autem ad Perſas, cum, ùt ait Trebellius, ductu cujusdam ſui Ducis, is erat *Macrinus* Gener, cui ſummam omnium rerum bellicarum commiſerat, ſeu fraude, ſeu adversâ fortunâ in ea eſſet loca deductus, ubi nec vigor, nec diſciplina militaris quidquam valere potuit, in hoſtium poteſtatem venit; ſcribitque *Aurelius Victor*, juſſu Saporis Regis fœdè laniatum interiiſſe; *Agathias verò*, cutem è cervice ad pedes detractam; cùm autem captivitatis fama Romam advolâſſet, nemo minùs quàm *Gallienus* filius doluit, nilque auſus pro Patris libertate, totus ſe voluptatibus permiſit: mortuum autem Parentem ſolemni *Apotheoſis* decreto conſecravit, quemque liberum reddere nequiverat, more temporum illorum effecit *Deum*; adeòque proceſſit ignaviâ, ut Gallias, Hiſpaniam, ipſamque Italiam, Ravennam uſque Germani, Thracias, & Græciam Gothi diriperent; Dacia verò univerſa trans Danubium in poteſtatem hoſtium veniret, actumque de univerſo Imperio foret, niſi Orientem ſervâſſet Odenatus Palmyrenorum Princeps cum filio Hercule, quem propterea Collegam Imperii adſcivit *Gallienus*, iisque à Mœnio Tyranno interfectis, *Uxor Zenobia*, à quibus Perſæ victi ac cedere coacti; Occidentem verò *Caſius Poſthumus* Cæſaris nomine defendiſſet, Galliasquê nutantes conſervâſſet. Atque hi ſunt ex 30. illis Tyrannis, qui propter *Gallieni* ſocordiam, Imperii Provincias occupârunt; nam in Gallia poſt *ipſum Caſium Poſthumium*, filiumque *Poſthumium* quoque, *Lollianus*, à qvo interfecti, Imperator proclamatus eſt, eodemque tempore *Victorinus*, ejusque filius, qui *Lollianum* ſuſtulerunt, & hos *Marius* quidam faber ferrarius interfecit, qui tribus tantummodò diebus

nio Valeriano, & Gallieno.

De triginta Tyrannis.

diebus *Imperium* quoque guſtavit, quem *Victoriani* Vidua ſecuta eſt, nomine *Victoria*, Materque Caſtrorum nuncupata; poſt quam *Tetrici* Pater ac filius, qui poſteà ab *Aureliano* Principe confecti fuêre. Pannoniæ verò quidam nomine *Ingenuus* Imperium ſibi arrogare auſus eſt, poſtque eum, *Regilianum* milites ſalutârunt, quem ſecucutus *Aureolus*. Nec minùs Italia & Græcia ſeditionibus laboravit; *Macrini* namque Pater ac filius Imperatòres audiebantur, idemque auſus filius alter nomine *Quietus*, ùt quoque *Baliſta*, *Valens* ac *Piſo*; Ægypti autem auguſtos honores uſurpabat *Æmilius*, & *Saturninus*; relati quoque inter Tyrannos *Crennianus*, *Timolaus*, *Trebellianus*, & Romæ *Gallieno* abſente *Claudius Cenſorianus*; *Cyriadem* quoque Trebellius Pollio refert, quamvìs ſub *Valèriano* defeciſſet. Hos autem retuli, ut veluti oculis ſubjicerem *Reipublicæ* faciem, quæ ſpretis ſemel Legibus eò devenerat, ut violenter refractariorum militum arbitrio nunc ab uno, nunc ab altero cujuſcumque Nationis homine abriperetur; nunc verò uno eodemque tempore plures diſcerperent. *Gallienus* autem Romam adventantis *Aureoli* ſtrepitu, alto velut ſomno expergefactus, ei obviam proceſſit, mirumque fuit *viciſſe*; cùm autem *Tyrannum* Mediolani obſideret, dolo ejuſdem, qui præcipuos *Gallieni* Duces in ſuſpicionem adduxerat, quòd *Gallienus* eoſdem occidere in animum induxiſſet, iiſdem conſpirantibus occiſus eſt; moriens autem *Flavium Claudium* ſucceſſorem nominavit, eique *Inſignia Imperii* miſit, qui nedum voluntate militum, ſed Senatûs univerſi plauſu Imperium accepit, communibus namque ſuffragiis priùs etiam uni *Claudio* concedebatur Imperiū; de eoque Trebellius: *ſi diutiùs*, inquit, *in hac eſſet commoratus Republica, Scipiones & Camillos, omneſque illos Veteres ſuis virtutibus ſuis conſiliis ſuâ prudentiâ ſuperâſſet; in eo enim Trajani Virtus, Antonini Pietas, Auguſti moderatio, & magnorum Principum dona ſic fuerunt, ut non ab aliis exemplum caperet, ſed etiam ſi illi non fuiſſent, his cæteris reliquiſſet exemplum.* Is *Aureolum Tyrannum* confecit, Barbaros, Scythas, Gothos, Sarmataſque univerſos debellavit, ità ut ad 320000. millia periiſſe referatur, mirúmque quod de Gothis narratur, qui cùm Græciam Athenáſque diripuiſſent, Libros univerſos comburere in animum induxerant; unus autem ex illis ſententiam immutavit, his verbis: *Abſtineamus hanc injuriam ab his Codicibus, quibus Graji homines, dum ſtudioſiùs incumbunt, minùs ad bella fiunt idonei.* Claudius autem Victor poſtquàm vix tertium anni Imperium incœpe-

De Flavio Claudio Auguſto.

cœperat, apud Syrmium morbo correptus, vitam finiit, ſucceſſorque *Quintillus* frater 17. tantùm diebus imperavit, atque à Militibus, qui gravem & adversùs militarem licentiam ſævum Principem oderant, trucidatus eſt, licèt *Zoſimus* ſpontè venas ſibi incidiſſe ſcripſerit, poſtquàm lectum *Aurelianum* audivit, cui ſe imparem viribus rebatur. *De Quintillo Fratre.*

Aurelianus ergo licèt obſcurâ Familiâ genitus in Dacia Ripenſi, ſeu Mœſia, per gradus ad dignitates militares evectus, atque à *Valeriano* Conſul deſignatus, Gothorum victor, ad priſcos fines produxit Imperium, déque *Zenobia* Orientis tunc fermè Domina, & *Tetrico*, qui Gallias occupaverat, triumphum egit. Licèt autem bellis inclaruiſſet, ſeverè admodùm ſuperbèque dominabatur, ſuperimpoſito etiam capiti Diademate; nec proinde dubitare fas erit, delatos ei haud fuiſſe conſuetos à Senatu honores; eo verò *Mneſtei Liberti* dolo ſublato, milites tunc primum obſequium erga *Senatum* literis ad eum miſſis teſtati ſunt, orantes, *Aurelianum* inter Deos referre, déque Patribus aliquem dignum *Senatûs* judicio Principem mittere; hinc *Tacitus* primæ ſententiæ Senator eligitur, Vir ſapientià, priſcàque integritate clariſſimus, atque is 6. menſium ſpatio, quo imperavit, *Libertatem* quoque cum *Principatu* miſcere videbatur, cùm è Senatûs judicio *Rempublicam* adminiſtraret, cæteriſque Magiſtratibus ſua munia relinqueret; Poſt eum tamen frater *Florianus* nullâ Senatûs authoritâte Imperium arripuit, duobusque tantùm menſibus tenuit, Tharſi à militibus, cùm contra *Probum* expeditionem ſuſcepiſſet, interfectus. *Probus* autem militum fauſtis vocibus acclamantium: *Probe, Auguſte, Dii te ſervent*, Imperator ſalutatur; *Senatui* tamen ſcripſit, ſibi quidem à militibus delatum *Auguſti* nomen, orare tamen, ut *Senatus* de ſe decerneret, quid è Republica videretur, cunctiſque juxta morem decretis honoribus *Rempublicam* capeſſivit, Galliáque, Thracia, Aſia à Barbarorum incurſione liberatis, *Bonoſo* etiam & *Proculo*, qui ſe *Cæſares* ferebant, debellatis, Vineas *Lege* Domitiani *Annonariâ* intermiſſas Gallos atque Pannonios habere permiſit; cùm autem jactitâſſet, undique devictis hoſtibus tempus inſtare, quo militum opera inutilis *Reipublicæ* redderetur, ii apud Syrmium ſeditionem excitârunt, atque eum, qui ſe in quandam Turrim receperat, cùm quinquennio regnâſſet, interemerunt.

De Aureliano. *De Tacito.* *De Floriano.* *De Probo.* *De Bonoſo, & Proculo Anti-Cæſaribus.*

De Aurelio Charo Numeriano, & Charino.

De Diocletiano, Maximino Herculeo Auguſtis, atque Cæſaribus Galorio Maximino, & Conſtãtio Chloro.

Poſt quem, *Aurelium Charum,* Narbonæ in Gallia natum, *Auguſtum* creàrunt, qui è Sarmatico bello profectus in Perſas Meſopotamiam cœpit, & Cteſiphontem, ultrà etiam progreſſurus, nì Fulmine ſuprà Tigridem fuiſſet abſumptus; poſt quem, *Numeriano* etiam ab Exercitu deferuntur *Auguſti honores*, erat namque cum *Carino* fratre Cæſar etiam à Parente nuncupatus; ſed dùm ejus oculi pro nimio fletu, quo *Patrem* proſequebatur, vitium contraxiſſent, & in lectica geſtaretur, quam claudi juſſerat, nè lucem videret, factione *Apri* Soceri, quem *Præfectum Prætorio* conſtituerat, interemptus eſt; Exercitus autem *Diocletianum*, qui, ùt ait Eutropius, *libertinus erat*, Annulini Senatoris, *Auguſtum* acclamavit, qui *Aprum* ſtatim ſpectante Exercitu ſuiſmet manibus confecit: *nunc tandem*, inquiens, *fatalem Aprum occidi*, quoniam, cùm apud mulierem quandam in Galliis diverſaretur, illùmque notâſſet parſimoniâ, *Diocletianus* tunc liberaliorem fieri, cùm eſſet Imperator, inquit, muliercula verò *Imperatorem* fore dixit, cùm *Aprum* occidiſſet. *Diocletianus* autem nuncupatus à Dioclea Græca Urbe, è qua originem traxit. Cùm autem *Carinus* defuncto Patre Auguſtos ſuſcepiſſet honores, bellum exarſit inter utroſque, victóque tandem *Carino* ad Margum Mœſiæ, Collegam ſibi adſcivit *Diocletianus Maximianum Herculeum*, qui ex Cæſore *Auguſtus* etiam declaratus, Galliam adverſùs *Amannum* & *Ælianum* adjunctâ ſibi ruſticorum turbâ, qui *Bacandæ* dicebantur, cuncta turbantes, pacavit, cùm Ægypti Diocletianus ipſe bellum geſſiſſet contra *Achilleum* quendam, qui rebellionem concitârat, *Purpuramque* ſumpſerat, quem victum deditúmque feris dilaniandum objecit. Quoniam verò undique bellorum motibus turbabatur Imperium, ambo ſibi *Cæſares* adſcivêre, Diocletianus quidem *Galerium Maximinum*, Maximianus verò *Conſtantium Chlorum*, cum quibus affinitas etiam interceſſit; Conſtantius namque *Theodoram* duxit *Herculei* privignam, Galerius autem *Valeriam* Diocletiani *filiam*. Igitur *Conſtantius* in Britanniam profectus, *Herculeus* verò in Africam; *Maximinus* autem, qui Armentarius dicebatur, in Orientem; cùm *Diocletianus* Ægyptiacum bellum gereret; debellatis autem hoſtibus univerſis, cùm Romæ triumphâſſet *Diocletianus*, ac *Maximianus* Nicomediæ; alter verò Mediolani; *Conſtantius* atque *Galerius* è Cæſaribus *Auguſti* appellati ſunt, Romanumque Orbem adeò diviſêre, ut *Conſtantius* quæ trans Alpes ſunt, Italiam quoque, & Africam obtineret, *Gale-*

rius

rius quidquid inde ad orientem Solem eſt; Sed poſteà *Conſtantius* Transalpinis ſolummodò regionibus contentus, cæteras *Galerio* permiſit, qui duos adſcivit Cæſares, *Severum* nempe & *Galerium Maximinum* ſororis filium, *Severoque* Italia, Oriens *Maximino* permiſſus; *Conſtantio* autem Eboraci in Britannia defuncto ſucceſſit *Conſtantinus* filius ex Helena Bythyna procreatus, quam *Concubinam* plerique fuiſſe ſcripsêre, Eutropius autem *uxorem*, dum privatus eſſet, repudiatamque jubente *Diocletiano*, ut Herculei Privignam *Theodoram* duceret, qui tamen nondum *Auguſtus* Cæſaris duntaxat appellatione contentus erat. At Romæ *Maxentius* Herculei filius à Prætoriano milite *Auguſtus* ſalutatur; unde adversus eum ab *Auguſto Galerio Maximino* miſſus *Severus Cæſar*, qui deſertus à militibus, Ravennam fugere coactus fuit; quare Galerius ipſe adversùs eundem Romam proceſſit, ſed fœdè quoque proditus in Illyricum conceſſit, ubi *Licinium Cæſarem* nuncupavit. *Herculeum* interim *Maximianum* capeſſendi Imperii cupido exſtimulabat, quare è Lucania Romam reverſus, *Diocletianum* etiam (qui Carnunthi tunc temporis in Pannonia morabatur, & Salonæ ſupremum diem clauſit) impellere fruſtrà conatus, *Severum Cæſarem* dolo, ac fraude Ravennâ retractum in Appia Via trigeſimo ab Urbe lapide jugulavit; tunc autem *Maxentio* etiam filio inſidias ſtruere cœpit, quibus detectis, in Galliam ſe recipere coactus, adversùs Generum *Conſtantinum*, quem ſubdolè *Auguſtum* nuncupaverat, nefaria quoque moliebatur; ſed his etiam patefactis per *Fauſtam filiam*, uxoremque *Conſtantini*, quæ maritum prætulit Patri, depræhenſusque, facultate acceptâ liberæ mortis, Maſſiliæ laqueo ſibi gulam fregit. Intereà *Galerius*, poſtquàm *Licinium Cæſarem* conſtituerat, fato functus erat; adſcriptusque à *Maxentio* Genero *inter Divos*; quare uno eodemque tempore 4. Auguſti Rempublicam occupârunt, *Conſtantinus* nempe Conſtantii filius, *Maxentius* Herculei, *Maximinus* Dazza Galerii ex ſorore Nepos, qui ab eodem cum Severo *Cæſar* nuncupatus fuerat, indignèque ſibi *Licinium* prælatum tulerat, & *Licinius*, interque eos bellum exarſit; nam *Conſtantinus Maxentium* aggreſſus, qui bellum priùs indixerat, quaſi Patris necem vindicaturus, victis ad Veronam ejus Ducibus, eum tandem ad Milvium Pontem debellavit, fugiensque Tiberi ſubmerſus eſt. *Licinius* autem *Maximinum* in Illyrico vicit, qui fugere coactus in Aſiam apud Tarſum Ciliciæ veneno ſumpto, ſed inefficaci, inter horribiles cruciatus

De Severo, & Galerio Maximino.

De Conſtantino.

De Maxentio Herculei filio.

De Licinio Cæſare.

De Maximiano Herculeo.

De Conſtantino Auguſto.

ciatus abſumptus eſt. Quapropter *Conſtantinus*; & *Licinius* Auguſti, Competitoribus debellatis rerum potiti, non diù pacem ſervârunt, licèt ad eam inter ſe firmandam affinitas acceſſiſſet, ductâ à Licinio *Conſtantiâ* ſore Conſtantini; ruptoque fœdere, quoniam *Licinius* Provincias Maximino ereptas uſurpare nitebatur (licèt vera & gravior cauſa, quòd alter alterum Conſortem Imperii haùd ferre poterat) ad Cybalim Pannoniæ Oppidum primò pugnatum eſt, deinde in Campo Mardienſi, victis ſemper *Licinianis*; tandem pecuſſo denuò fœdere, ac *Liciniano* puero, Conſtantini Nepote *Cæſare* nuncupato, Imperium de integrò partiti ſunt inter ſe, interfecto, ùt authore turbarum, *Valente*, quem poſt Cybalenſem Cladem *Licinius* Cæſarem dixerat; ſed eadem cauſa ambos coëgit rurſùs arma capere, *Liciniusque* primus Conſtantinum cauſatus, quòd ultrà ſuos limites alienam ditionem invaderet, fœdus rupit, ac denuò inſignem Hadrianopoli cladem accepit, victusque iterum navali pugnâ propè Bizantium, poſtremò ad Chalcedonem prælio debellatus, in Victoris poteſtatem venire coactus eſt; vitamque interpoſitâ ſorore obtinuit, occiſo *Martiniano*, qui etiam, *Licinio* ex Europa in Bythyniam fugiente, Cæſar nuncupatus fuerat, cùm anteà Magiſter Officiorum eſſet. *Licinius* autem ad Theſſalonicam relegatus, cùm ibi quoque turbandis rebus vacaret, interfectus eſt.

Quare a Tacito Auguſto ad Conſtantinum nullæ fermè *Senatûs* in eligendo Principe partes fuêre, cùm ex militum arbitrio, perque proditionis ſcelera, nunc unus, nunc alter Imperium occupâſſet; undè tumultuarii tot Duces rerum potiri conati ſunt, & aliquo tempore deguſtârunt Imperium, deque eo Cæſares & Auguſtos nuncupando quaſi *hæreditas fuiſſet*, plures nedum diſponere viſi ſunt, ſed & *in partes cernere*; Quâpropter à militum nutu & *Auguſtorum*, quos ipſis eligere placebat, cuncta pendere videbantur, nec *ordo*, nec *jura* vigebant, nulláque *Reipublicæ* ratio habebatur; poſtquàm autem debellatis hoſtibus Romam ibant, *Senatus* nullam aliam explicabat authoritatem, niſi triumphos, cunctoſque honores de more decernendo; nullo igitur diſcrimine Barbari, Romani, Nobiles, Plebeji; Sublati imò nuper à pecoribus & ſylvis è gregariis militibus mox *Tribuni*, poſtridie *Cæſares* aſpiciebantur; adeoque deterrima erat *militaris Dominatio*, quæ diſſidentibus Exercitibus inter *Auguſtos* illos diverſarum partium immania peperit Ci-

vilia

vilia bella, viamque ſtruxit Barbaris, ut primò Imperium occuparent, poſteà verò peſſumdarent.

Sed veniamus ad *Conſtantinum*, qui debellatis, cæſiſque hoſtibus ſolus jam *Auguſtus* Divino Numine afflatus nedum finem dedit diris perſecutionibus, quibus ferrô, flammâ, & ferarum laniatu in Chriſtianos ſæviebatur, ſub *Nerone* præcipuè, qui Urbis incendium, quod ipſe juſſerat, ut imaginem ardentis Trojæ cerneret, Chriſtianis objecit, *Trajano*, *Antonino Philoſopho*, *Severo*, *Maximino Decio*, *Valeriano*, *Aureliano ac Diocletiano* Auguſtis, ſed eâ Religione rejectâ, quam poſt Civitatem à Græcis, Hetruſciſque hauſtam *Romulus* primò, dein *Numa* invexerant, adeoque *Civitate* poſterior ac pars Politices erat, eam Religionem amplexus eſt, quam DEus ipſe ante omnem Civitatem, nec propter Rempublicam, ſed propter homines ipſos, ut nempè finem ſuæ Creationis aſſequerentur, docuit, atque in plenitudine temporum implevit, Mortales ipſos aſſumptâ humanitate ſanguine ſuo redimens; Quare ſicut Religio illa medium fuerat ad firmandum *Civitatis* ordinem, ità nunc *ipſemet Ordo Civitatis* in Divina Religione medium eſſe debet ad finem ab ea propoſitum; adeòque præcipuus *Chriſtianæ Civitatis* finis, ſicut eſt Summum illud & præſtantius bonum, *Salus* nempè *æterna*, nec acquieſcit in eo fine, quem ſibi proponebant Civitates aliæ, ut ſcilicèt beatam Vitam degerent, ità maxima *Summarum Poteſtatum* Cura in cuſtodienda, ſervandaque Religione verſari debet, nè contra finem ipſum agere videantur; ea namque potiſſimum finem illum alterum beatæ Vitæ longè nobiliorem præſtat, cùm ſi mandata Dei cuſtodirentur, & vitia exularent univerſa, & tranquillitate jucundiſſimâ fruerentur *Cœtus hominum jure Sociati*, adeoque interiori etiam felicitate gauderent univerſi.

Ille igitur, qui in *Crucis ſigno* vicerat hoſtes, pace Eccleſiæ reſtitutâ, cum ad Rempublicam ſe vertiſſet, quaſi nova rerum facies, quæ nunc cernitur, ab eo etiam ſua deberet initia capeſſere, ſedem Imperii *Bizantium* tranſtulit, *Romæ* Urbem illam æquando, quam propterea Conſtantinopolim ſuo è nomine nuncupavit, neque ſolummodò *Juris Italici*, ſed ipſius etiam veteris Romæ prærogativâ decoravit; cùmque in Exercitibus Barbari etiam innumeri militarent, iiſque agro dato in ditionibus Imperii ad inſtar *Colonorum* degere indulſiſſet, exemplum dedit, quod cæteri ſecuti Principes, diripiendæ Italiæ occaſionem præbuêre, cùm nec fines Imperii

 ut

De Conſtantino Cōſtantio, atque Cōſtante.

ùt priùs cuſtodibus Legionibus tueretur; quod tandem ùt hæredi atem tres inter filios cerni juſſit, *Conſtantinum* nempe, cui Transalpinas Provincias aſſignavit, *Conſtantium*, cui permiſſus Oriens, & *Conſtantem*, cui Italia, Africa & Illyrium conceſſa. Sed profectò vis erat Providentiæ, quæ diſſolutione Imperii *Romam* Chriſtianæ Reipublicæ Caput, ſedemque Petri Succeſſorum, à quibus etiam ſuaviter regeretur, juſto tempore reſervaverat; vix enim *Conſtantino defuncto* bella inter fratres orta ſunt, & *Conſtantinum* Duces *Conſtantis* fratris apud Aquilejam oppreſſerunt, *Conſtans* autem conſpiratione militum fugere coactus *Creſtio Marcellino* atque *Magnentio*, qui natione Francus, duarumque Legionum Præfectus, Occidentis Imperium invaſerat, præcipuis authoribus, apud Helenam Pyrenæo proximum Caſtrum interemptus eſt, quo etiam tempore *Vetranius* Magiſter Militum Purpuram apud Murſam Pannoniæ inferioris induerat. Sed hic ſuis à militibus ad privatam vitam redire coactus, *Magnentius* autem bellis apud Murſam & Ticinum à *Conſtantio* victus, nec non ad Longaticum, Caſtellum Juliarum Alpium, atque circà montem Seleucum in Gallia, Lugduni ſibi mortem conſcivit, quem ſecutus *Decentius* frater, Cæſarque dictus, laqueo ſibi gulam fregit.

Conſtantius igitur ſublatis etiam *Nopotiano* Eutropia Conſtantini Magni Sorore genito, qui velut *Auguſtus* Romæ agebat, & *Sylvano*, quem Exercitus Galliæ Imperatorem nuncupaverat, ſolus rerum petitus eſt, dixitque Cæſarem *Julianum* Conſtantini magni ex fratre Nepotem, erat namque filius *Flavii Julii Conſtantii* ex Uxore Baſilina, habueratque fratrem *Gallum* ex Uxore Galla, quem *Conſtantius* ipſe Nolæ interfici juſſerat, quoniam in Galliis multa patraverat facinora, alii namque alterius fratris ejuſdem *Conſtantini*, qui *Flavius Dalmatius Hannibalianus* dicebatur, filii, *Dalmatius* nempè, militari factione, ſilente potiùs *Conſtantio* quàm jubente ùt Eutropius, aut *ejuſdem inſidiis*, ùt Zoſimus ſcripsêre, jam pridem exſtinctus, & *Hannibalianus*, quem *Nobiliſſimi & Patritii* dignitate Conſtantinus Patruus ornaverat, Regemque Ponti conſtituerat, etiam *Conſtantii* juſſu à militibus interfectus fuerat. Quare ſolus è *Conſtantini* agnatione ſuperſtes *Julianus* Cæſar, rebus ad Argentoratum præclarè geſtis, cùm fines Imperii recuperâſſet, noluit intrà *Cæſaris* poteſtatem contineri, *Auguſtique* honores adſumpſit in Gallia; quâ de causâ cùm adversùs eundem Copias è bello Perſico moviſſet

viſſet *Conſtantius*, in itinere mortuus eſt; licèt Succeſſorem ſuæ poteſtatis eundem *Julianum* ſtatuiſſe dicatur; Tunc autem *Julianus*, quaſi Auguſtos honores, quos acceperat, reſpueret, precibus adigi ſimulavit ad ſuſcipiendum *Imperii* onus; aderant namque Urbis Conſtantinopolitanæ Legati, orabantque, ut morâ omni depoſitâ ad *obtinendum ſibi obtemperare paratum tenderet Orientem*; cumque Conſtantinopolim intrâſſet, *Senatûs* officiis & popularibus *Conſulum* plauſibus inauguratus eſt, profeſſus *Principatum* deferente nutu Cœleſti abſque ulla publicæ rei ſuſcepiſſe jacturâ. Redacta verò ad ſe unum *Romanæ orbis curatione*, cùm priùs ut omnes nullo impediente ad ſui favorem alliceret, adhærere cultui Chriſtiano ſimulâſſet, defectione ad Gentium ritus bellum Chriſtiano Populo conſultô ac fraudulenter movit, non quidem ſæviendo *ſecuri* aut *gladio* ùt priùs, ſed clauſis Chriſtianorum Scholis, averſiſque prorsùs ab Eccleſia præmiis & honoribus literatum, ut nempe ignorantia & caligo ingeniorum, atque Ambitio Religionis noſtræ progreſſum ſiſterent, ac imò curſum revocarent; adeoque, ùt inquit *Marcellinus*, ubi adeſſe ſibi liberum tempus faciundi quæ vellet, advertit, ſui pectoris patefecit arcana, & planis abſolutisque Decretis aperiri *Templa*, Arisque *Hoſtias* admoveri, & reparari *Deorum* ſtatuit cultum; ſed eventum habuit, quem fugiens Athanaſius prædixerat, *nubeculam eſſe citò tranſituram*; bello enim Perſico, dum incautiùs ſeſe infert, lethale vulnus accipit, reverſusque in Caſtra, poſtquàm ſuorum ordines licèt fauciùs inſtauràſſet, cunctantem animam multis ſuos allocutus efflavit, nullo Succeſſore relicto; præfatus enim erat, conſultò ſeſe de Imperio nihil mandare, nè uti ſolet, in multitudine diſcrepantibus ſtudiis amicorum ex invidia, *Reipublicæ* diſcordiâ Exercitûs periculum pararet; Tunc autem milites *Jovianum* acclamârunt, quo Imperium abnuente, quòd ſe *Gentilibus* imperare diceret nolle, milites ſe Chriſtianos eſſe unà voce faſſi ſunt, atque ità volentem veſtibus Auguſtalibus exornatum è Tabernaculo eduxerunt. Pacem autem cum Perſis neceſſariò magis, quàm è dignitate fecit, Provinciis quinque Tranſtigridanis à *Galerio Maximino* bello partis, hoſtibus reſtitutis. Obiit autem in Galatiæ finibus apud Dadaſtanam vix octavo menſe Imperii exacto, poſt quem *Valentinianus* Imperator Niceæ in Bythinia creatur, adſcitoque Collegâ Fratre *Valente*, qui participem quidem legitimum Poteſtatis, ſed in modum

De Juliano.

De Joviano.

De Valentiniano.

dum Apparitoris *Morigerum* eſſe proteſtatus eſt, Orienti eum præfecit, ipſe Occidentem moderaturus contra Saxones movit, quos inter invias paludes attrivit; victis quoque Alemannis uſque ad Oceanum pervenerat. Cumque in Sarmatas & Guados bellum pararet, apud Prægitionem hoſtium Legatos audiens, effluente ſubito ſanguine exſpiravit, licèt ſcripſerit Pomponius, eum ſubitâ irâ incenſum incidiſſe in morbum, quo areſcentibus venis, cùm ſanguinis nihil emitti potuiſſet, mortem obierit.

De Valente. *Valens* autem *Procopium* Juliani cognatum, qui paucarum Legionum ope Imperatorem ſe oſtentabat, vicit in Phrygia ſalutari, atque in fuga interfectus eſt; Gravis hic quoque Orthodoxis, cùm in Arianam hæreſim illapſus eſſet; paganos etiam Philoſophos *Juliano* chariſſimos partim ſupplicio ſuſtulit, partim mulctavit exilio; tandem ipſe à Gothis victus, incertum quo mortis genere occubuit; ſunt enim qui acie illum cecidiſſe ſcripſerunt, alii palude hauſtum, multi denique Tugurio, ad quod ſaucius confugerat, conflagrante, ignem injicientibus hoſtibus, abſumptum eſſe, nec enim poſt pugnam repertus eſt uſquam.

De Gratiano, & Valentiniano. *Gratianus* igitur, qui à *Valentiniano Auguſto*, & ipſe Auguſtus nuncupatus fuerat, unde morem inſtitutum antiquitùs ſupregreſſum eſſe ſcripſit *Ammianus*, quoniam non Cæſares ſed Auguſtos *Germanum* nuncupavit & *Filium*, Imperium ſolus capeſſiverat, fratremque *Valentinianum* vix quadrimum, eo apud Treviros abſente *Auguſtum* in Caſtris appellatum non modò non repulit, ſed lubens quoque in conſortium poteſtatis admiſit; Defuncto autem Valente, *Theodoſium* Collegam Orienti præfecit, à quo Barbaris undique debellatis, *Auguſtus* etiam & Conſors Imperii declaratus eſt; ipſe verò cùm Gallias petiviſſet, ibique Alanos, quorum habitum & mores induere videbatur, Romano militi anteponeret, eorum indignationem adeo movit, ut cùm *Maximus* è Præfecto Britanniæ Imperatorem ſe oſtentaret, relicto *Gratiano* ad eum tranſiverit, qui tandem ab *Anthragacio* quodam Claſſis *Maximi* Præfecto ejusque juſſu dolo interfectus eſt;

De Maximo, & Theodoſio. *Maximus* verò debellatus à Theodoſio ad Aquilejam, interfectusq; cum filio *Victore*, quem Imperii participem fecerat; ad ipſum namque confugerat *Valentinianus*, poſtquàm *Maximus* ipſe rupto fœdere, ad quod percutiendum *Valentinianum* adegerat, nec Provinciis, quibus ceſſerat contentus, Italiâ etiam fugere coëgerat, Sororemque eidem *Theodoſio* nuptui dederat, eo tamen pacto, impellente præcipuè *Juſtina* Matre, ut nullam ſuſcipiendo bello moram afferret, quod,

rei

rei indignitate, & *Valentiniani* neceſſitate permotus, ſuſcipere profeſſus eſt; hoſtibus igitur undique debellatis Romam ambo profecti, maximum egerunt triumphum; cumque poſteà in Gallias ſe contuliſſet *Valentinianus*, apud Viennam ibidem ab *Arbogaſto* Magiſtro militum, cui totum ſe commiſerat, occiditur, qui *Eugenium*, quoniam ipſe ſibi diffidebat, Scriniorum Magiſtrum Imperatorem ſalutari curavit, quos adortus *Theodoſius* ſub Alpibus Juliis Aquilejam versùs ad Flumen frigidum, cùm è ſuo Exercitu Gothi terga vertiſſent, orando magis, quàm feriendo pugnavit, atque mirandâ Dei ope vicit, cùm Sagittæ, telaque in hoſtes retorquerentur ventorum vi, undè Claudianus:

- - - - Gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adverſas acies, revolutaque tela
Vertit in Authores, & turbine repulit haſtas.
O nimium dilecte Deo! cui fundit ab antris
Æolus armatas acies, cui militat Æther,
Et conjurati veniunt ad Claſſica Venti.

Captus igitur in acie *Eugenius* Theodoſii juſſu à militibus trucidatur, *Arbogaſtus* ſuâ ſe jugulat manu; hinc ſolus Occidentem atque Orientem Theodoſius moderatur, nec tamen diu fruitur, quinto poſt Victoriam menſe fato functus Mediolani: Pius adeò Princeps, ut *Sacris* ab Ambroſio *interdictus*, cùm gravior in Theſſalonicenſes fuiſſet, qui Magiſtrum militum eâ de cauſa interfecerant, quòd captivum Aurigam, quo in ludorum celebratione uti debebant, ſolvere detrectâſſet, miſſis militum cohortibus, quæ 7000. Civium trucidârunt, æquo animo tulit *Eccleſia* Leges, & *Epiſcopi* diſciplinam; Quare *Theodoretus* inquit, *Tali tantaque Virtute Pontifex & Imperator erant illuſtres, nam utramque ego admiror; Illius quidem libertatem: hujus verò obedientiam, itemque fervoris flammas illius, & hujus fidei puritatem*; hinc Ambroſius ipſe in Oratione funebri: *dilexi*, inquit, *Virum, qui cum Corpore ſolveretur, magis de Eccleſiarum Statu, quam de ſuis periculis angebatur.*

Poſt eum *Arcadius* atque *Honorius* jam tum vivô Patre *Auguſti*, diviſum ex Theodoſii voluntate Imperium ità tenuêre, ut *Arcadius* Orientem, *Honorius* Occidentem moderaretur, datis Tutoribus huic *Stilicone*, alteri verò *Ruffino*; atque ab hoc tempore nunquam ampliùs coaluit: Tutores autem infidi ambo per omne ſcelus propriam augere potentiam, purpuramque ſibi ſumere ſtudebant, licèt *De Arcadio, & Honorio.*

Ruffinus ſub ipſis initiis Stiliconis operâ interfectus, Orientem turbare nequiverit, undè Claudianus dubitanti ſibi, cur nefarios adeò Viros patiatur Deus, reſpondet:

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Abſolvitque Deos: jam non ad Culmina rerum,
Injuſtos creviſſe queror. Tolluntur in altum
Ut lapſu graviore ruant.

Honorius autem *Stiliconis* fraude adeò jactatum vidit Imperium, ut Gothi nedum Pannoniam & Græciam, quæ Orientis Imperii erant, ſed Italiam ipſam Alarico Duce diriperent, ſede ipsâ Imperii *Urbe Româ* captâ, adeò ut *Attalus* è Præfecto Urbis Imperator ab eodem Alarico videretur conſtitutus, ejectusque, ſe recepit in Gallias; cumque reſumere tyrannidem tentâſſet, neglectusque à Gothis, capitur à *Conſtantino* Comite, atque *Honorio* traditur, à quo obtruncatâ manu in Inſulam Lyparam relegatur. Ipſo intereà Ravennæ latitante, fœdiſſima *Romani Imperii* facies undique cernitur, Gothis Gallias, Vandalis atque Alanis Hiſpanias occupantibus, Tyrannisque perpluribus Purpuram ſumentibus; nam *Conſtantinus* ex infima militia in Britannia Imperator à militibus acclamatur, atque antè eum *Marcus* & *Gratianus* rebellaverant; digreſſus inde cum filiis *Conſtante* in Gallias, quem *Caſarem* dixerat, & *Juliano*, ab eodem *Conſtantio* Comite victus eſt, atque ad Ravennam, *Honorio* jubente, interfectus; recenſetur quoque *Jovinus* Tyrannus, cui interfecto frater *Sebaſtianus ſucceſſit*; ſed his omnibus è medio ſublatis, pacatus jam Occidens videbatur, & *Honorius* Placidiam Sororem, quàm à Gothis receperat, exſtinctô *Ataulpho* Alarici Succeſſore, cui invita nupſerat, *Conſtantio* Patricio ſecundis nuptiis conjunxerat, quem in conſortium quoque Imperii admiſit, puerumque *Valentinianum* ex iisdem Nuptiis ortum jam ante Imperii conſortium *Nobiliſſimi* honoribus ornavit, exſtinctoque *Honorio* à Theodoſio *Arcadii* filio, atque Orientis Imperatore *Caſar* primò nuncupatus, Italiam cum *Placidia* Matre Auguſtæ titulo decoratâ mittitur, cùm vix quintum ætatis annum ageret, oppreſſoque *Joanne* Tyranno, qui ex Primicerio Notariorum, poſtquàm *Honorius* fatô ceſſerat, *Purpuram* Ravennæ ſumere auſus erat, Mater ipſa moderabatur Imperium; Hoc autem imperante jam inſtare ruina Imperii videbatur, Africam namque Vandali occupaverant, Hiſpanias Angli invaſerant, Gallias Franci; & *Attila* Rex Hunnorum, poſtquàm No-

De Valentiniano.

nobiliſſimas Urbes in Galliis evertiſſet, licèt victus ab *Ætio* militiæ Magiſtro & Sociis in Campis Catalaunicis, reparatis Viribus majore Exercitu denuò transgreſſus Alpes, Italiam omnem, ferrô, flammâque vaſtavit, eàdemque flammâ *Urbs Roma* conflagrâſſet, nisi *Leonis* Summi Pontificis veneratione compulſus nedum ſententiam mutâſſet, ſed totâ Italiâ cedere in animum induxiſſet; quare cùm etiam in Gallia *Lupi Epiſcopi* monitu Tricaſtinorum Urbem diripere abſtinuiſſet, inter milites jlocaliter jactatum Caſtinus inquit: *haud immeritò Leoni ceſſiſſe in Italia, qui Lupum in Gallia reformidâſſet, plusque, cohibendo Attilam, momenti habere Ferarum nomina, quàm hoſtium armatas manus.*

Valentinianus autem eo metu liberatus, ſequuto Placidiæ matris obitu, ſuo vivere ingenio cœpit, atque à *Flavio Maximo*, ut in uxorem fraude admiſſum adulterium ulciſceretur, *Ætio* priùs, quem timebat, apud *Valentinianum* ipſum proditionis inſimulato, adeô, ut ab eodem in Palatio obtruncaretur, interfectus eſt; qui & Imperium, & matrimonium etiam invaſit, *Eudoxiâ Auguſtâ* ductâ, quæ à *Theodoſio minore Patre* Valentiniano juncta erat; illa verò, ut *Imperatoris, ac Viri* necem ulciſceretur, Carthaginem ad *Jenſericum* Vandalorum Regem miſit, orans, ut Romam veniret, atque Tyrannum eriperet. Qui propterea cúm è Carthaginis portu ſolveret, interrogatus à Nauta, quò curſum intendi vellet, in eos, reſpondit, quibus iratus eſt *Deus*; Romamque ingreſſus cum ingenti Exercitu, *Leonis* quidem *Papæ*, & *Eudoxiæ* precibus ab incendio Urbis abſtinuit, ſed per 4. dies diripuit, cunctasque opes abſumpſit; fugiens autem *Maximus* vix 3. menſium *Tyrannus* occiſus, ac membratim à milite Romano *Urſo* diſcerptus eſt; Revertens verò Jenſericus *Eudoxiam* cum filiabus *Placidiâ*, & *Eudoxiâ tertiâ* abduxit in Africam, hancque *Hunerico* filio uxorem dedit, alteram quæ *Olybrio* poſteà rerum potito nupſit, ad *Leonem Auguſtum* cum matre, quâ etiam abuſus erat, Conſtantinopolim miſit; Interim verò *Avitus* quidam *Avernus* militum Magiſter ab Exercitu Gallicano doloſè Imperator nunciatur, ſuſcipitque Imperii inſignia, quæ nec ab eo ampliùs, nec à ſucceſſoribus tueri poterant; quare paulò poſt quàm creatus fuerat, deſertus à Gothis, Imperio caruit & vitâ, Placentiæ interfectus *Ricimeri* juſſu, licèt ſcripſerint alii, abdicato Imperio ejusdem *Ricimeri* operâ Placentinum Epiſcopum evaſiſſe. Igitur quamvis abſque *Auguſti* titulo Occidentis Imperium ſuis hu- *De Avito Auerno.*

meris propè totum ſuſtinebat *Ricimerus*; cùm interim *Leo* Orientis Imperator *Auguſtum* dare voluit Occidenti, ac propterea *Majorianum* Italiam miſit, ingentis animi Virum, qui licêt Ravennæ Auguſtos ſumpſiſſet honores, Senatui tamen, ut priſcos mores, atque umbratilem illam ejus authoritatem ſervare videretur, ſcripſit: *Imperator*, inquiens, *factus ſum, Patres conſcripti, veſtris, militumque ſuffragiis. Ad capiendum Principatum non voluntate meâ, ſed obſequio publicæ devotionis acceſſi. Favete nunc Principi, quem feciſtis, & tractandarum rerum curam communicate nobiſcum, ut Imperium, quod mihi vobis annuentibus datum eſt, ſtudiis communibus augeatur.* Sed *Ricimero* Patricio in conſiliorum, rerumque omnium ſocietatem adſcito, cùm rebus neceſſariis conſulere cœpiſſet, nec duntaxat Africam Vandalis eripere, ſed Gothos, Alanoſque è Galliis ejicere tentâſſet, majora etiam auſurus, ſi diù vixiſſet, *Ricimeri* fraude quarto Imperii anno apud Derdonam à *Severo* quodam interfectus eſt, propriâque authoritate eundem, militaribus paratis antè ſtudiis, *Auguſtum* inſcio Senatu, atque injuſſu *Leonis* declaravit, & anno Tyrannidis quarto veneno ſuſtulit, totamque Rempublicam pro ſuo arbitrio moderabatur; Tum *Leo* poſt Inter-regnum unius anni, ac menſium aliquot, *Anthemium* Patricium opibus ac genere maximum Imperatorem Occidentis declaravit, inito priùs inter *Leonem* ipſum, atque *Ricimerum* fœdere, ut *Græcus* Romam mitteretur *Auguſtus*, cujus filiam ipſe in uxorem acciperet; ſed Barbarus ille, cùm Divini, tùm humani juris violator, licèt jam *Auguſti Anthemii* gener, quæſitis coloribus bellum Civile excitavit, captâque Urbe, *Anthemium* ipſum interemit, licèt priùs pacem cum ipſo *Epiphanii Epiſcopi* operâ iniviſſet; jamque arbitrio ſuo *Auguſtos* eligens, *Olybrium* Valentiniani generum *Anthemio* ſuffecit, ac tandem fato functus, non diù *Olybrium* ipſum ſuperſtitem habuit; poſt quem *Glycerius* quidam *Gundibalo* Ricerii Nepote, quem *Olybrius* Patricium fecerat, hortante, *Senatu inſcio*, ac *Leone invito* Ravennæ inſignia Imperii ſumpſit; quare Auguſtus Leo *Julium Nepotem* cum Claſſe Italiam miſit, *Auguſtumque* Occidentis declaravit, qui *Glycerium* tandem Romæ captum ex Auguſto Salonæ Epiſcopum apud Dalmatas fieri coëgit; cùmque *Oreſtem* Gothum Exercitui præfeciſſet, ut Galliarum reliquias, quæ Occidentis Imperii erant, à Barbarorum incurſionibus tueretur, ab *Oreſte* ipſo inſidiis Ravennæ capitur, atque occiditur, Filiumque ſuum *Romulum Momyllum* quamvis puerum, mili-

De Majoriano. *De Severo.* *De Anthemio.* *De Olybrio.* *De Glycerio.* *De Julio Nepote.* *De Romulo Momyl-*

militum ſuffragiis declarat *Auguſtum*, quem propterea nuncupà- *lo Augu-*
runt *Auguſtulum*, ut Imperium, quod in *Auguſto* cœpit, finem ha- *ſtulo.*
beret in *Auguſtulo*, nam Italia ab *Odoacre* Turcilingorum Rege cum Scythis & Herulis auxiliaribus occupatà, cæſisque *Oreſte*, ac *Paulo* fratre, non ſinè ludibrio *Auguſtulum* ille exuere Purpuram, atque in exilium abire coëgit, denuoque Roma *Regium* pati nomen debuit, *Odoacrem* namque ipſum Italiæ Regem ſalutare coacta eſt.

Hactenus Imperatorum ſeriem evolvimus, ut quibus initiis *Conclu-*
ortum, quóve progreſſu fundatum, auctumque Imperium, ac tan *ſio.*
dem quibus potiſſimùm cauſis collapſum fuerit, dignoſceretur; *Auguſtus* namque, ùt diximus, ſummo arcano munia Magiſtratuum & Legum in ſe trahens nomine *Principis* Rempublicam ſub Imperium accepit, reliquitque Succeſſoribus; primusque *Tiberius*, cùm ipſam *Comitiorum* imaginem tranſtuliſſet ad Patres, quos præcipuè in judiciis Majeſtatis exercuit, libertati, quæ jam ipsâ *Auguſti* ætate moriens erat, finem dedit. Cæteri poſtquàm *Imperium* jure ſanguinis arripiebant, à *Senatu* inaugurari videbantur, decretis honoribus, & Magiſtratibus, quorum jam explicabant poteſtatem, ut priſci moris imaginem retinerent. Exſtinctâ verò *Juliorum*, *Claudiorumque regnatrice domo*, Legiones conſtituere *Auguſtos* viſæ ſunt, trepidique duntaxat *Patres* in honoribus decernendis promptitudine certare; manſitque Imperium velut *Familiæ hæreditas*, nam adoptionibus, *Cæſarum* nuncupationibus, honoribusque, quos *ipſi Auguſti* tribuebant, ad quos vellent, Imperium tranſmittebant; *Conſortes* quoque *Imperii* admittebantur, donec *Antoninus Caracalla*, ùt ex Dionis fragmento indubium redditur, ſpecie Privilegii, jus etiam *Romanæ Civitatis* exſtinxit, cùm omnes *Romanâ Civitate* donâſſe ſimularet. Unde *ſimulacra* quoque veteris Reipublicæ deleta, & jam pridem Provinciæ aliter diviſæ videbantur. Nam *Auguſtus* pacatas, atque imbelles *Senatui* regendas reliquerat & Populo; eas autem, quæ præſidiario milite indigebant, ſibi retinuerat, ut Exercitus in Poteſtate haberet, quas tum per Legatos adminiſtrabat cum dignitate Proconſulari, tum per Procuratores cum dignitate Pro-Prætoriâ, licèt Rectores omnes fuerint nuncupati; *Hadrianus* poſteà Italiam etiam, quam Auguſtus in 11. Regiones diviſerat, cum Inſulis in 17. Provincias, ſeu Diœceſes diſtribuit, quas partim Conſularibus ùt *Venetias & Iſtriam*, *Æmiliam*, *Lyguriam*, *Flaminiam*, *Pycenum*, *Tuſciam*, *& Umbriam*, *Pycenum ſuburbicarium*,

Digitized by Google

Campaniam, *atque Siciliam*; partim Correctoribus, ùt *Apuliam*, *Calabriam*, *Samnium*, *& Brutios*; partim Præſidibus regendas dedit, ùt *Alpes Cottias*, *Rhetiam* primam, atque ſecundam, *Valeriam*, *Sardiniam*; *Corſicam*, *&c.* Et *Conſtantinus* aliâ etiam diviſione factâ *in Imperiũ* nempe *Occidentis*, & *Orientis*, utroque in Provincias, ſeu Diœceſes majores atque minores accuratiùs diſtributo, 4. *Præfectos Prætorio* conſtituit, ut nimiam ejus Magiſtratûs poteſtatem diminueret, unum nempe Italiæ, à quo *Italia*, *Africa*, & pars *Illyrici* regebantur, Galliarum alterum, à quo *Hiſpania*, atque *Britannia*; tertium Orientis, cui *Ægyptus* quoque, *Aſia* & *Pontus* commiſſi; ultimum *Illyrici*, qui *Macedoniam* etiam & *Daciam* moderabatur. *Præfectus* autem *Italiæ*, & *Galliarum* poſt Imperatorem Occidentis primum obtinebat locum, ùt ille Orientis & Illyrici ſub Orientis Imperatore; juſſerat enim *Conſtantinus* Magiſtratus omnes ſub Præfectis Prætorio eſſe, adeoque Præfectus Urbis Conſtantinopolis *Proconſules* habebat *Africæ*, *Aſiæ*, *Vicarios*, *Conſulares*, *Præſides*, *Correctores*, *Comites*, *Duces*, *&c.* atque ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio Italiæ *pars* quoque *Illyrici*, & *Africa* erant, ſub eoque *Vicarii* erant *Italiæ*, atque *Urbis Romæ*, & ſub eo Italiæ 4. *illæ Conſulares Provinciæ* erant, *Venetia* nempe, & *Iſtria*, *Æmilia*, *& Lyguria*, *Flaminia & Picenum Annonarium*; ſub eo autem Urbis Romæ, 4. *etiam Conſulares*, *Tuſcia* nempe, *Umbria*, *Picenum ſuburbicarium*, *Campania & Sicilia*; duæ verò Correctoriales ſub eodem Urbis Romæ Vicario, ùt *Apulia & Calabria*, *Lucania & Brutii*; 4. Præſidiales ſub illo Italiæ, ùt *Alpes Cottiæ*, *Rhetia prima*, *Rhetia ſecunda*, *Samnium*; 3. Præſidiales ſub Vicario Urbis, ùt *Valeria*, *Sardinia & Corſica.*

Sed cunctas ſigillatim commemorare Provincias inane foret, cùm apud Authores paſſim reperiantur; quare id ſolummodò innuiſſe ſufficiat, ut arbitratu ſuo *Auguſtos* Romanum Orbem moderatos eſſe demonſtraretur, Senatumque, *Poteſtate* vacuum nomen, nîl aliud præſtitiſſe, quàm acceptum ab Exercitibus, explicatumque Imperatorium ſuffragium novis etiam titulis, ſi *Imperatores* non ſpreviſſent, exornâſſe, decretaque de more, licèt inaniter, feciſſe. Quoniam verò nullis certis legibus, ſed voluntate duntaxat militum dari, adimique Imperium videbatur, bella, quæ propterea neceſſariò exarſerunt, Imperium ipſum peſſumdare debebant; uno enim eodemque tempore plures *Auguſti* Legionibus Imperii ad ejus perniciem utebantur; hinc Barbari in auxilium adſciti; hinc ager illis

illis datus ; hinc dum unus, dum alter ſtudiis militum diviſo jam Imperio, translatâque Sede, ut nec ipſe Occidentis *Auguſtus* Romæ degeret, diripere potiùs, quàm moderari ſatagebat, eò tandem perventum erat, ut à Barbaris ipſis Imperium pro lubitu dari videretur. Nec ut celerior eſſet occaſus, muliebre ſcelus defuit, cùm & ipſæ Barbaros inuitâſſent, *Syrena* enim *Stiliconis* uxor *Alaricum* incitavit, & *Honoria* Valentiniani ſoror *Attilam*, vel abſentis amore capta, unde Sigonius : *Honoria*, inquit, *Valentiniani ſoror, cùm ad Aulæ decus Virginitatem tueri cogeretur, ac libidine inflammata, Attilam Hunnorum Regem in Italiam ad ſui Connubium invitâſſet, voto fruſtrata, libidinem cum Eugenio Procuratore ſuo explevit.* Eudoxia verò præfati Auguſti uxor *Petronio Maximo*, à quo ſublatus vir erar, nupta, Carthaginem ad *Jenſericum* miſit, orans, *nè hominem nefarium ſineret gaudere Valentiniani Cæde.* Quibus malis, nè quid penitùs deeſſet, *Patrum* quoque ac *Romanorum Civium acceſſit ignavia, qui deteſtantes ùt venena doctrinas, inſanabiliumque flagitiorum labe corrupti, nîl in rebus humanis boni noverant, nisì quod fructuoſum eſſet, & Amicos tanquam Pecudes omnes potiſſimùm diligebant, ex quibus ſe ſperabant maximum fructum eſſe capturos, ſuperbique adeò, ut oſculanda Capita in modum Taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerrent genua ſua ſuavianda, vel manus.*

Finis Exercitationis Primæ.

Ad Lectorem.

HAbes cordate Lector Opuſculum, quo Civilis Doctrinæ fontes ſaltèm indicari vides; quoque Romanæ Civitatis formas, converſionesque ad *Auguſtulum* uſque potes intueri. Brevi ſequetur alterum, ut uno veluti obtutu cùm præcipuarum Civitatum Politiam, tùm rerum humanarum Orbem ſpectare queas; utque exemplis ipſis, aliorumque eventis eadem Civilis facultas illuſtretur. Scio quidem Orbem, ceu magnum Animal, parva iſta Edulia deſpicere, cùm vix ſucciplenis ſatur fieri palàm ſit; ſpem tamen fovere licebit, non adeò abs te, cui fortaſſe *mens quieta*, *intelligensque humani*, *Divinique Juris*, ſummi Numinis benignitate, conceſsa, rejici debere; cùm nec diſputationibus, nec vanis rerum immixta, aut Authorum cumulo referta, ſed continenti, connexâque Oratione proceſſiſſe, *Summamque rerum* qualitercumque adumbrâſſe animadvertas. Scopum igitur vel oſtendiſſe ſufficiat; cum his literis, eâque ſapientiâ animum oporteat informare, quæ *bonum Virum*, ſimulque *bonum Civem* efficiunt; unde vox illa Euripidis precantis Deos: *Nè mihi cuncta, ſed quorum Civitati ſit uſus.*

Quibus autem ſermonis elegantiam, cæteraque Grammaticæ pulpæ rimari cordi eſt, carpendi, clamandique quantùm lubet facultas eſto. Me nec adeò his delectari, nec hujuſce laboris patientem ſciant, & nucleum, non verò corticem captare conſueviſſe.

Authores ſi adire velis, Ariſtotelem, præcipuè, Dionyſium, Halicarnaſſeum, T. Livium, Tacitum, Dionem Caſſium, Plutarchum, cæteróſque Romanorum Hyſtoriæ Scriptores evolvere non diſpliceat, cuncta enim ex his diſcerpſiſſe haud ignoras.

Errores corrigere ſupervacaneum duxi, cùm poſſis ipſemet advertere, & nec leves indulgendi cauſæ; primà tamen Paginâ, pro *materia*, legas, *machina*, & Pag. 6. verſ. 7. *mutuam dependentiam, proceſſumque, ac ordinem ipſimet animi motus*, corrigas, *mutua dependentia, proceſſusque, ac ordo ex ipſiſmet animi motibus*; pag. verò 43. verſ. 17. pro *conductiones*, *conceſſiones*, *renovari* pro *renovare* legere oportebit, & pag. 40. *Gubernatoris*, adde *Nauis*; licèt in quibusdam Exemplaribus, Typographo tempeſtivè admonito, nec irrep'erint. Alia quidem errata, interpunctionésque præcipuè, benignitate tuâ parvi facias; tædio namque, nec uno impedimentorum genere affectus, accuratè his operam impendere nequibam, & ad alia properare mens erat. Vale.

ANT L 318782

Digitized by Google